933

PHILOSOPHIÆ PRACTICÆ

PARS TERTIA ET VLTIMA complectens

POLITICAM INTEGRAM

LIBRIS V.

Pertractatam

Auctore

CLEMENTE TIMPLERO STOLPENſI Miſnico in Illuſtri Schola Steinfurtenſi Philoſophiæ Profeſſore.

Adiectæ ſunt in fine, Tabulæ totius Philoſophiæ Practicæ Ideam complectentes.



HANOVIÆ
Apud Guilielmum Antonium.

Anno M. DC. XI.

Cum Gratia & Priuileg. Cæſ. Maieſt.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRIBVS
ET GENEROSISSIMIS
Comitibus ac Dominis

Dn. Adolpho
Dn. Arnoldo Ivsto
Dn. Gvilielmo Henrico

COMITIBVS IN BENT-HEIM, TECKELBVRG, STEIN-furt & Limburg, Dominis in Rheda Weuelingkhofen, Hoya Alpen & Helfenſtein, liberis Baronibus in Lennep, præfectis hæreditariis Coloniæ Agrippinæ

Fratribus Germanis

Dominis ſuis clementibus.

S. D.

ETſi nulla virtus intellectus humani eſt, Illuſtres ac Generoſiſſimi Comites Domini & Mecœnates clemẽtes, quæ non laudem & commendationem mereatur: dignaq; ſit, vt ab homine expetatur: tamen præ cæteris *Ciuilis prudentiæ* nomen ſemper inter homines præclarum & laudabile eſt ha-

Digitized by Google

bitum. Hæc enim riuulus eſt ſapientiæ & prudentiæ diuinæ, qua tota hæc mundi vniuerſitas, à Deo rerum omnium opifice gubernatur. Hæc dux & moderatrix eſt vitæ ciuilis, omniumq; actionum, quæ ad eam rectè ineundam & peragendam requiruntur. Sine hac nulla Reſpublica, nulla ſocietas hominum benè conſtitui & conſeruari poteſt. Illa enim homines à ferâ agreſtiq; vita primitus abduxit, & in vnum locum congregauit. Ac, vt honeſtam, iuſtam & tranquillam inter ſe vitam agerent, leges ciuiles condidit: magiſtratus ordinauit: Iudicia inſtituit: vt his tanquam frenis in gyrum rectæ rationis ducerentur, & diſciplinæ iugo ſubiicerētur. Proinde non immeritò à Philoſophorum Coryphæo Ariſtotele lib. 1. Ethic. Nicomachiorum cap. 2. *Ciuilis prudentia* inter ſcientias & facultates humanas, quæ in agendo verſantur, κυριωτάτη ϗ μάλιςα ἀρχιτεκτονικὴ nuncupatur. Illa ſiquidem puppi ciuitatis præſidet: gubernaculum Reipublicæ tenet: totamq; Politicæ adminiſtrationis curſum eò dirigit, vt ciues à naufragio, tuti optatum felicitatis ciuilis portum aſſequantur, in eoq; ſalui

Digitized by Google

ſalui & incolumes diu ac tranquillè perſiſtant. Quoniam autem hæc virtus mentis, de qua loquimur, vt præclara; ita rara eſt: nec in quoslibet homines, ſine diſcrimine cadit: idcirco ſemper inter viros doctos & ſapientes quæſitum fuit: quibus mediis comparari & obtineri poſſit. Ac licet, alii illam ſolius Dei donum eſſe, ab eoq; piis precibus obtinendam aſſerant: alii verò vel ſingulari Naturæ ſagacitati; vel longo rerum vſui & experientiæ; vel hiſtoriarum lectioni & meditationi; vel peregrinationibus; vel denique artis Politicæ cognitioni & exercitationi eandem adſcribant: mihi tamen maximè probanda videtur ſententia eorum, qui has cauſas omnes ſimul ad *Prudentiæ ciuilis* acquiſitionem neceſſarias eſſe contendunt. Nam cum Deus ſit principium primum omnis boni: ab eoq; omnes cauſæ ſecundæ, per ſe ſubordinatæ pendeant: impium certè eſſet, prudentiam ciuilem, quæ inter bona humana inſtar ſtellæ cuiuſdam lucidiſſimæ eminet, ſuoque fulgore omnia colluſtrat, Dei benignitati non acceptā referre. Naturam etiam, ſi quis ab eius efficientia excluderet: ille perinde face-

Digitized by Google

ret,ac ſi ędificium abſq; fundamento exſtruere vellet: Natura enim eſt fundamẽtum omnis habitus, hominemq; ad eum recipiendum, aptum & idoneum reddit; & quò maior eſt naturæ præſtantia: eò ꝓcliuior eſt ipſius habitus adeptio. Sed cum natura ad acquirendum habitum ciuilis prudentiæ per ſe ſit inſufficiens: neceſſe eſt, vt aliæ cauſæ cõcurrant, quibus ea iuuetur ac perficiatur. Inter illas vna eſt Experientia, quæ notitia eſt rerũ ſingularium diuturno vſu per ſenſum comparata. Ad quam non parum adiumenti confert, tum aſſidua negotiorum ciuilium inſpectio & tractatio, euentorũq; obſeruatio, tum longè lateq; ſuſcepta peregrinatio: quæ propterea ſpeculum mũdi & vitæ humanæ nuncupatur: quod variorũ populorũ naturas, mores & facta oculis hominum obiiciat: diuerſasq; Rerumpublicarũ formas & politias contemplandas proponat. Altera cauſa eſt ſedula lectio & meditatio hiſtoriæ tã ſacræ quam profanæ. Hęc enim illuſtriũ Reipub. Moderatorum res geſtas tum pacis, tum belli tempore recenſet. Hæc omnium virtutum, quæ ad rectã Reipub. adminiſtrationẽ ſunt neceſſarię; omniũ-
que

que vitiorum, quæ illis repugnant, exẽpla nobis intuenda exhibet. Proinde ſcitè admodũ, *Philoſophia exemplaris* appellatur. Nec inconcinnè à Romanæ eloquentiæ parente Cicerone lib. 2. de Oratore dicitur teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuncia vetuſtatis. Quam ob cauſam etiã Polybius lib. 2. ἀληθινωτάτην τὴν παιδείαν καὶ γυμνασίαν πρὸς τὰς πολιτικὰς πράξεις τὴν ἐκ τῆς ἱστορίας μάθησιν. hoc eſt veriſſimam diſciplinam & exercitationem ad ciuiles actiones hiſtoriam eſſe pronuntiauit. Et Alphonſus Rex Siciliæ prudentiſſimus optimos cõſiliarios mortuos aiebat, hiſtoriæ libros intelligens. At quoniã tam *Experientia* quam *Hiſtoria* circa ſingularia duntaxat verſantur: quæ in infinitum abeunt perfectumq; *ciuilis Prudentiæ* habitum gignere nequeunt: Idcircò *Ars Politica* eſt inuenta, quæ modum benè conſtituendi & adminiſtrandi Rempublicam per præcepta vniuerſalia traderet. Hæc igitur diligenter eſt diſcenda & exercenda ei, qui ſolidam prudentiæ ciuilis laudem ſibi comparare cupit. Inde enim omnis ratio benè fundandi Rempublicam, funda-

támq; conſeruandi, amplificandi & curãdi cognoſcitur. Inde omnes benè imperandi & parendi leges intelliguntur. Inde manifeſtum & perſpicuum fit, quomodo magiſtratus rectè ſit conſtituendus: quod illius ſit proprium officium: quomodo id tempore pacis & belli rectè obire, omneſq; actiones ſuas ad felicitatem & ſalutem Reipublicæ, cui à Deo præpotente præfectus eſt, dirigere debeat. Et cum hæc ars ſua præcepta & principia ex variis, quæ in hiſtoriis occurrunt, exemplis collegerit, eademq; ad hæc ſcitè accommodet: quis non videt, & in hiſtoriarum lectione, & in negotiorum ciuilium tractatione, infeliciter ac infructuosè verſari eum, qui *Politicæ diſciplinæ* cognitione non eſt imbutus. Neceſſe enim eſt, vt theoria rerum Politicarum earum cenſuram & praxin antecedat. Et ſicut nemo res naturales benè diiudicare poteſt ſine principiis Phyſicis: res morales ſine principiis Ethicis: res ſacras & diuinas ſine principiis Theologicis: ita neq; ſine principiis Politicis quiſquam de rebus ciuilibus rectũ certumq; & conſtans iudicium ferre poteſt. Quæ cum ita ſint: præclaram Reipubli-

publicæ operam nauare, optimeq; de ea mereri videntur ii, qui in excolenda & illuſtranda *Arte Politica* omnes ſuas curas & cogitationes defixas habent. Illi enim ad *Prudentiam ciuilem* acquirēdam viam planam & expeditam ſternunt, efficiuntq;, vt ex fundo Politico melior & vberior frugum meſſis eius cultoribus ſit exſpectanda & demetenda. Etſi verò hoc ſeculo tanta eſt ſcriptorum Politicorum, tam veterum, quā recentiorum multitudo, vt ſecundum trita adagia, actum agere, lumen ſoli inferre, & cornicum oculos configere videatur, quicunque in hoc doctrinæ genere aliquid vlterius attentare, ingeniique ſui periculum facere conatur: tamen non credibile eſt Deum, ſuorum beneficiorum parciorē iam, quam olim, largitorem eſſe: aut naturam tanquam matrem fæcundam & benignam ſuperioribus temporibus omnes ſuas dotes in homines effudiſſe: vt iam omnium, qui viuūt, aut victuri ſunt, nouerca ſterilis ſit dura & illiberalis. Et certè ſi oculos mentis circumferamus, omniumq; eorum, qui de rebus Politicis ſcripſerunt, monumenta perluſtremus: pauci inuenientur, qui omnes par-

tes diſciplinæ Politicæ ſunt perſecuti; pauciſſimi, qui accuratā methodum in iis pertractandis adhibuerunt. Pleriq; enim vnam tantum atq; alteram partem artis illius attigerūt, omiſſis reliquis. Ac etiamſi quidam integram artem videantur conſcripſiſſe: tamē aut confusè præcepta illius tradiderunt, aut ſaltem in iis tradendis, à legitimæ methodi normis & legibus non parum receſſerunt. Vt igitur tandem aliquando ſtudioſi Politicæ integrum & methodicum ſyſtema huius nobiliſſimæ artis habere poſſint, eoq; magno cum fructu ex animi ſententia vti: non paruum operæ pretium mihi facere videntur, qui in eo conſtituendo & perficiendo, quantum virium Deus, natura, & ars conceſſerint, deſudant. Etſi verò ego cum aliis, qui hoc laudabile opus aggreſſi ſunt, nullo modo ſum comparandus, ſiue ingenii & doctrinæ excellentiam, ſiue exquiſitam artis Politicę ſcientiam, ſiue experientiam variam & multiplicem ſpectes: quippe qui in negotiorum ciuilium praxi & exercitatione planè non ſum verſatus: tamen cum inter eos, qui omnibus prodeſſe, & nemini nocere cupiunt, ſemper nomen

profeſ-

profeſſus ſim meum: neminem tam iniquum rerum ęſtimatorem fore arbitror, qui vitio mihi ſit daturus: quod ad operis eiuſmodi Politici abſolutionem pro modulo ingenii mei aliquid operæ & laboris conferre; & ſic talentum à Deo cōceſſum honeſtè fœnerari ſategerim. Imitatus enim hac in parte ſum partim opificum, partim apum exemplum. Sicut enim opifices in conficiendis ſuis operibus materiam aliunde accipiunt vel rudem vel præparatam: in eamq; beneficio artis ſuæ formas nouas & aptas introducunt: ita ego quoq; in hoc Politicæ ſyſtemate concinnando præceptorum farraginem, ex probatiſſimorum tam veterum quam recentiorum Politicorum ſcriptis congeſſi: ſed artis Logicæ adminiculo melius ea informaui & diſpoſui. Similiter vt apes variis florum generibus inſidere ſolent, & ex ſingulis extrahere ea, quæ ad mellificium ſunt vtilia: ſic mihi quoq; curæ fuit varia ſcriptorum Politicorum monumenta legendo & meditando percurrere, & ex iis ſingulis, quę ad artis Politicę corpus coagmentandū conducere viſa ſunt, quantum per ingenii & iudicii infirmitatē licuit excerpere.

Digitized by Google

Quod ſi his meis laboribus, publicum Reipublicæ commodum promotum ſenſero: eſt cur læter, & Deo omnium bonorum largitori gratias agam. Sin minus: tamen ſecundum Iſocratem in oratione ad Nicoclem, καὶ τό γε ἐγχείρημα καλῶς ἔχει, hoc eſt, ipſe etiam conatus eſt honeſtus & laudabilis: & in magnis voluiſſe ſat eſt. Cæterum cum in more laudabili ſit poſitum, vt libris nouis noui patroni & Mecœnates quærantur: quorum & luce illuſtrari, & auctoritatis ſcuto aduerſus venenata liuidorum & maleuolorum obtrectatorum tela defendi poſſint: mihi quoque ab hac conſuetudine non recedendum eſſe putaui. Vos igitur, Illuſtres & Generoſiſſimi Comites, Domini & Mecœnates clementes, præ cæteris elegi, quorum inclyto nomini has *Commentationes meas Politicas* inſcriberem & dedicarem. Vos enim præpotens mundi Monarcha Deus poſt obitum Illuſtris & Generoſiſſimi *Parentis* veſtri, cuius memoria in æterna ſit benedictione, ad ſummi; in Republicâ veſtrâ imperii adminiſtrationem vocauit. Quæ cum rerum humanarum ſit honoratiſſima, maximeque ardua: vt

non

non immerito *Diocletianus* Imperator nihil difficilius eſſe dixerit, quàm benè imperare; quis non videt ad illam rectè obeundam vobis *Prudentia ciuili* maximoperè opus eſſe. Ac licet I. G. V. eius habitum non exiguum partim Dei benignitate; partim naturæ heroicæ ſagacitate; partim peregrinatíonibus vltro citroque ſuſceptis; partim diligenti, hiſtoriarum & ſcriptorum Politicorum lectione; partim aſſiduâ negotiorum ciuilium tractatione ſibi comparauerit: tamen non dubito, quin ad illum augẽdum & corroborandum fructum aliquẽ ex his meis *Meditationibus Politicis* ſit perceptura. Nihil enim in iis omiſi, quod *Magiſtratui Politico ad benè imperandum* à prudentiſſimis & in negotiis ciuilibus exercitatiſſimis viris neceſſarium eſſe iudicatur. Ac quoniam *Schola* hæc inclyta ab Illuſtri & Generoſiſſimo *Parente veſtro* ARNOLDO piæ beatæq; memoriæ eſt fundata, vt Muſarum ſedes ſit aptiſſima, omniumque linguarum & artium liberalium officina celeberrima, nec non Eccleſiæ & Reipublicæ Chriſtianæ ſeminarium cultiſſimum: eadẽque hactenus ab I. G. V. pro innato &

Digitized by Google

planè heroico in rem literariam fauore & amore laudabiliter eſt conſeruata, multisq; & magnis beneficiis affecta: ingrata certè illa eſſet, niſi ſubinde curaret, publicū aliquod gratitudinis & obſeruantiæ ſuæ ſummiſſæ teſtimonium ac monumentum extare; quo I. G. V. ad eiuſdem amorem, conſeruationem & amplificationem benigniſſimam quaſi ſtimulo quodam magis magiſq; incitetur. Id autem commodius fieri non poteſt, quam ſi fœtum aliquem, quem Profeſſorum opera conceptum peperit, in publicum hominis conſpectum prodire ſinat, & illuſtri nomini veſtro conſecret ac offerat. Accedit huc, quod honeſtum & æquum eſſe iudicauerim, vt cum I. G. V. iam antea ex *Philoſophia Theoretica Phyſicam generalem* dedicauerim: nunc eidem etiam ex *Philoſophia practica partem aliquã, eamq; præſtantiſſimam*, tanquam teſſeram animi mei, & ſtudii in *Philoſophia vtraq; excolenda* hactenus adhibiti documentū clariſſimum conſecrarem. Hoc igitur munus chartaceum, quod ex dignitate ſua æſtimatū paruum eſt; ex affectu dantis magnum, I. G. V. ſereno vultu ac prõpta manu accipiat: ac deinceps, vt ha-
ctenus

ctenus fecit, me meaque ſtudia benigna gratiæ & beneuolentiæ ſuæ aura proſequi pergat. Deus Optimus Maximus I.G.V. cum coniuge & ſobole generoſiſſima, totaq; illuſtri domo Bentheimicâ diutiſſimè ſoſpitet; eiq; in Republica gubernanda prudentiam & felicitatem veram, cum omnium bonorum affluentia clementiſſimè & largiſſime concedat.

Steinfurti ſcribebam pridie Calendarum Auguſti, Anno à nato Chriſto vnico mundi ſeruatore CIↃ. IↃC. X.

Illuſtri Generoſitati V. addictiſſimus

M. CLEMENS TIMPLERVS.

Digitized by Google

INDEX LIBRORUM CAPITUM ET Problematum Syſtematis Politici.

LIBER I.

CAPUT I.

De natura Politicæ.

Quæſtiones.

1 QVæ ſit Etymologia & Homonymia vocabuli Politicæ, eiusdemq; Polyonymia?

2 Quomodo Politica rectè ſit definienda?

3 Quod ſit ſubiectum proprium & adæquatum Politicæ?

4 Quis ſit finis proprius & adæquatus Politicæ?

5 Quomodo Politica rectè ſit diſtribuenda?

6 An Politia rectè diſtribuatur in profanam & Chriſtianam: & quomodo inter ſe differant?

7 Quomodo Politica à iurisprudentia differat?

CAPUT II.

De definitione Reipublicæ.

Quæſtiones.

1 Quomodo Reſpublica rectè ſit definienda?

2 An ſit diſcrimen inter Rempublicam, ciuitatem & Politiam?

CAPUT III.

De fine & efficiente Reipublicæ.

Quæſtiones.

1 An finis Reipublicæ ſit benè beateq; viuere?

2 *An ciuilis beatitudo in internis an externis bonis conſiſtat?*

3 *An eadem ſit beatitudo ſingulorum ciuium ac totius ciuitatis?*

4 *An Deus & natura rectè dicantur cauſa efficiens Reipublicæ?*

5 *An homo ſit animal natura Politicum?*

6 *An vita ſolitaria ſit licita hominique eligenda?*

7 *An Reſpublica mundana & Eccleſia Chriſtiana rectè dicantur cauſa exemplaris Reipub. ciuilis?*

8 *An vis & cupiditas imperandi rectè ſtatuatur cauſa efficiens Reipublicæ?*

9 *An quilibet conſenſus hominum ad vitam ſocialem inter ſe degendam ſe obligantium ſit cauſa efficiens Reipublicæ?*

10 *Vtrum in ſtatu innocentiæ futuræ fuiſſent Reſpublicæ?*

CAPVT IV.

De materia Reipublicæ: & primum quidem de populo, eiuſq; partibus.

Quæſtiones.

1 *Quid ſit materia Reipublicæ?*

2 *Quid ſit populus, & num à ciuitate & plebe differat?*

3 *An populus conſtet ex hominibus eiuſdem familiæ?*

4 *Quid ſit collegium, & ex quot, quibusq; hominibus conſtet?*

5 *An legitimus conſenſus collegarum ſit cauſa efficiens, & quidem procreans collegij?*

6 *Quæ ſit forma & finis collegij?*

7 *Quomodo collegia ſint diſtribuenda?*

Digitized by Google

8 *An collegia Reipublicæ ſint neceſſaria & utilia?*

9 *An collegium differat à corpore & uniuerſitate?*

CAPVT V.

De ordinibus populi.

Quæſtiones.

1 *An quælibet Reſpublica debeat conſtare ex certis hominum ordinibus, iisq; diuerſis & inæqualibus?*

2 *Quid ſit ciuis propriè dictus in genere?*

3 *Quotuplex ſit ciuis propriè dictus?*

4 *An ſerui ex albo ciuium ſint eximendi?*

5 *An ciuis propriè dictus differat ab incola & peregrino: itemq; incola ab inquilino?*

6 *An homines rectè diſtribuantur in nobiles & ignobiles?*

7 *Quid ſit nobilitas in genere & quotuplex?*

8 *Quæ nobilitas ſit omnium præſtantiſſima?*

9 *An nobilis rectè dicatur alius natus, alius factus: & uter ſit præſtantior?*

10 *An nobilitas ſuſcipiat magis & minus?*

11 *An idem homo poſſit eſſe nobilis & ignobilis: itemque ex ignobili fieri nobilis, & vice verſa?*

12 *Quæ fuerit veterum de ordinibus populi opinio?*

13 *An peregrini in Republica ſint ferendi, & ad ius ciuitatis admittendi?*

14 *An Zigari & Iudæi in Republica ſint tolerandi?*

15 *An agricolæ. mercatores & opifices in numerum ciuium ſint admittendi?*

16 *An mendici, otioſi & vagi in Republica ſint ferendi*

17 *Quid de vulgo hominum in Repub. ſit ſentiendũ?*

CAP.

CAPVT VI.

De re populi.

Quæſtiones.

1 An in Repub. omnium rerum inter ciues debeat eſſe communio.

2 Quid ſit domus, pagus, vrbs: & quomodo inter ſe differant?

3 An vrbs & ciuitas inter ſe differant?

4 Quæ fuerit prima cauſa vrbium condendarum tã impulſiua, quam finalis?

5 An vrbes orientem & ſeptentrionem verſus ſint ſalubrius ſitæ, quam quæ meridiem, ſolisq; occaſum ſpectant?

6 An vrbes mœnibus, turribus, arcibus aliisq; propugnaculis ſint muniendæ?

7 Vnde æſtimandus ſit bonus alicuius vrbis ſitus?

8 Quomodo vrbs ſit partienda?

9 An muri & portæ vrbis rectè numerentur inter res ſanctas?

10 An ſuburbia ſint partes vrbis?

11 Quæ in templis ædificandis ſint ſpectanda?

12 An in Repub. benè conſtituta aſyla ſint conſtituenda & permittenda?

13 An extraneis nouas ſedes eligentibus permittendum ſit, vt nouas vrbes extruant?

14 An ſine annuis redditibus Reſpublica conſiſtere poſſit?

CAPVT VII.

De forma & ſpeciebus Reipublicæ.

Quæſtiones.

1 Quæ ſit forma Reipublicæ?
2 Quot ſint ſpecies Reipublicæ?
3 Vtrum magnitudo Reipublicæ ſeu ciuitatis numero hominum, an potentia ſit definienda?
4 An Reſpublica ſeu ciuitas quò maior eſt, & populoſior, eò ſit felicior & tutior?
5 An in Repub. bene conſtituta nimia ciuium multiplicatio ſit per abortum fœminarum à magiſtratu impedienda?
6 An in quauis Repub. præſertim maiore vrbs aliqua primaria tanquam metropolis ſit conſtituenda?

LIBER II.

CAPVT I.

De imperio ciuili eiuſque ſubiecto in genere?

Quæſtiones.

1 Quid ſit imperium ciuile?
2 An imperium ciuile Reipublicæ ſit vtile & neceſſarium?
3 An imperium ciuile differat à Politia?
4 Quid ſit magiſtratus in genere?
5 An magiſtratus in Republica ſit neceſſarius?
6 An magiſtratus rectè dicantur Dij?
7 An magiſtratus ſit ſuſcipiendus & gerendus præſertim Chriſtiano?
8 An inter magiſtratum & ſubditos ſit mutua obligatio?

9 Quo-

Digitized by Google

9 *Quomodo magiſtratus Politicus ab Eccleſiaſtico differat?*

10 *An imperium ciuile à domeſtico ſpecie differat?*

11 *An nihil rerum humanarum difficilius ſit quam gerere magiſtratum?*

CAPVT II.

De electione magiſtratus.

Quæſtiones.

1 *An omnis magiſtratus à Deo primam ſuam habeat originem?*

2 *An magiſtratus ordinariè ab hominibus conſtituatur vel per electionem vel per ſucceſſionem & vter modus ſit melior?*

3 *An electio debeat eſſe publica & libera?*

4 *Vtrum magiſtratus à toto populo an ab aliqua eius parte ſit eligendus?*

5 *Vtrum ex toto populo an ex aliqua illius parte magiſtratus ſit eligendus?*

6 *An ſuffragia in electione magiſtratus ſint ponderanda potius quam numeranda?*

7 *An magiſtratus ſit eligendus per ſortem?*

8 *An quilibet homo aptus ſit ad ſuſcipiendum & gerendum magiſtratum?*

9 *An fœminæ à Republica adminiſtratione ſint excludendæ?*

10 *Vtrum ſenibus potius quam iuuenibus magiſtratus ſit committendus?*

11 *An in eligendo magiſtratu ſtatura & forma corporis ſit habenda ratio?*

12 *An diuitibus potius, quam pauperibus magiſtratus ſit committendus?*

13 *An indigenis potius quam peregrinis ſeu exte-*

Digitized by Google

ris ſit magiſtratus committendus?

14 *An ſpurij ad magiſtratum ſint admittendi?*

15 *An nobilis & illuſtris familiæ homines in electione magiſtratus ſint præferendi iis qui ignobili & obſcuro loco nati ſunt?*

16 *Vtrum in eligendo magiſtratu doctrinæ & eruditionis ſit habenda ratio?*

17 *An ad magiſtratum ſuſcipiendum & gerendum aliquis ſit cogendus?*

18 *An illi qui vltrò ſeſe ingerunt & ambiunt magiſtratum ſint admittendi?*

19 *An melius ſit ſenſim & gradatim quam ſubitò ad ſummos in Repub. honores aſcendere?*

20 *An vni homini plures magiſtratus ſint committendi?*

21 *An temporales potius in Republica quam perpetui magiſtratus ſint conſtituendi?*

CAPVT III.

De ſucceſſione & inauguratione magiſtratus.

Quæſtiones.

1 *An omnes filij in principatu ſuccedere debeant, an vero vnus tantum & quis ex illis?*

2 *An ſpurij in principatu ſuccedere debeant?*

3 *An ſi principi natus ſit filius primogenitus ante principatus adeptionem & alius poſt, poſterior præferri debeat priori in ſucceſſione?*

4 *An ſi princeps defunctus relinquat ex filio primogenito præmortuo nepotem & alium filium ſuperſtitem præferendus ſit in ſucceſſione nepos patruo?*

5 *An inauguratio magiſtratus recens creati ſit neceſſaria & vtilis?*

CAP.

CAPVT IV.

De extraordinaria conſtitutione magiſtratus.

Quæſtiones.

1 *An licitum ſit quouis modo affectare imperium?*

2 *An liceat imperium ſibi bello acquirere?*

3 *An liceat magiſtratum vendere aut emere?*

4 *An magiſtratus vitioſè & illegitimè creatus pro magiſtratu ſit habendus?*

CAPVT V.

De abdicatione magiſtratus.

Quæſtiones.

1 *An magiſtratus temerè ſit abdicandus?*

2 *An liceat ante tempus ſuſceptum magiſtratum pro arbitrio deſerere?*

3 *An ad officij rationem reddendam magiſtratus ſit impellendus?*

LIBER III.

CAPVT I.

De recta officii magiſtratus functione in genere, eiuſq; cauſa efficiente, partim principali partim inſtrumentali inanimata.

Quæſtiones.

1 *An vllum imperium ciuile ſine virtute rectè geri poſſit?*

2 *An prudentia magiſtratui ſit neceſſaria ad rectam officij ſui functionem?*

3 *An doctrina & eruditio neceſſaria ſit magiſtratui ad rectam officij ſui functionem?*

Digitized by Google

4 *An eloquentia magiſtratui ſit vtilis ad rectam officij functionem?*
5 *An virtus moralis ſit neceſſaria magiſtratui ad rectam officij ſui functionem?*
6 *An pietas magiſtratui ſit neceſſaria ad rectam officij ſui functionem?*
7 *An iuſtitia ſit neceſſaria magiſtratui ad rectam officij ſui functionem?*
8 *An fortitudo ſit neceſſaria magiſtratui ad rectam officij ſui functionem?*
9 *An liberalitas magiſtratui ſit neceſſaria ad rectam officij functionem?*
10 *An clementia ſit neceſſaria magiſtratui ad rectã officij functionem?*
11 *An temperantia & humilitas ſint neceſſaria magiſtratui ad rectam officij functionem?*
12 *An calliditas in magiſtratu ſit tolerabilior quam nimia ſimplicitas?*

CAPVT II.

De auctoritate & potentia magiſtratus.

Quæſtiones.

1 *Quid ſit auctoritas magiſtratus?*
2 *Quæ ſit cauſa efficiens auctoritatis magiſtratui ineſſe debita?*
3 *An auctoras ſit neceſſaria magiſtratui ad rectam officij functionem?*

CAPVT III.

De conſiliariis magiſtratus.

Quæſtiones.

1 *An conſilium ſit neceſſarium magiſtratui ad rectã officij functionem?*

2 *An*

Digitized by Google

2 *An magiſtratus opus habeat conſiliariis bonis?*
3 *Quales conſiliarij à magiſtratu ſint eligendi?*
4 *An ex ſenibus potius quam iuuenibus conſiliarij ſint eligendi?*
5 *An ex indigenis potius quam extraneis conſiliarij ſint eligendi?*
6 *An homines improbi & impij ac ſpeciatim adulatores & garruli ad conſilia ſint admittendi?*
7 *Quod ſit officium conſiliarij, & quo modo illud rectè exequi poſſit?*
8 *Quomodo magiſtratus ſeſe gerere debeat in adhibendis & audiendis conſiliariis.*
9 *An magiſtratus ab vnius tantum conſiliarij arbitrio pendere debeat?*
10 *An liceat magiſtratui conſilia ſemel approbata & ſuſcepta interdum mutare?*
11 *An magiſtratus conſiliarios veteres temerè mutare & dimittere debeat?*
12 *An conſilij boni inuentio ſine executione ſit manca & imperfecta?*
13 *An ſenatus à conſiliariis differat?*

CAPVT IV.

De Legatis.

Quæſtiones.

1 *An legati differant à conſiliariis?*
2 *An legati ſint neceſſarii magiſtratui & num rectè dicantur vicarij ipſius?*
3 *An legati opus habeant mandato & inſtructione magiſtratus ad expedienda feliciter ſua negotia?*
4 *An licitum ſit legatum violare?*
5 *An liceat legato munera accipere?*

Digitized by Google

CAPVT V.

De inferioribus adminiſtris magiſtratus.

Quæſtiones.

1 *An adminiſtri inferiores ſint neceſſarij magiſtratui: & quales eligere oporteat.*

2 *Quomodo miniſtri ſeſe in officio gerere debeant?*

3 *An ſatellitium magiſtratui præſertim ſummo ſit neceſſarium?*

4 *An magiſtratui liceat exploratoribus vti ad rectam officij ſui functionem?*

LIBER IV.

CAPVT I.

De cura populi.

Quæſtiones.

1 *An cura populi magiſtratui ſit ſuſcipienda?*

2 *An cura recta ſubditorum generationis pertineat ad magiſtratum?*

3 *An ſpurij in Repub. à magiſtratu ſint ferendi?*

4 *An cura annonæ pertineat ad magiſtratum?*

5 *An cura circa educationem & vitam ciuilem ſubditorum pertineat ad magiſtratum?*

6 *An cura circa ſepulturam ſubditorum mortuorũ pertineat ad magiſtratum?*

7 *Vtrum in vrbe, an extra vrbem ſepulchra ſint inſtituenda?*

CAPVT II.

De cura veræ religionis.

Quæſtiones.

1 *An cura religionis præſertim veræ, publicè inter ſub-*

ſubditos colenda magiſtratui ſit habenda?

2 *An vna tantum Religio in qualibet Repub. à magiſtratu permittenda publiceq́; exercenda ſit?*

3 *An magiſtratus ſubditos ſuos ad veram religionem cogere debeat?*

4 *An magiſtratus religionis cauſa inquiſitionem inſtituere debeat in conſcientias ſubditorum?*

5 *An magiſtratus eos qui in doctrina & religione Chriſtiana diſſentiunt perſequi & punire debeat?*

6 *An magiſtratus hæreticos capitali ſupplicio afficere debeat?*

7 *An magiſtratui licitum ſit imagines ex templo remouere?*

8 *An magiſtratui licitum ſit religionem in ſua Repub. receptam reformare aut planè mutare?*

9 *An magiſtratui licitum ſit leges præſcribere in Eccleſia obſeruandas?*

10 *An magiſtratui liceat religionem veram armis defendere?*

11 *An magiſtratus poſſit eſſe iudex in cauſa religionis?*

12 *An magiſtratui licitum ſit bona Eccleſiaſtica in prophanos vſus conuertere?*

CAPVT III.

De cura rei literariæ & Scholaſticæ.

Quæſtiones.

1 *An cura rei literariæ & Scholaſticæ pertineat ad magiſtratum Politicum?*

2 *An in Republica benè conſtituta vtilis & neceſſaria ſit recta iuuentutis in Scholis literariis inſtitutio?*

3 *An publica iuuentutis in Scholis literariis inſtitutio ſit præferenda priuatæ?*

Digitized by Google

4 *An Schola literaria omnes ſint eiuſdem generis?*

5 *Quales præceptores in Scholis literariis iuuentuti ſtudioſæ à magiſtratu Politico ſint præficiendi?*

6 *In quibus rebus iuuentus ſtudioſa ſit inſtituenda?*

7 *An linguarum ſtudium iuuentuti ſit neceſſarium & vtile?*

8 *An Philoſophiæ ſtudium iuuentuti Scholaſticæ ſit inculcandum?*

9 *An in recta iuuentutis inſtitutione maior bonorum morum, quam doctrinæ ſit habenda ratio?*

10 *Quæ requirantur in diſcipulis in quibus præceptorum in Scholis inſtitutio debet eſſe fructuoſa?*

CAPVT IV.

De legum ciuilium ſanctione & promulgatione.

Quæſtiones.

1 *An cura legum magiſtratui ſit neceſſaria?*

2 *Vtrum lex magiſtratui, an magiſtratus legi præeſſe debeat?*

3 *Vnde leges ſuam habeant originem?*

4 *Quis ſit finis legum?*

5 *De quibus rebus leges ferri ſoleant & debeant: & quibus hominibus?*

6 *An paucæ potius quam multæ leges ſint ferendæ?*

7 *An omnes leges debeant eſſe honeſtæ iuſtæ vtiles & neceſſariæ?*

8 *An omnes leges ſua natura debeãt eſſe poſſibiles & nulla impoſſibilis?*

9 *An leges conſuetudinibus, moribus, locis, temporibus, & perſonis debeant eſſe conuenientes?*

10 *An leges debeant eſſe perſpicuè ſcriptæ?*

11 *An*

Digitized by Google

11 *An legum promulgatio ſit neceſſaria & quomodo fieri debeat.*

12 *An liceat magiſtratui Politico leges condere legi naturali & diuinæ contrarias?*

13 *An leges ciuiles differant à legibus naturalibus & diuinis?*

14 *An conſultum ſit Reipublicæ leges veteres mutare & nouas ſurrogare?*

CAPVT V.

De diſciplina ciuili.

Quæſtiones.

1 *An legum executio in Repub. ſit neceſſaria?*

2 *An diſciplinæ ciuilis cura neceſſariò à magiſtratu ſit ſuſcipienda?*

3 *An magiſtratus de rectâ liberorum procreatione, educatione & inſtitutione debeat eſſe ſollicitus?*

4 *An in benè conſtituta Repub. præmiorum diſtributio ſit neceſſaria?*

5 *Quæ in præmiorum diſtributione conſideranda ſint magiſtratui?*

6 *An ſint diuerſa præmiorum in Repub. diſtribuendorum genera?*

7 *An in Republica bene conſtituta pœnarum irrogatio ſit neceſſaria?*

8 *Quæ in pœnarum irrogatione conſideranda & vitanda ſint magiſtratui?*

9 *An pueri & adoleſcentes mitius ſint puniendi quàm viri & ſenes?*

10 *An ebrius flagitium committens grauiori pœna ſit afficiendus quam ſobrius id commiſiſſet?*

11 *An qui ex errore caſu & imprudentia peccant mitius & lenius ſint puniendi?*

Digitized by Google

12 *An nobilis mitius ſit puniendus quam ignobilis?*
13 *An magiſtratui Politico licitum ſit hominem innocentem punire propter peccata aliena?*
14 *An magiſtratui licitum ſit pro libitu facinoroſis hominibus impunitatem concedere?*
15 *An lupunaria in Republica benè conſtituta magiſtratui Politico vllo modo ſint permittenda?*
16 *An in Republica bene conſtituta peregrinationes ſint ciuibus concedendæ?*

CAPVT VI.

De iuriſdictione ciuili.

Quæſtiones.

1 *An iuriſdictio ciuilis in Republica ſit neceſſaria & quomodo diſtribuenda?*
2 *An Chriſtiano liceat iudicia publica & ciuilia exercere & adire?*
3 *An ad magiſtratum Politicum pertineat ſubditis Ius & iuſtitiam adminiſtrare & quomodo id fieri debeat?*
4 *An omnibus de rebus quæ in controuerſiam veniunt iudicia forenſia ſint inſtituenda?*
5 *An de paruis & leuibus inter ciues controuerſiis iudicia forenſia ſint habenda?*
6 *An vtile ſit in Republica eſſe multa iudicia forenſia multosq; cauſſidicos?*
7 *An quilibet homo idoneus ſit cui iudicis officium à magiſtratu committatur?*
8 *An viris potius quam mulieribus iudicandi poteſtas ſit concedenda?*
9 *An ſenibus potius quam iuuenibus iudicandi poteſtas ſit concedenda?*
10 *An literatis potius quam illiteratis iudicandi poteſtas ſit committenda?*

11 *An*

11 *An cæcis ſurdis & mutis iudicandi poteſtas ſit cõmittenda?*

12 *An Eccleſiaſticis perſonis iudicandi in foro ciuili poteſtas ſit concedenda?*

13 *An iudicem oporteat eſſe pium & iuſtum?*

14 *An iudicem oporteat eſſe iuſtitiæ amantem & obſeruantem?*

15 *An iudicis boni ſit vtramq; litigantium partem audire?*

16 *An iudici auaritia munerumq; captio ſit fugiẽda?*

17 *An index affectibus ſuis indulgere debeat?*

18 *An ira à iudicando abeſſe debeat?*

19 *An amor à iudicando abeſſe debeat?*

20 *An metus à iudicando abeſſe debeat?*

21 *An iudex debeat eſſe miſericors?*

22 *An iudex debeat eſſe προσωπολήπτης?*

23 *Vtrum iudex in ſententia ferenda verba legis potius quam æquitatem ſpectare debeat?*

24 *An iudex in ſententia ferenda tarditatem potius, quam feſtinationem adhibere debeat?*

25 *An iudex viua potius voce, quam ſcripta tabula ſententiam ferre debeat?*

26 *An iudex in ſua aut ſuorum cauſa iudicare poſſit, aut debeat?*

27 *An iudex innocentem falsò accuſatum iuſtè aliquando condemnare poſſit?*

28 *An in qualibet benè conſtituta Repub. debeat eſſe ſummum aliquod ac commune tribunal, ad quod fiat appellatio?*

29 *An diſſentientibus principibus viris litis diiudicandæ poteſtas populo ſit concedenda?*

30 *An liceat populo impedire magiſtratum vel iudicem, quò minus in iudicio ſententiam ferat?*

CAPVT VII.

De cura pacis & tranquillitatis publicæ.

Quæſtiones.

1 *An neceſſe ſit magiſtratum Politicum ſuſcipere curam pacis & tranquillitatis publicæ?*

2 *An concordia ciuium ſit neceſſaria ad conſeruandam pacem & tranquillitatem publicam?*

3 *Quæ ſint ſeditionum ciuilium in Repub. cauſæ?*

4 *Quæ remedia contra ſeditiones ciuiles ſint adhibenda?*

CAPVT VIII.

De cura ærarii publici.

Quæſtiones.

1 *An cura ærarij publici pertineat ad magiſtratum?*

2 *An expediat Reipublicæ theſauros colligere & conſeruare?*

3 *An ærarium publicũ differat ab ærario Principis?*

4 *An liceat magiſtratui Politico tributa exigere à ſuis ſubditis?*

5 *An liceat magiſtratui Politico extraordinaria interdum tributa à ſubditis exigere?*

6 *An à quolibet & ex quâlibet re liceat magiſtratui tributum exigere.*

7 *An magiſtratui Politico liceat tributum ab Eccleſiaſticis perſonis & rebus exigere?*

8 *An liceat magiſtratui Politico per mercaturam bona publica & priuata augere?*

9 *An liceat magiſtratui Politico pro libitu bona publica alienare, aut diſſipare?*

10 *An poteſtas cudendi & æſtimandi monetam ſit penes magiſtratum: & quomodo illa rectè ſit exercenda?*

CAP.

CAPVT IX.

De cura commerciorum & confœderationis.

Quæſtiones.

1 *An cura commerciorum pertineat ad magiſtratum Politicum?*
2 *An mercatoribus libera negotiandi facultas in Republica ſit concedenda?*
3 *An commutatio rerum in Republica ſit neceſſaria?*
4 *An taxatio rerum commutandarum Mercatorum arbitrio ſit permittenda?*
5 *An monopolia in Republica ſint concedenda?*
6 *An vſura in Republica bene conſtituta ſint ferenda & permittenda?*
7 *An Reipublica expediat fœdera cum aliis inire?*
8 *An liceat Chriſtianis fœdus inire cum impiis & infidelibus?*
9 *Vtrum melius ſit cum Rebuspublicis an cum principibus ipſis fœdus inire?*
10 *An fœdera omnia ſint eiusdem generis?*
11 *An fœdera præſertim iure iurando ſancita & confirmata temere ſint rumpenda & violanda?*

CAPVT X.

De bello eiuſq; recte ſuſcipiendi & gerendi ratione.

Quæſtiones.

1 *An bellum ex ſua natura ſit malum & illicitum?*
2 *An liceat Chriſtianis bellum gerere?*
3 *Quid ſit bellum in genere?*
4 *An bellum aliud ſit iniuſtum aliud iniuſtum & vn-*

de vtrumque dignoſcendum?
5 An ſola defenſio & vindicatio ſit cauſa iuſta belli?
6 An bellum interdum alieni populi defendendi gratia ſuſcipere liceat?
7 An liceat magiſtratui Politico bellum aduerſus barbaros & infideles à quibus Reſpublica nullam iniuriam paſſa eſt ſuſcipere eo tantum fine vt domentur & ad religionem veram adducantur?
8 An conſultatio pracedere bellum debeat: & de quibus rebus ſit inſtituenda?
9 An bellum prius apparandum ſit quam gerendum & quomodo?
10 An ſine delectu milites ſint conſcribendi?
11 Vtrum extranei potius quam indigena milites ſint eligendi?
12 Vtrum melius ſit in bello pedites multos an equites habere?
13 An dux belli ſit neceſſarius, & qua in illo eligendo ſint ſpectanda?
14 An dux belli ex nobili potius & illuſtri quam ignobili & obſcura familia ſit eligendus?
15 An peregrinus potius quam indigena dux belli ſit eligendus?
16 An ſenex potius quam iuuenis dux belli ſit eligendus?
17 An peritia rei militaris potius, quam virtus in duce belli ſit ſpectanda?
18 Quæ virtutes in duce belli maxime requirantur?
19 An ducem belli oporteat eſſe eloquentem & facundum?
20 An ipſum principem & ducem belli pugnæ intereſſe oporteat?

21 An

21 *An dux belli debeat eſſe vnus an plures?*
22 *An bellum prius ſit indicandum quam gerendum?*
23 *Vtrum melius ſit hoſtem domi expectare an vero in finibus illius belligerari?*
24 *An in bello vti liceat ſtratagematis?*
25 *An proditione in bello vti liceat?*
26 *An ſecuritas in bello ſit fugienda?*
27 *An diſciplina militaris in bello ſit neceſſaria & quomodo inſtituenda?*
28 *An mulieribus arma ſint tractanda?*
29 *An liceat militi mercenario cuilibet belligerantium parti operam ſuam addicere?*
30 *An hoſti fides ſit ſeruanda?*
31 *An poſt victoriam ſeueritatis exemplum in victes ſit ſtatuendum?*
32 *An pax ciuinis bello ſit anteponenda?*
33 *Quomodo bellum diſtribuendum?*
34 *An ciuile bellum omnibus modis ſit præcauēdum & fugiendum præſertim viro bono?*

LIBER V.

CAPVT I.

De diſtributione magiſtratus.

Quæſtiones.

1 *An vllus in terris magiſtratus abſolutam & illimitatam poteſtatem imperandi habeat?*
2 *Quæ ſint propria notæ ſummi magiſtratus?*
3 *An ſummo magiſtratui bona ſubditorū vi diripere liceat?*
4 *An ſummo magiſtratui inferior ſit ſubiectus & num illi ſemper parere debeat?*

CAPVT II.

De ſpeciebus imperii ciuilis.

Quæſtiones.

1 *An imperium ciuile rectè diuidatur in legitimum & illegitimum?*
2 *An imperium ciuile legitimum rectè diuidatur in Monarchiam & Polyarchiam, & hæc rurſus in Ariſtocratiam & Democratiam?*
3 *Quid ſit Monarchia & quotuplex?*
4 *Quid ſit Polyarchia & quotuplex?*
5 *An Monarchia ſit præferenda Polyarchiæ?*
6 *An Ariſtocratia ſit præferenda Democratiæ?*
7 *An Monarchia Ariſtocratia, & Democratia, inter ſe miſceri poſſint?*
8 *An tyrannis Monarchiæ opponatur & quidem ſoli?*
9 *Quomodo tyrannus à rege ſeu bono principe differat?*
10 *An tyrannis poſſit eſſe diuturna?*
11 *Quomodo Oligarchia ab Ariſtocratia & Ochlocratia à Democratia differat?*
12 *An omnia imperia ciuilia mutationibus ſint obnoxia & quæ ſint cauſæ illarum mutationum?*
13 *An Anarchia imperio opponatur & quomodo?*

CAPVT III.

De natura & officiis ſubditorum.

Quæſtiones.

1 *An ſubiectio neceſſario cum imperio ſit coniuncta & vtra pars ſit prior natura & dignitatis ordine?*
2 *Vtrum ſubditi ſint priores, an poſteriores magiſtratu?*

3 *An poſſit aliquis eſſe bonus ſubditus, niſi ſit vir bonus?*

4 *An ſubditi ſuum magiſtratum amare & revereri debeant?*

5 *An ſubditi ſuo magiſtratui ſemper obedire debeant?*

6 *An ſubditi Deo magis, quam magiſtratui obedire debeant?*

7 *An ſubditis liceat mandata ſui magiſtratus examinare & diiudicare?*

8 *An ſubditi legibus potius, quam magiſtratui obedire debeant?*

9 *An ſubditis liceat impiis & iniuſtis magiſtratus ſui conatibus reſiſtere: & quomodo?*

10 *An ſubditi inter ſe amice concorditer & iuſte viuere debeant?*

Finis Indicis.

Digitized by Google

250

POLITICÆ
LIBER PRIMVS.

CAPVT I.
De naturâ Politicæ.

PRÆCEPTA.

1 *Politica eſt ars quæ tradit modum benè conſtituendi & adminiſtrandi Rempublicam.* Definitio Politicæ.

2 *Eius partes ſunt duæ: Vna conſtitutrix Reipublicæ; altera eiuſdem adminiſtratrix.* Partitio eiuſdem.

QVÆSTIONES.

I. Quæ ſit Etymologia & Homonymia vocabuli Politicæ, eiuſdemq́; Polyonymia?

VOx Politicæ, origine eſt Græca: ſed vſu ipſo Latina. idem ſignificans ac vox ciuilis. Deriuatur enim à nomine *ἡ πόλις, ciuitas*, quæ primarium ſubiectũ Philoſophiæ ciuilis ſtatuitur: à qua etiam deriuatur *ὁ πολίτης, ciuis; & πολιτεύω ciuitatem* ſeu *Rempublicã adminiſtro*; & *πολιτεία regimen*, ſeu *adminiſtratio ciuitatis* ſeu *Reipublicæ*. Hinc etiã *οἱ πολιτικοί*, *Etymologia Politicæ explicatur.*

A

hoc eſt, *ciuiles homines* vocantur, qui vel arte callent adminiſtrandi Rempublicam, vel actu in adminiſtrandâ Republicâ verſantur; & αἱ πολιτικαὶ πράξεις, quæ circa Rempublicam occupantur; & βίος πολιτικός, hoc eſt, vita ciuilis, quæ in Societate ciuili transigitur; & præcepta Politica,

Homonymia Politicæ excutitur.

quæ ſpectant ad conſtituendum & adminiſtrandum Rempublicam. Porrò vox *Politicæ*, apud Philoſophos, præſertim Ariſtotelem & Platonem, non ſemper eodem modo vſurpatur.

1. Signif.

Interdum enim generaliter ſumitur pro totâ Philoſophiâ practicâ, cuius partes ſunt ſecundum vſitatam Peripateticorum doctrinam, Ethica, Oeconomica & Politica. Vnde etiam ab Ariſtotele lib. 1. Ethici ad Nicomachum cap. 2. πολιτική dicitur ἐπιστημῶν καὶ δυνάμεων κυριωτάτη καὶ μάλιστα ἀρχιτεκτονική. hoc eſt, *ſcientiarum & facultatum maximè domina & princeps.* Et à Platone in dialogo Politico definitur ἐπιστήμη ἄρχουσα ἁπασῶν πράξεων, *ſcientia quæ omnes actiones gubernat:* Ad quorum auctorũ imitationem etiam Piccolomineus totã Philoſophiam practicam appellat *ciuilẽ Philo-*

2 *ſophiam*, ſeu, *ſcientiam*. Interdum verò ſpecialiter pro tertia parte Philoſophiæ practicæ accipitur, quam Ariſtoteles in libris octo Politicorum explicat, & tum ab Ethicâ tum Oeconomicâ diſtinguit. Et in hac poſtrema ſignificatione ſupra in præceptis fuit vſurpata & deinceps etiam vſurpabitur.

Polyonymia Politicæ traditur.

Vocatur autem hæc ars Græcè modo abſolutè πολιτική, modò cum adiectione πολιτικὴ φιλοσοφία, ἢ ἐπιστήμη: quemadmodum Latinè modò dicitur *Politica* ſeu *Politice*; modò *Philoſophia* ſeu *ſcientia*, ſeu *doctrina ciuilis.*

II. *Quo-*

2. *Quomodo Politica rectè ſit definienda?*

Definitiones diuerſæ Politicæ recenſentur & examinantur.

Diuerſæ Politicæ definitiones hinc inde a-
pud diuerſos auctores reperiuntur. Aliis
enim eſt ſcientia benè adminiſtrandi ciuitatem:
aliis, ſcientia iuſtè & ſapienter adminiſtrandæ
ciuitatis; aliis, prudentia gerendæ Reipublicæ: 1
aliis, prudentia per quam conuenienter diſpo- 2
nuntur pertinentia ad bonum commune ciui- 3
tatis: aliis, prudentia per quam publicus & ma- 4
ior hominum cœtus ſiue ſocietas ad publicam 5
beatitudinem dirigitur; ſeu prudentia ſtatus
publici dirigendi ad bonum publicum: aliis, ars 6
ciuiliter viuendi; aliis, ars bene viuendi in ciuili 7
ſocietate; aliis doctrina vitam ciuilem rectè in- 8
ſtituendi; aliis, doctrina vitæ ciuilis iter recte 9
ineundi & peragendi: aliis, ars homines ad vi- 10
tam ſocialem conſtituendam & conſeruandam 11
conſociandi: aliis, ars iuſtam politiam inſtitu-
endi, vel eam quæ iam recte conſtituta eſt tuen-
di ac conſeruandi; aliis denique, ars recte con- 12
ſtituendi & adminiſtrandi Rempublicam.

Ex his autem definitionibus ſola vltima videtur ob perfectionem reliquis eſſe anteponenda. Non enim tantum eſt perſpicua, ſed etiam conſtat partim ex genere proprio & proximo definiti, quod eſt *ars* non quatenus conſideratur vt habitus intellectualis, præſertim cum ratione verâ efficiendi aliquid; ſed vt ſyſtema methodicum, quod ex certis præceptis de re aliqua ſcibili traditis conſtat ad erudiendum & perficiendum hominem; partim ex differentia ſpecifica & perfecta ſumpta tum à ſubiecto, tum

Digitized by Google

à fine proprio & adæquato ipſius Politicæ; per quam differentiam definitum eſſentialiter diſtinguitur ab aliis artibus. Ideoq; eſſentiam definiti perfectè explicat; eoque neque eſt latior neque anguſtior: Nec in ſenſu vero diſſentit ab ea quæ in præcepto primo à me eſt tradita.

Reliquæ verò definitiones, aut vitioſum genus definiti pro Syſtemate politico ſumpti exprimunt, vt priores quinque, in quibus pro genere aſſignatur ſcientia vel prudentia, quæ ſunt habitus intellectuales: aut legitimum quidem genus ponunt; ſed differentiam ſpecificam aut plane non aſſignant; aut obſcurè, aut imperfectè, quatenus neque ſubiectum, neque finem proprium Politicæ totaliter, ſed partialiter exprimunt, vt cæteræ definitiones.

III. *Quod ſit ſubiectum proprium & adæquatum Politicæ?*

Recenſentur variæ aliorũ opiniones de ſubiecto Politicæ.

IN hac quæſtione explicanda magnam inter Philoſophos deprehendo diſſenſionem. Alii enim ſubiectum Politicæ ſtatuunt ciuitatem vt Ariſtoteles; alii, Rempublicam; alii, vitam ciuilem; alii, ſocietatem ciuilem; alii, conſociationem hominum ad vitam ſocialem conſtituendam & conſeruandam; ſeu communicationem quarundam rerum operarum & iuris quæ ad commune commodum vitæ ſocialis conferimus quiſq; pro virili ex æquo & bono; alii, politiam ſeu ſtatum publicum ſeu ſocietatem hominum ex pluribus familiis domeſticis certo ordine collectum & directum ad felicitatem publicam; alii, modum bene adminiſtrandi ciuitatem, ſeu Rempublicam; alii, modum bene viuen-

1
2
3
4
5
6
7
8

viuendi in ſocietate ciuili; ſeu recte inſtituendi vitam ciuilem; alii hominem quatenus eſt mẽbrum ciuilis ſocietatis & præceptis politicis informandus: alii denique, modum bene conſtituendi & adminiſtrandi Rempublicam.

Sed ex his ſententiis diuerſis ſola vltima videtur maxime perſpicue ſubiectum proprium & adæquatum Politicæ exprimere. Modus enim bene conſtituendi & adminiſtrandi Rempublicam, eſt id in quo explicando & tractando vniuerſa Politica occupatur, & ad quod omnia ſua præcepta dirigit; nec quicquam in illa arte eſt homogeneum, niſi quod certo quodam reſpectu admodum benè conſtituendi & adminiſtrandi Rempublicam referri poteſt. Cum vltima verò ſententia congruit etiam partim prima & quarta, quatenus ciuitas & ſocietas ciuilis ſumitur pro Republica; & hæc conſideratur, quatenus benè eſt conſtituenda & adminiſtranda; partim tertia & octaua, quatenus per vitam ciuilem intelligitur modus bene viuendi in ſocietate ciuili ſeu recte inſtituendi vitam ciuilem; & per hunc nihil aliud quam modus bene conſtituendi & adminiſtrandi Rempublicam. Reliquæ verò opiniones exprimunt quidem verum ſubiectum Politicæ, ſed non proprium, vt quinta; ſiquidem id etiam competit Oeconomicæ; vel proprium quidem; ſed partiale, vt ſexta, ſeptima, & nona. *Examinantur ſuperiores opiniones.*

IV. *Quis ſit finis proprius, & adæquatus Politicæ?*

FInem Politicæ alii ſtatuunt bonum publicum; alii, felicitatem, ſeu ſalutem Reipubli-

Digitized by Google

Aliorum opiniones de fine Politicæ exponuntur & ope diſcutiũtur.

cæ; alii, probam & beatam ciuium vitam; alii, vſum vitæ commodæ, vtilis & felicis & ſalutis communis, vt ſcilicet tranquillam & quietam vitam degamus cum omni pietate & honeſtate; alii, conſeruationem ſocietatis humanæ. Etſi verò hi fines omnes veri ſunt, nulloque modo reiiciendi; tamen primum non ſunt proprii Politicæ, ſed ei cum aliis artibus, præſertim Ethica generali, Theologia & Iuriſprudentia communes: Deinde, in dubio euentu ſunt poſiti neque ſemper à Politica eiuſque cultoribus ob hominum improbitatem variaque alia impedimenta, quæ obiici ſolent, obtineri poſſunt. Itaque ſtatuendum eſſe videtur finem proprium & adæquatum Politicæ, quatenus vt Syſtema conſideratur, nullum alium eſſe, quàm tradere ſeu explicare modum benè conſtituendi & adminiſtrandi Rempublicam. Ille enim finis poſitus eſt in facultate Politicæ, neque vllis externis rebus, eius aſſecutio impediri poteſt.

V. *Quomodo Politica rectè ſit diſtribuenda?*

Diſtributiones Politicæ ab aliis traditæ recenſentur.

I

MVlti quidem iam olim & noſtro etiam ſeculo de rebus Politicis ſcripſerunt: ſed pauci fuerunt ſoliciti de rectâ eius diſtributione inueniendâ & aſſignandâ. *Theophilus Golius* in ſua epitome, omnia quæ octo libris Politicorum Ariſtotelis traduntur, ad quinque capita præcipua refert: quorum primum eſt de materiâ, hoc eſt, de partibus ciuitatis, ex quibus

Digitized by Google

bus ea initio conſtituitur: alterum, de forma ciuitatis, quæ πολιτεία nominatur; vbi agitur de ſex præcipuis Reipublicæ adminiſtrandæ formis, earumque differentiis & proprietatibus: tertium de cauſis conſeruantibus & corrumpentibus ciuitatis, ſeu Reipublicæ; quartum de quibuſdam ciuitatibus & Rebuspublicis ab aliis vel deſcriptis, vel conſtitutis; præcipuè verò de Republica Platonis; quintum, de educatione puerorum à natiuitatis tempore vſque ad annum ætatis vigeſimum primum.

Thomas Aquinas Politica præcepta ad quatuor capita omnia reuocari poſſe aſſerit; 1, ad officia principum erga ſubditos, & contra, ſubditorum erga principes. 2, ad officia ciuium inter ſe. 3, ad officia ciuium erga extraneos. 4, ad officia erga domeſticos. II

Petrus Gregorius Tholoſanus ſuam de Repub. doctrinam in ſex & viginti libros diſtinxit: ſed nulla in iis reperitur artificioſa Politicæ partitio. III

Danæus in procemio Politicam ſuam Chriſtianam diuidit in ſeptem libros; quorum primus tractat de ipſâ Republicâ, ſeu Politia, eiuſque ſpeciebus: alter, de ciuibus, ex quibus conſtat Reſpublica, primaque eorum educatione & inſtitutione: tertius, de mediis, quibus amplior & ornatior fit Reſpublica: quintus, de legibus, in Republica piâ & benè morata, ſanciendis & ferendis: ſextus, de magiſtratibus, ac primum quidem iis, qui Togati, ſeu pacati vocantur: ſeptimus, de magi- IV

Digitized by Google

V. ſtratibus armatis, ſeu bellicis. Alii verò, vt refert idem Danæus in loco citato, omnia præcepta Politicæ referunt ad tria capita, nempe religionem, iuſtitiam & politiam. Verùm ex his diſtributionibus nulla eſt ſecundum leges logicas, naturamq; artis Politicæ inſtituta & conformata. Præterquam enim quod nulla ex his ſit dichotomica; etiam in eo peccant, quod nulla ex his eſt adæquata ſuo diſtributo, ſed quælibet illo anguſtior.

Diſtributiones ſuperiores examinantur.

Diſtributio propria Authoris.

Omiſſis igitur aliorum partitionibus, mihi videtur omnium optimè diſtribui poſſe in duas partes: quarum prima dicatur συστατική, hoc eſt *conſtitutrix Reipublicæ*: altera, διοικητική, hoc eſt, *eiusdem adminiſtratrix*. Hæc enim diſtributio, 1, cum natura diſtributi conſentit: cum ſit ſumpta ex ſubiecto & fine ipſius proprio & adæquato. 2, habet partes inter ſe diſſentientes & oppoſitas. 3, diſtributo eſt adæquata eoque neque latior, neque anguſtior. 4, eſt bipartita. 5, ipſe Ariſtoteles videtur hanc innuere ſeu potius expreſsè ponere lib. 1. Oecon. cap. 1. cum ait: τῆς πολιτικῆς ἐστι καὶ πόλιν ἐξ ἀρχῆς συστήσασθαι καὶ ὑπάρχουσαν χρήσασθαι καλῶς, hoc eſt, *Politica eſt & ciuitatem ab initio conſtituere & conſtituta bene vti.* Per vſum enim bonum ciuitatis videtur nihil aliud, quam rectam ipſius adminiſtrationem intelligere.

VI. *An Politica rectè diſtribuatur in profanam & Chriſtianam: & quomodo inter ſe differunt?*

Aliorum opinio exponitur & examinatur.

SVnt quidam ex recentioribus, qui Politicam aliam ſtatuunt profanam ſeu Philoſophicam, aliam Chriſtianam. Illam vocant quæ à ge-

gentibus, ſeu Philoſophis profanis eſt conſcripta, adeoque ex principiis naturæ & rectæ rationis deducta. Hanc verò quæ à Chriſtianis hominibus ex principiis ſacræ ſcripturæ eſt concinnata.

Etſi verò hæc diſtributio per ſe non eſt reiicienda; tamen non eſt generis in ſpecies, neque integri in ſua membra; ſed tantum partim effecti in ſuas cauſas; partim ſubiecti recipientis in ſua adiuncta. Non enim eſſentiâ ſpecificâ inter ſe differunt politica profana, ſeu Philoſophica & Chriſtiana; ſed tantum partim cauſis efficientibus proximis, partim adiunctis: quod vna ſit à profanis; altera à Chriſtianis hominibus ſcripta; vna, purior & perfectior; altera, impurior & imperfectior.

Propria ſententia exponitur.

Diſtinguendum igitur ſemper eſt inter politicam diſciplinam, & inter errores quæ ei vitio hominum ſunt admixti. Neque ſtatuendum eſt diuerſam ſpecie politicam eſſe, quæ à Chriſtianis hominibus ex principiis ſacræ ſcripturæ, & quæ à Philoſophis ethnicis ex principiis naturæ & rectæ rationis deducta eſt; cum lex naturæ & recta ratio non repugnet & aduerſetur ſacræ Scripturæ; ſed potius ei conſentiat: ideoque etiam vtriuſq; principia ad concinnandum Politicæ ſyſtema ſint neceſſaria.

VII. *Quomodo Politica à Iuriſprudentia differat?*

Inter Politicam & Iuriſprudentiam eſt magna cognatio.

QVanta eſt cognatio & affinitas Ethicæ cum Theologia; Phyſicę cum Medicina; tãta ne dicam, maior eſt Politicæ cum Iuriſprudentia.

Digitized by Google

Hinc vulgo dici ſolet: *Vbi deſinit Ethicus; ibi incipit Theologus; Vbi Phyſicus: ibi Medicus; Vbi Politicus; ibi Iureconſultus.* Quemadmodum autem propter cognationem & affinitatem illam artium ſæpè contingit vt ea, quæ propriè pertinent ad Ethicam, tractentur in Theologia; & quæ ad Theologiam pertinent, tractentur in Ethicâ: Similiter quæ Phyſicæ ſunt propria explicentur in Medicina; & quæ Medicinæ ſunt propria, explicentur in Phyſica: Ita etiam eandem ob cauſam accidere ſolet vt ea quę pertinent ad Politicam tradantur in Iuriſprudentia; & quæ pertinent ad Iuriſprudentiam, in Politicâ doceantur.

Vt igitur peſſima illa artium diſtinctarum confuſio euitetur; neceſſe eſt vt diligenter inquiratur & explicetur, quomodo Politica à Iuriſprudentia differat; & quibus terminis ac limitibus vtraque ſit circumſcripta.

Ac cum natura artium & diſciplinarum omnium duabus potiſſimum rebus æſtimari ſoleat, nimirum ſubiecto & fine proprio, ac adæquato: Ideoque etiam ab illis differentia eſſentialis & ſpecifica ſumatur; videtur idem hoc loco faciendum quoque eſſe. Quod igitur ſit ſubiectum & finis proprius ac adæquatus Politicæ, id ſatis à me ſupra in quæſtione tertia & quarta fuit explicatum. Reſtat ergò inquirendum, quod ſit ſubiectum finiſque proprius & adæquatus Iuriſprudentiæ. Ac quod ad ſubiectum attinet, de eo quinque inuenio principales

De ſubiecto Iuriſprudentiæ opiniones aliorum recenſentur.

1

les

les opiniones. Prima ſtatuit ſubiectum Iuris-
prudentiæ eſſe perſonas, res & actiones; pro-
pterea quod Iuſtinianus ſtatim ab initio ſua-
rum Inſtitutionum, & Paulus Iureconſultus
lege 1. de ſtatu hominum, omne ius, quo vtimur,
ad tria pertinere docet, perſonas nimirum, vel
res, vel actiones. Altera ſtatuit ſubiectum Iu- 2
riſprudentiæ eſſe leges: propterea quod illa ſit
ars benè interpretandi leges & ad hominum,
in ciuili ſocietate viuentium vſum vtilitatem-
que accommodandi. Tertia ſtatuit ſubie- 3
ctum Iuriſprudentiæ eſſe iura perſonarum &
rerum, quatenus in ciuili ſocietate ſunt con-
ſeruanda: Et propterea, Iuriſprudentiam de-
finit artem iura perſonarum & rerum per a-
ctiones iudiciarias tuendi & conſeruãdi. Quar- 4
ta ſtatuit ſubiectum Iuriſprudentiæ eſſe acti-
ones ciuiles, ſiue quod idem eſt, facta dicta-
que hominum Politica, quatenus lege defi-
niuntur, hoc eſt, iubentur vel prohibentur.
Et ſecundum hanc opinionem Iuriſpruden-
tia eſt ars quæ tractat de actionibus hominum
ciuilibus, quatenus lege definiuntur. Quin- 5
ta & vltima ſtatuit ſubiectum Iuriſprudentiæ
eſſe iuſtum & iniuſtum, æquum & iniquum,
quatenus vnum ab altero in cauſis ciuilibus
eſt diſcernendum. Et ſic Iuriſprudentia eſt
ars diſcernendi in cauſis ciuilibus iuſtum ab
iniuſto, æquum ab iniquo.

Superiores opiniones examinantur.

Cæterum ex his quinq; ſententiis nulla eſt,
ſi modò rectè explicetur & intelligatur, quæ

ſimpliciter ſit reiicienda; cum omnes in recto ſenſu inter ſe conueniant.

Nam prima voce perſonarum & rerum per ſynecdochen ſubiecti occupantis nihil aliud intelligit, quam actiones ciuiles, quæ circa perſonas & res verſantur. In Iurisprudentia enim non agitur de perſonis & rebus abſolutè, quatenus ſunt perſonæ & res: (hæc enim conſideratio alterius artis eſt, quæ earum naturas & principia contemplatur) ſed reſpectiuè, quatenus aliquid agunt & patiuntur, atque in commercium permutationem, vſumque hominum ac Reipublicæ deducūtur: ſeu vt clarius loquar, de perſonis agitur, quatenus poſſidēt, vſu capiunt, tutelam, curāq; gerunt, ſeruiunt aut dominantur, aut quatenus ſunt vel acquirendæ, vel conſeruādæ, vel amittēdæ. Vnde patet perſonas, res & actiones eſſe quaſi fundamenta ex quib. negotia ciuilia, operationesq; & actus hominum inter ſe gignuntur. Quandoquidem negotium aut reſpicit perſonas, & conſtituit ius perſonarum: aut res; & hinc oritur ius rerum; aut vtrumque, cum perſonæ vel inter ſe, vel de rebus contendunt; & hinc oritur ius de actionibus; habentque hæc omnia inter ſe hunc ordinem, vt priores quidem ſint perſonæ ex quibus ſubiectis res veluti ſcaturiunt: ex rebus ipſis perſonisque rurſus actiones emanant.

2 Altera verò opinio ambitu legum ſimul includit actiones ciuiles, de quibus leges feruntur, & in quibus verſantur.

3 Tertia, ambitu iurium ſimul includit actiones ciuiles, quæ iure circumſcribuntur & determinan-

minantur. Quarta ambitu actionum ciuilium ſimul includit, tum leges, quibus illæ vel præcipiuntur, vel prohibentur, tum iura quæ à legibus pendent. Quinta denique ambitu iuſti & iniuſti, æqui & iniqui, ſimul includit actiones ciuiles, quatenus illæ ſunt iuſtæ vel iniuſtæ, æquæ vel iniquæ. Proinde ex his omnibus concludo ſubiectum proprium & adæquatum Iurisprudentiæ eſſe: aut actiones ciuiles, quatenus lege definiuntur. In illis enim explicandis & tractandis tota ars iuridica occupatur. Et hoc etiam teſtatur & prolixè probat *Chriſtophorus Ebemius libro 3. de principiis iuris.*

4

5

De fine Iurisprudentiæ opiniones aliorum recenſentur & diſcutiuntur.

Porrò quod ad finem Iurisprudentiæ attinet, ille ab aliis ſtatuitur, modò iuſtitia, modò iuſtitiæ, ſeu legitimæ æqualitatis conſeruatio, modo iuſtitiæ adeptio & fruitio; modò concordia, tranquillitas, incolumitas, ſalus & felicitas Reipublicæ; modo humanæ ſocietatis conſeruatio. Sed illæ omnes res iam enumeratæ non ſunt finis proprius Iurisprudentiæ; ſed ei cum Politica aliiſque artibus communes. Idcirco alius finis, qui ſoli Iurisprudentiæ conueniat eundemq; à Politica aliiſque artibus diſtinguat, eſt inquirendus. Ille autem videtur nullus alius eſſe, quàm benè interpretari leges & ad eorum qui in ciuili ſocietate viuunt vſum vtilitatemq; accommodare: ſeu, quod idem valet, benè iudicare de cauſis ciuilibus, iuſtumque ab iniuſto, æquum ab iniquo diſcernere. Et hoc etiam indicat Vlpianus Iureconſultus cum inquit: *Ius,* (id eſt, Iurisprudentia) *eſt ars boni & æqui, cuius meritò quis nos ſacerdotes appellat. Iuſtitiam namque*

1

2

3

4

5

Propria ſententia aſſignatur.

colimus, boni & æqui notitiam profitemur, æquum ab iniquo ſeparantes, licitum ab illicito diſcernentes, &c. Nec ab hac ſententia diſſentit amicus & collega olim meus *D. Althuſius*, quando in proœmio ſuæ Iuriſprudentiæ finem Iuriſprudentiæ dicit eſſe ex facto ius ſcitè deducere ac concludere, atque ita de iure ac merito facti in humanâ vitâ iudicare. *Falſus finis refutatur.* Quod autem multi Iuriſprudentiæ dant operam propter χρηματισμὸν, hoc eſt, vt, per cauſarum ciuilium actiones conſiliorumque communicationem diuitias ſibi magnas comparent: ille finis nihil pertinet ad eſſentiam artis iuridicæ; ſed planè eſt accidentarius & heterogeneus; ideoque etiam indignus eſt, qui inter veros fines Iuriſprudentiæ numeretur. Neque tum eſt ipſius Iuriſprudentiæ finis, quam hominum illorum, qui ex corrupto iudicio Iuriſprudentiâ ad alienum finem abutuntur.

CAPVT II.

De definitione Reipublicæ.

PRÆCEPTA.

1 *Conſtitutrix Reipublicæ eſt prima pars Politicæ, quæ explicat modum benè conſtituendi Rempublicam.*

2 *In illa conſideranda veniunt partim natura Reipublicæ, partim eiuſdem ſpecies.*

Natura Reipublicę vnde cognoſcatur.

3 *Natura Reipublicæ cognoſcitur partim ex definitione, partim ex cauſis.*

4 *Reſ-*

Digitized by Google

4 *Reſpublica eſt communitas hominum & rerum ciuilium magiſtratus Politici imperio ſubiecta.* — Reſpublica quid ſit.

I *Quomodo Reſpublica rectè ſit definienda?*

IN aſſignandâ definitione Reipublicæ Philoſophi Politici inter ſe non conſentiunt. Cicero in libro 3. de Repub. teſte Auguſtino lib. 1. De ciuitate Dei, cap. 22, definit Rempublicam ex ſententiâ Scipionis, *quod ſit res populi.* Petrus Gregorius lib. 1 de Republica cap. 1. deſcribit Rempub. *quod ſit rerum & vitæ quædam communitas vnius ſocietatis, quæ efficit vnum quoddam corpus ciuile ex pluribus diuerſis, vt membris compoſitum, ſub vna poteſtate ſupremâ veluti ſub vno capite & vno ſpiritu ad benè & commodius viuendum in hac mortali vita, vtque facilius ad æternam perueniatur.* Bodinus lib. 1, de Repub. cap. 1. definit *Rempub. modò familiarum rerumque inter ipſas communium ſumma poteſtate ac ratione moderatum multitudinem:* modò, *legitimam familiarum & rerum inter ſe communium cum ſumma poteſtate gubernationem.* Caſmannus cap. 1. Politicæ Rempublicam definit *familiarum & collegiorum, ſub vnum & idem imperium collectam multitudinem.* Cæterum ex his definitionibus nulla eſt, quæ eſſentiam Reipublicæ perfectè ac perſpicuè explicet.

Diuerſæ Reipub. definitiones ab aliis traditæ recenſentur. 1 2 3 4

Nam prima, quæ Ciceronis eſt, non eſt definitio realis & perfecta; ſed tantum nominis notatio. Reſpublica enim dicitur quaſi *publica res*, vel, *res ad populum pertinens.* Et cum ad Rempublicam conſtituendam non ſolum

requiratur res populi, tanquam pars materialis & integralis, ſed etiam primario & maximè, ipſe populus: idcirco Reſpublica per rem populi perfectè definiri non poteſt.

2 Altera definitio, teſte ipſo autore, non tam eſt definitio perfecta, quam deſcriptio Reipublicæ: quæ etiam vitioſa eſt partim propter obſcuritatem, ortam ex vocabulis tropicis, partim propter confuſionem rerum, quæ erant diſtinguendæ.

3 Tertia definitio, tametſi à multis approbetur; tamen peccat in eo, quod ſocietatum duntaxat domeſticarum, nempe familiarum faciat mentionem; cum tamen Reſpublica ex aliis particularibus ſocietatibus ciuilibus conſtet.

4 Quarta peccat in eo, quod Rempublicam definit per gubernationem; cum tamen gubernatio non ſit eius genus, vt patet ex præcedente definitione; ſed tantum eiuſdem adiunctum.

5 Quinta peccat in eo, quod Rempublicam ex ſolis familiis & collegiis conſtare arbitratur; cũ tamen ad Rempublicam conſtituendam præter eiuſmodi hominum ſocietatem requiratur etiam rerum ciuilium communitas.

Propria definitio aſſignatur & praedicitur.

Proinde melior & perfectior eſt definitio Reipublicæ ſupra tradita, quâ dicitur *communitas hominum & rerum ciuilium magiſtratus politici imperio ſubiecta.* Conſtat enim illa partim ex genere proximo, quod Græcè dicitur κοινωνία, Latinè *communitas*, ſeu ſocietas: partim ex differentia ſpecifica ſumpta ex materia & forma propria Reipublicæ. Materia enim propria Reipublicæ ſunt homines & res ciuiles. Forma verò eſt ipſa hominum & rerum ciuilium ſubie-

ctio

ctio ſub magiſtratus Politici imperium, vt ſuo loco pluribus docebitur.

2 *An ſit diſcrimen inter Rempublicam, ciuitatem & Politiam?*

REperiuntur nonnulli Philoſophi, qui inter Rempublicam ciuitatem & Politiam non diſcernunt; ſed vnum vocabulum pro altero ſumunt & vſurpant. Etſi verò hæc ſententia ab errore vindicari poſſet, ſi conſtaret illos autores non propriè, ſed tropicè loqui; tamen extra hãc cauſam omninò ſtatuenda eſt & falſa & erronea. Reſpublica enim propriè eſt communitas, ſeu ſocietas tam hominum, quam rerum ciuilium, magiſtratus Politici imperio ſubiecta. Ciuitas verò propriè tantum eſt pars Reipublicæ, nempe ipſa ciuium communitas, ſeu ſocietas, vt infra ſuo loco clarius demonſtrabitur. Politia autem eſt propriè ipſa adminiſtratio, ſeu regimen Reipublicæ, vt in ſecunda parte Politices fuſus dicetur.

Aliorum opinio examinatur.

Diſcrimen inter Rempub. ciuitatem & Politiam exponitur.

CAPVT III.

De fine & efficiente Reipublicæ.

PRÆCEPTA.

1 *Cauſa Reipublicæ alia eſt externa, alia interna.*

2 *Externa alia eſt finis, alia efficiens.*

3 *Finis Reip[ub]licæ alius eſt vltimus, alius ſubordinatus.*

Cauſæ Reipub. explicantur.

De fine Reipub.

4 *Vltimus finis eſt felicitas terrena hominum in ciuili ſocietate viuentium.*

5 *Subordinatus finis alius eſt principalis, alius minus principalis.*

6 *Principalis, partim eſt honeſta & tranquilla ciuium vita: partim veræ religionis iuſtitiæque inter homines propagatio.*

7 *Minus principalis partim eſt pax externa publica, partim legitima aduerſus hoſtium iniurias defenſio; partim bonorum externorum ad vitam ciuilem benè degendam neceſſariorum ſufficientia.*

De efficiente Reipub. 8 *Efficiens Reipublicæ alia eſt prima, alia ſecunda.*

9 *Prima eſt ſolus Deus, qui Adamum & Euam creauit, voluitque vt ex iis genus humanum propagaretur: & ſic primum familiæ; deinde Reſpublicæ diuerſæ conſtituerentur.*

10 *Secunda alia eſt principalis, alia minus principalis.*

11 *Principalis, eſt conſenſus mutuus & legitimus certorum hominum ad vitam ciuilem inter ſe agendam concurrentium, eorumque ſingulorum erga totum corpus ciuile obligatio ad bonum.*

12 *Minus principalis alia eſt impulſiua, alia exemplaris.*

13. *Im-*

Digitized by Google

13 *Impulſiua alia eſt interna, alia externa.*

14 *Interna, eſt Natura quatenus per eam intelligitur naturalis hominum ad ſocietatem & vitam ciuilem inclinatio & propenſio.*

15 *Externa partim eſt vtilitas, hoc eſt, vitæ commoditas: partim neceſſitas, quatenus per eam intelligitur indigentia bonorum ad vitam ciuilem degendam neceſſariorum.*

16 *Exemplaris eſt norma, ſecundum quam Reſpublica eſt inſtituenda & conformanda; cuiuſmodi eſt partim Reſpublica mundana, partim Eccleſia Chriſtiana.*

1 *An finis Reipublicæ ſit benè beateque viuere?*

COmmunis Philoſophorum opinio eſt *finem Reipublicæ eſſe benè beateque viuere.* Illud autem benè beateque viuere ita explicant, vt non tantum ſit iucundè, tutò, commodè & tranquillè viuere: Sed vel inprimis honeſtè iuſteque viuere. Rationes quibus hæc opinio probatur, ſunt hæ præcipuæ: 1, quia finis eſt cauſa cuius gratia finitum eſt. Reſpublica autem ſua natura conſtituitur benè beateque viuendi gratia. 2, quia tota Reipublicæ adminiſtratio hunc ſcopum ſibi debet habere propoſitum, vt homines in ſocietate ciuili

Theſis affirmatiua approbatur.

Ratio. 1

2

Digitized by Google

viuentes, non malè miſereq;, ſed benè beateq; viuant. 3. quia niſi amore & deſiderio bene beateq; viuendi ducti fuiſſent homines, nunquam ad conſtituendam Rempub. coiuiſſent.

Obiectio mouetur.

Cæterum hæc opinio videtur ex *Bodino lib. 1. de Repub. cap. 1.* impugnari poſſe hoc antiſyllogiſmo: Si benè beateque viuere eſt finis Reipub. ſequitur, nullum eſſe, niſi cum ſummâ rerum affluentiâ virtuti locum. 2. Rempub. non eſſe beatam niſi placido mari, ſecundis conſpirantium ventorum flatibus impulſa feratur. 3. Rempublicam cenſeri miſeram, ſi horribilis illam procella ac turbinum vis agitauerit. Sed hæc omnia ſunt abſurda & pugnant cum præceptis Theologorum & Philoſophorum, qui iuſtos, etiamſi omnes fortunæ acerbitates excipiant ſemper beatos; iniuſtos verò etiam in maximis proſperitatibus ſecundiſque rebus infeliciſſimos iudicant.

Ad quorum exemplum etiam Reſpublica beata iudicanda eſt, quæ ad virtutis & honeſtatis normam eſt inſtituta: etiamſi prematur inopiâ, ab hoſtibus obſideatur, ab amicis deſeratur, omnique calamitatum genere obruta videatur.

Reſpondetur ad obiectionem.

Reſpondeo ad antiſyllogiſmum, committi in eo fallaciam conſequentis. Ex antecedente enim hypotheſi non neceſſariò inferuntur tria illa conſectaria: cum felicitas Reipublicæ non neceſſariò requirat ſummam rerum affluentiam fortunæque proſperitatem; ſed potius virtutis honeſtatiſque præſentiam & exercitationem; etiamſi interdum aduerſa fortunâ præter meritum prematur.

2 *An*

Digitized by Google

2 *An ciuilis beatitudo magis in internis quam externis bonis conſiſtat?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: *Pro ſentẽtia affir. Ratio.*
1, quia interna bona magis explent & ſatiant 1
appetitum hominis, quam externa. 2, quia interna bona ſunt ſtabilia & ſuis ipſorum viribus conſeruari poſſunt: Externa autem ſunt caduca variisque modis eripi & corrumpi poſſunt. 2
3, quia externa bona æquè improbis & probis conueniunt: Interna verò proborum ſunt propria. 3
4, quia bonorum externorum abundantia & copia ſæpè hominibus plus nocet, quàm prodeſt. Interna autem ſemper proſunt. 4
5, quia externa bona homines, ſæpius miſeros quàm beatos efficiunt. 5
6, quia externa bona non tam ſunt adiumenta quam ornamenta ciuilis beatitudinis. Notandum autem eſt per bona interna hîc intelligi primariò virtutes morales earumque actiones; Secundariò verò virtutes intellectuales quatenus homines ad virtutes morales præparant & dirigunt. Ideoq; errare Bodinum lib. 1. de Repub. cap. 1. qui ſummum bonum ciuitatis putat in iis poſitum virtûtibus quæ mentis ſunt propriæ, quæq; in ſola contemplatione verſantur. 6 *Error Bodini taxatur.*

3 *An eadem ſit beatitudo ſingulorum ciuium ac totius ciuitatis?*

PRo theſi affirmante faciunt hæc argûmenta: *Pro theſi affir. Argum.*
1, quia totum à partibus, & partes à toto communi bono non debent diſſentire. Ciues autem ſinguli ſunt partes ciuitatis. 1
2, quia quicquid boni vni coniugatorum conuenit, id con- 2

uenit etiam alteri. Sed ciues & ciuitas ſunt coniugata.
3 3, quia ſicut eadem eſt ſanitas totius corporis phyſici & ſingularum eius partium: ita etiam eadem beatitudo totius corporis ciuilis & ſingularum eius partium.
4 4, quia ſicut corpus phyſicum facilè corrumpitur, quando partes vel inter ſe, vel cum toto in communi bono nõ conſentiunt: ita etiam ciuitas, quæ eſt corpus ciuile vergit ad interitum, quando, non eadem eſt illius & ſingulorum ciuium beatitudo.

Pro theſi neg. Argumen.

At pro theſi negante afferri poſſunt hæc argumenta:
1 1, quia bonum publicum differt à priuato; Beatitudo autem totius ciuitatis eſt bonũ publicum; ſicut ſingulorum, eſt bonum priuatum.
2 2, quia experientia teſtatur, nullam ciuitatem ita eſſe florentem & beatam; quin in ea ciues miſeri reperiantur.
3 3, quia idem accidens nõ poteſt eſſe in diuerſis ſubiectis, cuiusmodi ſunt totum & partes.

Quæſtio deciditur.

Pro deciſione quæſtionis ſciendum eſt ſingulorum ciuium beatitudinem aliam eſſe priuatam, aliam publicam: ac de poſteriore quidẽ intellecta quæſtione propoſita theſin affirmatiuam eſſe veram. Neq; obſtant argumenta pro theſi negante allata.

Refutantur arg. pro theſi neg. allata.

1 1, Nam 1. falſum eſt, quod beatitudo ſingulorum ciuium tantum ſit priuatum bonum, & nunquam publicum.
2 2, priuata quorundam ciuium, miſeria conſiſtere poteſt cum publica eorundem felicitate.
3 3, licet idem numero accidens non poſſit eſſe in diuerſis ſubiectis: nihil tamen obſtat, quò minus idem ſpecie accidens poſſit.

4 An

4 *An Deus & Natura rectè dicantur cauſa efficiens Republicæ?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia Deus eſt autor omnis boni: Ergo etiam Reipublicæ, quæ magnum eſt in mundo bonũ. 2, quia Deus & Natura eſt cauſa efficiens ſocietatis domeſticæ, quæ ſeminarium & fundamentum eſt Reipublicæ. Ergò etiam genus Reipublicæ. 3, quia mundus, cuius opifex & architectus eſt Deus, expreſſam imaginem Reipublicæ optimæ & perfectæ continet, eamq; omnibus hominibus ſanæ mentis contemplandam quotidiè proponit. 4, quia homines naturali inſtinctu, inclinatione & propenſione ad ſocietatem ciuilem colendã feruntur. vt in ſequenti quæſt. probabitur. 5, quia Deus & Natura in ipſis beſtiis gregalibus, cuiuſmodi ſunt apes, formicæ, grues, &c. exempla ſocietatis & vitæ ciuilis expreſſerunt, vt iis homines excitarentur ad Rempublicam inter ſe conſtituendam. Et hoc teſtatur etiam Ariſtoteles lib. 2. Politic. cum ait: πᾶσα πόλις φύσει ἐστὶν εἴπερ καὶ αἱ πρῶται κοινωνίαι. τέλος γὰρ αὕτη ἐκείνων. hoc eſt, *Omnis ciuitas natura conſiſtit: Siquidem etiam primæ ſocietates, nempe domeſticæ, natura conſiſtunt. Illa enim eſt harum finis.* Quod ſi verò quis obiiciat, Rempublicam immediatè pendere à mutuo pacto & conſenſu hominum ad vitam ciuilem inter ſe agendam concurrentium: Ideoq; Deo & Naturæ eius efficientiam non eſſe tribuendam. Reſpondeo, vnius effecti poſſe eſſe multas cauſas diuerſi ordinis, & illarũ vnam non excludere aliam; ſed ſingulas in efficiendo amicè conſpirare.

Pro theſi affirm. Ratio. 1 2 3 4 5

Obiectio.

Soluitur obiectio.

Digitized by Google

Errores aliorum taxantur. Errant igitur Epicuræi qui putant homines temerè & fortuitò in ſocietatem ciuilem conueniſſe perinde vt atomi ex ipſorum opinione,
1 temerè ſine vlla naturæ lege vel inſtinctu concurrunt ad cōſtituenda corpora naturalia, quẽadmodum hunc errorem perſtringit & refutat Cicero lib. 2. De natura Deorum.

2 Errant etiam Poetæ, qui fingunt homines initio inſtar pecudum in campis & ſyluis ſoliuagos oberraſſe, donec tandem vi eloquentiæ ad ſocietatem Politicam ineundam fuerint allecti.

5 *An homo ſit animal naturâ Politicum?*

Sententia affir. defenditur. SEntentiam affirmantem defendit Ariſtoteles lib. 1. Politic. cap. 2. cum ait: ἄνθρωπος φύσει πολιτικὸν ζῶον, hoc eſt, *homo naturâ eſt animal ciuile*, hoc eſt, aptum, & propenſum ad ciuilem ſocietatem. Item paulò pòſt: πολιτικὸν ὁ ἄνθρωπος ζῶον πάσης μελίττης, καὶ παντὸς ἀγελαίου ζώου μᾶλλον: *homo eſt animal magis ciuile ſeu ſociale, quam quænis apis & quoduis animal gregabile.* Item, φύσει ἡ ὁρμὴ ἐν πᾶσιν ἐπὶ τὴν τοιαύτην κοινωνίαν. *Naturâ impetus eſt in o-*
I *mnib. ad eiuſmodi nempè ciuilem ſocietatem.* Rationes, quibus hæc aſſertio confirmatur, ſunt hæ præcipuæ: 1, quia homo ſuâ naturâ non eſt αὐτάρκης, hoc eſt, ſufficiens ad benè beateque viuendum. Naſcitur enim in mundum nudus & inermis, omnis conſilii & auxilii expers: Ideoque opus habet aliorum ſubſidiis; vtq; hæc conſequatur, naturæ inſtinctu amans & appetens
2 eſt humanæ ſocietatis. 2, quia propterea Deus & Natura homini præ cæteris animantibus dedit rationem & orationem, vt his præſidiis inſtructus accedat ad colendam ſocietatem ciuilem.

Digitized by Google

lem. 3, quia homo non ſibi ſolum natus eſt; ſed 3
ortus ipſius partem patria, partem parentes, partim amici, partim reliqui mortales, qui ſunt proximi vendicant. Id autē fieri non poſſet niſi 4
in ſocietate ciuili viueret. 4, quia omnis homo aptus natus eſt partim ad imperandum, partim ad parendum, Omnis autem ſocietas ciuilis imperandi & parendi legibus continetur. 5, quia 5
homo qui à ſocietate ciuili alienus eſt, eumque auerſatur & fugit, ille præter communem hominum naturam agit, eique aduerſatur. Vnde Ariſtoteles in loco ſupra citato ait: ὁ ἄπολις διὰ φύσιν, καὶ οὐ διὰ τύχης ἤτοι φαῦλός ἐστιν, ἢ κρείττων ἢ ἄνθρωπος: hoc eſt, *qui extra ciuilem ſocietatem viuit propter naturam, & non propter fortunam is aut improbus eſt, aut præſtantior quam homo.* Item: ὁ μὴ δυνάμενος, κοινωνεῖν ἢ μηδὲν δεόμενος δι' αὐτάρκειαν, οὐθὲν μέρος πόλεως ὥστε ἢ θηρίον, ἢ θεός. *qui non poteſt ſocietatem inire cum aliis, aut illâ non indiget propter ſufficientiam, is non eſt pars aliqua ciuitatis. Itaq; aut beſtia, aut Deus:* hoc eſt, vt nonnulli interpretantur, aut beſtiæ, aut Dei naturam moribus exprimit & imitatur.

Sed contra hanc ſententiam Ariſtotelis obii- *Obiectiones*
ci poſſunt hæc argumenta. 1, Si homo eſt ani- *mouentur.*
mal Politicum τῇ προαιρέσει, hoc eſt, præelectione: 1
ſequitur quod non ſit φύσει tale. Proæreſis enim & natura ſunt oppoſita: Sed verum eſt antecedens: Ergo & conſequens. 2, Si multi homines 2
fugiunt ſocietatem ciuilem, ſequitur vniuerſaliter non eſſe verum, quod bona natura ſit animal Politicum. Sed verum eſt antecedens, vt teſtantur exempla hominum melancholicorū, furioſorum ſceleratorum & eremitarum, qui

ſolitudine delectantur & ab aliorum congreſſibus & conſortiis abhorrent.

Reſpondetur ad obiectiones.

Reſpondeo ad primam obiectionem, φύσιν καὶ προαίρεσιν non ſemper opponi; ſed interdum cõſentire tanquam cauſas ſibi ſubordinatas. 1 Licet enim homo actu fiat membrum ſocietatis ciuilis ex certa proæreſi; nihilominus tamen natura aptus & propenſus natus eſt ad colendam ſocietatem ciuilem.

2 Ad alteram obiectionem reſpondeo, multos quidem homines, puta melancholicos, furioſos & ſceleratos fugere ſocietatem ciuilem; ſed hoc facere præter communem hominum naturam, partim vi morbi iudicium mentis corrumpentis, partim metu pœnæ ex mala conſcientia orto; partim etiam certo quodam conſilio. Ideoque inde concludi non poſſe, hominem ſua natura non eſſe propenſum ad ciuilem ſocietatem.

6 *An vita ſolitaria ſit licita, hominique eligenda?*

Pro theſi neg. Arg.

PRo theſi negante afferri poſſunt hæc argumenta. 1 1, quia vita ſolitaria pugnat cum natura hominis, qui natus eſt aptus & propenſus ad ſocietatem ciuilem, vt patet ex præcedente 2 quæſtione. 2, quia pugnat cum fine hominum; qui hominum cauſa creati ſunt & generati, vt ipſi inter ſe alii aliis, prodeſſe poſſint, communesq; vtilitates in medium afferre, mutatione officiorum, dãdo, accipiendo, tum artibus, tum opera, tum facultatibus, deuincire hominum 3 inter homines ſocietatem. 3, quia pugnat cum 4 vita, ſociali, quam Deus & natura approbat. 4, quia

quia pugnat cum fine ſocietatis ciuilis, quæ eſt felicitas terrena hominum in ea viuentium: ſiquidem homines efficit miſeros neceſſariiſque vitæ præſidiis deſtitutos. Idcirco etiam Ariſtoteles lib. 9. Ethic. Nicomách. ait difficilem eſſe ſolitariam vitam. 5, quia impedit officiorum, operarum, aliarumq; rerum ad benè viuendum neceſſariarum communicationem, quæ vinculum eſt humanæ ſocietatis. Vnde rectè Syracides inquit capit. 2. *virum ſapientem qui operam denegat Reipublicæ, eſſe theſaurum abſconditum neminique prodeſſe.* 6, quia pugnat cum natura ſapientis & probi viri, qui, teſte Hieronymo contra Iouianum nunquam ſolus eſſe poteſt. 7, quia impedit vſum & exercitationem virtutum moralium, præſertim homileticarum. 8, quia maiorem licentiam peccandi homini concedit & feneſtram aperit tentationibus diabolicis. Hinc Seneca epiſt. 61. rectè ait: *Omnia nobis mala ſolitudo perſuadet. Nemo eſt cui non ſanctius ſit cum quolibet eſſe, quam ſecum.*

Et Bernhardus ad Sophiam virginem ait: *Malum quod nemo videt, nemo arguit: vbi non timetur reprehenſor, ſecurius accedit tentator, licentius perpetratur.*

Pro theſi affir. Arg.

Contra pro theſi affirmante produci queunt hæc argumenta: 1, quia vita ſolitaria auocat hominem à tumultibus & curis rerum mundanarum, eique mentis tranquillitatem & ſecuritatem affert. 2, quia hominem aptum reddit ad benè contemplandum res naturales, humanas & diuinas. 3, quia hominem ab improborum congreſſu & conſortio abſtrahit

& ne contagione illorum inficiatur, prohibe
Vnde Auguſtinus in lib. de ſingularitate cle
corum inquit: *Minus voluptatibus ſtimulatur,q*
non eſt, vbi frequentia voluptatum: & minus a
ritiæ moleſtias patitur, qui diuitias non videt. Ite
Ioh. Chryſoſtomus ſuper Matthæum: *Si*
difficile eſt, arborem iuxta viam poſitam fructus
maturitatem ſeruare: ſic difficile eſt virum iu
hunc mundum viuentem, id eſt, *in actibus mu*
iuſtitia immaculatum vſque ad finem tenere. Rec
ergo de via & planta te, in loco ſecreto, vt nec mun
tecum aliquid habeat commune, nec tu cum mun
4 4, quia virtutis & pietatis ſtudium, acuit, e
citque vt homo omnibus cupiditatibus mu
danis valedicat, animumque duntaxat in reru
cæleſtium cogitatione, & cura occupatum h
beat. Idcirco etiam Chriſtus, quoties orare v
luit, perrexit in montes & loca deſerta & rem
ta ab hominum congreſſu, vt hiſtoria euange
5 ca teſtatur. 5, quia non tantum Philoſophi m
ti vt Pythagoræi, ſed etiam multi probi &
homines vitam ſolitariam potius quam ſoc
lem & ciuilem elegerunt & ſectati ſunt, vt
ſtatur exemplum Eliæ, Iohannis Baptiſtæ &
liorum, qui monachi & eremitæ dicti fueru
Et propterea etiam epiſtola ad Hebræos cap.
v. 38. aſſerit, multos ex fidelibus olim in de
tis erraſſe, inque montibus & ſpeluncis &
uernis terræ vixiſſe, quibus indignus erat n
dus. Hinc Hieronymus epiſt. 72. ait: *Mihi*
dum carcer eſt, & ſolitudo paradiſus.

Quæſtio deciditur per diſtinctionẽ. Cæterum vt veritas huius quæſtionis rect
intelligatur, videtur excutiẽda eſſe ambigu

Vita ſolitaria eodem modo non ſumitur.

vitæ ſolitariæ. Hæc enim, quandoque ſumitur
pro vita cælibe vitæ coniugali oppoſitâ: quan-
doque, pro vita contemplatiuâ oppoſitâ vitæ
actiuæ eorum, qui negotiis mundanis ſiuę œco- 1
nomicis, ſiue ciuilibus ſeſe implicant: in iiſque 2
omnes ſuas cogitationes & curas fixas habent:
quandoque pro vita contemplatiuâ oppoſitâ
vitæ actiuæ eorum, qui ſola rerum cognitione 3
non ſunt contenti; ſed eum ad praxin & vſum
vel ſuum vel aliorum transferunt: quandoque 4
pro vitâ priuatâ, oppoſitâ vitæ ſociali tam do-
meſticæ, quam ciuili.

In prima & ſecunda ſignificatione vita ſolitaria eſt licita hominique eligenda; ſi modo dono continentiæ à Deo ſit inſtructus, contempleturque res vtiles, & neceſſarias. Neutra enim vita impedit, quo minus homo in ſocietate ciuili viuere poſſit. In tertia & quarta ſignificatione vita ſolitaria non eſt licita, hominique eligenda, præſertim ſi ſit continua & perpetua: tum, quia vana & inanis eſt omnis rerum contemplatio & cognitio, quæ ad nullam vnquam praxin & vſum transfertur: tum, quia vita priuata, quæ oppoſita eſt vitæ ſociali tam domeſticæ, quam ciuili, pugnat non tantum cum naturâ & fine hominis & ſocietatis ciuilis; ſed etiam cum ordinatione diuinâ naturaque ſapientis, quemadmodum patet ex argumentis pro theſi negante allatis. Quô etiam ſpectat illud Eccleſiaſtæ cap. 4. v. 5. & 7. *Meliores ſunt duo quam vnus: quia eſt ipſi præmium bonum ex labore ſuo. Nam ſi cadant eorum vnus, erigit ſocium ſuum. Væ autem illi vnico qui ceciderit; cum non adſit ſecũdus ad erigendum illum.*

7 An Reſpublica mundana & Eccleſia Chriſtiana recte dicantur cauſa exemplaris Reipublicæ ciuilis?

Theoremata quædam traduntur.

VT hæc quæſtio rectius explicetur, notanda ſunt aliquot theoremata: 1, Rempublicam
1 aliam eſſe legitimam, aliam illegitimam. 2, Rem-
2 publicam legitimam aliam eſſe vniuerſalem, ali-
3 am particularem. 3, vniuerſalem eſſe ſocietatem omnium creaturarum tam viſibilium, quam inuiſibilium ſolius Dei tanquam ſupremi monarchæ imperio ſubiectarũ. Et quia illa totius mundi ambitu comprehenditur, propterea ab aliis dici mundanam; ad eamq; reſpexiſſe Socratem, cum interrogatus *cuias eſſet*: reſpondit. *ſe mundanum eſſe.* Item Ciceronem lib. 1. de Republica, cum eam vocat Rempublicam magnam, & verè publicam, qua Dii atque homines continentur, in qua non ad hunc angulum reſpicimus, aut ad illum, ſed terminos ciuitatis noſtræ cum Sole metimur. Item Chryſoſtomum, cum ait: *Orbis terrarum communis ciuitas eſt.* Diſtinguimur ſitu loci ſub communi tecto viuentes,
4 concaui magni cæli. 4, particularem Rempublicam aliam eſſe ſacram ſeu ſpiritualem, aliam
5 ciuilem, ſeu ſecularem. 5, ſacram aliam eſſe ſocietatem bonorum angelorum; aliam piorum & iuſtorum hominum, quæ modò Eccleſia, ſeu ciuitas Dei, modò Eccleſia Chriſti nuncupari
6 ſolet. 6, ciuilem eſſe ſocietatem, ſeu communitatem certorum hominum & rerum ciuilium magiſtratus Politici imperio ſubiectam. 7, Illegitimam Rempublicam aliam eſſe ſocietatẽ

malo-

malorum angelorum aduerſus Deum rebellantium; aliam ſocietatem impiorum & iniuſtorum hominum tyrannico Diaboli imperio ſubiectam, quæ dicitur *ciuitas*, ſeu *ſynagoga diaboli*.

His præcognitis, iam ſtatuo theſin affirmantem quæſtionis eſſe veram. Ratio eſt; quia cauſa exemplaris nihil aliud eſt quam imago ad cuius imitationem effectum aliquod eſt & formandum. Iam autem tam Reſpublica mundana quam Eccleſia Chriſtiana eſt imago ſolida & perfecta, ad cuius imitationem omnis Reſpublica ciuilis, ſi modo debet eſſe vera & legitima, eſt efformanda. Illa enim, vt ante dixi, eſt ſocietas omnium creaturarum tam viſibilium quam inuiſibilium, ſolius Dei, tanquam ſupremi Monarchæ imperio ſubiecta. Hæc verò eſt ſocietas piorum & iuſtorum hominum Dei & Chriſti imperio ſubiecta. In vtraque eſt ſumma concordia ciuium, ſummaque bonorum inter ipſos communio. Vtraque conſtat ex imperante & ſubditis. Vtraque quam optimis legibus regitur & gubernatur, ad finemque ſuum proprium dirigitur. Itaque optima eſt illa Reſpublica ciuilis, quæ ad mundanam Rempublicam & Eccleſiam Chriſtianam ſimilitudine quadam proximè accedit. *Theſis affirmatiua defenditur.*

8 *An vis & cupiditas imperandi rectè ſtatuatur cauſa efficiens Reipublicæ?*

SEntentiam affirmantem defendit Bodinus lib. 1. *de Repub. cap. 6. & lib. 3. cap. 7.* Argumenta ipſius ſunt: 1, quia primum genus humanum *Protheſis neg. Bodini Arg.* 1

rapinis, cædibus & latrociniis fuit deditiſſimum nihilque prius habuit, quam graſſari, obuios quoſque ſpoliare, diripere, occidere aut imbecilliores in ſeruitutem redigere. Et hoc teſtatur exemplum Nimrodi, Chami nepotis, qui primum omnium homines ſub imperium ſibi ſubiunxit, ac dominatus fundamenta in Aſſyriâ iecit. Vnde etiam *robuſtus venator* dictus eſt, quo nomine Scriptura ſacra prædonem, ſeu latronem
2 intelligi voluit. 2, quia priuſquam vlla Reſpublica eſſet, quiſque vſus eſt plenâ & à naturâ tributa libertate viuendi vt vellet. Poſteaquam verò vis & imperandi cupiditas vna cum auaritia, & vltionis cupiditate aliis in alios arma ſuppeditauit: illa libertas eſt adempta hominibus & victi coacti ſunt potentiorum libidini ſeruire, eorumq; imperium agnoſcere.

Sententia Bodini refutatur Ratio. Sed hæc ſententia Bodini videtur non eſſe concedenda & approbanda: 1, quia pugnat cũ
1 veris cauſis efficientibus & finalibus Reipublicæ ſupra à nobis traditis. 2, quia pugnat cum
2 aliis Bodini aſſertionibus, vt cum *lib. 1. de Repub. cap.* 1. ait: *Hæc primordia ſunt naſcentis Reipublicæ, vt ſcilicet ea parentur, ſine quibus viui nullo modo poſſit: deinde, quærantur ea, quibus commodius viuatur.* Item lib. 3. cap. 5. *Omnium ciuilium ſocietatum origines à familia deriuantur, quæ ipſa naturalis eſt ſocietas & ab ipſo naturæ parente principio generis humani fundata.* Cum autem ratio diuinitus nobis inſita feciſſet hominem, hominum appetentem, cumque his ſermone & vſu congruentem; eadem fecit, vt profectus à caritate domeſticorum ac ſuorum curreret longius &

propa-

propagatione familiarum gauderet. Cum item familiæ à prima ſui origine ſenſim diſcederent, ciuili ſocietatẽ naturalem placuit imitari. Eſt enim Reſpublica ciuilis ſocietas, quæ ſine familia per ſe ipſa ſtare non poteſt. Item paulò pôſt: Ab vnius familiæ radice, quam Deus immortalis conſeuerat, quaſi ſtirpes primum fuerunt propagatæ, quibus domicilia tectaque ſibi, vt ab iniuria cæli & ferarum, animantium tutiores eſſent, ædificare neceſſe fuit. Et cum in eam multitudinem excreuiſſent, vt eadem regione, contineri non poſſint; quippe domorum coniunctione vicos, deinde vicorum continuatione pagos auxiſſent, aliò proficiſci ac nouas ſedes quærere oportuit. 3, quia Bodinus confundit Rempublicam cum imperio, quo illa adminiſtratur. Huius enim cauſa efficiens interdum eſt vis & cupiditas imperandi: illius autem, nunquam: 4, quia teſte Herodoto, Ariſtotele, Demoſthene & Cicerone à principio reges ob ſummã integritatis ac iuſtitiæ opinionẽ principatum adepti ſunt. 3

Refutantur argumenta Bodini.

Quod igitur ad argumenta à Bodino allata attinet, illa videntur petere principium, & non probare id, quod eſt probandum. Nam 1. genus humanum primum rapinis, cædibus & latrociniis fuiſſe deditiſſimum, id falſum & pugnat, cũ communi ſapientum opinione, qui exiſtimant, quo propius homines abfuerint ab origine mundi, eo fuiſſe iuſtiores & incorruptiores. Ideoque etiam eorum *ſeculum aureum* nominarũt. 2, falſum eſt, vnicuique homini à natura tributam eſſe plenam libertatem viuendi vt velit. Li-

C

cet enim homines ab origine mundi non ſemper leges poſitiuas & ſcriptas habuerint, ſiue diuinas, ſiue humanas; tamen ſemper habuerunt naturales & non ſcriptas, ad quas ſeruandas fuerunt obligati, etiam antequam vlla Reſpublica
3 ciuilis fuit conſtituta. 3, concesſo vtroque argumento tanquam vero, tamen inde probari non poteſt, vim & cupiditatem eſſe cauſam efficientem Reipublicæ; ſed tantũ imperii acquiſitionẽ interdũ auri & cupiditate imperandi pepẽdiſſe.

9 *An quilibet conſenſus hominum ad vitam ſocialem inter ſe degendam ſe obligantium ſit cauſa efficiens Reipublicæ?*

Pro theſi neg. ratio.

STatuitur theſis negatiua. Rationes ſunt: 1,
1 quia ad conſtituendam Rempublicam verã & legitimam requiritur. Primum vt homines conſentiant, ſiue tacitè, ſiue expreſſe in cohabitationem certo loco: cui opponitur migratio de loco in locum, præſertim perpetua. Ideoque inter Zigaros & Hamaxobios non eſt vera Reſpublica. Deinde vt ſinguli tanquam membra ſeſe obligent erga totum corpus ciuile, præſertim corporis illius caput, nempe magiſtratum. Ideoq; inter Cyclopes, vbi nemo alteri vult eſſe obligatus, nulla fuit Reſpublica. Tertiò, vt obligatio illa fiat ad bonum non tantum vtile, ſed
10 vel maxime honeſtum & iuſtum. Solum enim bonum congregat & vnit: malum verò omne diſſipat & diſſoluit. Hinc inter latrones & prædones, qui latrocinandi animo coeunt & cohabitant, nulla poteſt conſtitui Reſpublica. Deniq; requiritur vt inter eiuſmodi homines iuſta ſit & æqualis tam bonorũ, quam malorũ publicorum cõmunio. 2, Quia

2. Quia ſi conſenſus quilibet hominum cohabitandi gratia in vnum locum confluentium eſſet cauſa efficiens Reipublicæ; ſequeretur etiam inter fures, latrones aliosq; ſceleratos homines poſſe veram Rempublicam cõſtitui. Sed conſequens eſt falſum & abſurdum: Ergo & antecedens. 2

10 *Vtrum in ſtatu innocentiæ futuræ fuiſſent Reſpublicæ?*

SEnſus quæſtionis eſt, vtrum, ſi primi parentes noſtri non peccaſſent, ſed manſiſſent in ſtatu innocentiæ, in quo erant à Deo creati, futuræ fuiſſent Reſpublicæ ciuiles?

Argumenta pro theſi negante ſunt; 1, quia in ſtatu innocentiæ totum genus humanum à ſolo Deo fuiſſet gubernatum, ſine humanis legibus & conſiliis. Idcirco etiam Plato in Politico disertè ſcribit in prima illa feliciq; hominum ætate, quæ *aurea ætas* & *ſeculum Saturni* ab eo nominatur, nullas vel conſtitutas vel conſtituendas fuiſſe Reſpublicas. Cui etiam ſuffragantur Poetæ, præſertim Heſiodus lib. 1. Operum & dierũ, & Ouidius lib. 1. Metamorph. qui mentem Heſiodi expreſſit his verſibus. *Pro theſi neg. Arg. 1*

Aurea prima ſata eſt ætas, quæ vindice nullo
Sponte ſua ſine lege fidem, rectumq; colebat.
Pœna, metusq; aberant: nec vincla minantia fixo
Ære ligabantur; nec ſupplex turba timebat
Iudicis ora ſui, ſed erant ſine iudice tuti.

2, quia tunc homines ſponte quilibet ſuum feciſſet officium, neq; opus fuiſſent, vt legib. magiſtratus Politici aut metu pœnæ ad faciendum officium fuiſſent compulſi. 3, quia tunc nulla 2 3

Digitized by Google

fuiſſet impietas & iniuſtitia in mundo, quæ à Magiſtratu Politico eſt punienda & coercenda: & ſic etiam nulla fuiſſet libido regnandi vel cupiditas lædendi vel offendendi alium, propter libidinem dominandi & regendi.
4 4, quia Rerumpublicarum conſtitutio eſt maledictio, ſeu iuſta peccati pœna à Deo hominibus impoſita ac primæua illius libertatis labes & diminutio.

Pro theſi affir. Arg. Argumenta pro theſi affirmante ſunt: 1, quia etſi homo manſiſſet in ſtatu innocentiæ; tamen
1 propagato genere humano neceſſariò ex diuerſis familiis, ſeu ſocietatibus domeſticis hominum hinc inde per totum terrarum orbem diſperſis fuiſſent conſtituendæ diuerſæ ſocietates
2 ciuiles, ad vitam ciuilem melius & commodius inter ſe agendum. 2, quia Deus non immediatè rexiſſet ſingulos cœtus generis humani; ſed mediatè per magiſtratus cuilibet ciuili ſocietati
3 præpoſitos. 3, quia etiamſi leges & magiſtratus ciuiles non fuiſſent opus ad coercendam improbitatem & iniuſtitiam hominum, tamen opus fuiſſet ad tuendam & regendam ſocietatem hominum, vt vnuſquiſque ſciret, quid ſui eſſet officii, & ad id etiam faciendum magis magisq; excitaretur. Et propterea etiam ipſe Deus primis parentibus noſtris adhuc in ſtatu innocentiæ conſtitutis legem tradidit de non comedẽ-
4 do fructu arboris vetitæ. 4, quia homo naturâ eſt animal Politicum: Ideoque extra ſocietatem ciuilem commodè viuere non potuiſſet etiam in ipſo ſtatu innocentiæ. Nam quod quidam aſſerunt ſingulos homines ante lapſum tantum commoditatis obtinere potuiſſe quantum

tum iam vix plurimorum conuentus conferre poteſt: Ideoque mutuo auxilio non indiguiſſe, id commentum eſt merito irridendum & explodendum. 5, quia Reipublicæ conſtitutio eſt res abſolutè & per ſe bona: Ideoque etiam in ſtatu integritatis locum habuiſſet. 6, quia propterea Deus in paradiſo matrimonium inter Adamum & Euam ſanciuit & ordinauit, vt illud eſſet primordium familiæ, ſeu ſocietatis domeſticæ: & hæc primordium ac ſeminarium Reipublicæ. 7, quia ſicut inter angelos bonos locũ habet aliqua Reipublicæ forma: ita etiam inter homines locum habuiſſet, etiamſi non peccaſſent.

Sententia negatiua improbatur, affir. approbatur.

Cæterum ex his duabus contrariis ſententiis prior videtur reiicienda; poſterior verò approbanda: ſiue per Rempublicam propriè intelligatur ſocietas hominum & rerum ciuilium magiſtratus Politici imperio ſubiecta, vt ſupra fuit definita; ſiue improprie ipſa Politia, hoc eſt, ratio adminiſtrandi Rempublicam, quæ imperandi & parendi legibus continetur, vt Danæus accipit *lib. 1. Polit. cap.* 4. vbi eandem quæſtionem prolixè tractat.

Refutantur arg. pro theſi neg. allata.

Nam quod ad argumenta attinet pro theſi negante allata, illa laborant vitio partim petitionis principii, partim inconſeqentię Primum 1 enim incertum eſt & dubium verũm in ſtatu innocentiæ totum genus humanum Deus fuiſſet immediatè gubernaturus ſine legibus & conſiliis humanis. Ac etiamſi id concederetur; inde tamen non ſequeretur, nullam tunc futuram fuiſſe Politiam; cum Deus illam potuiſſet ſuis

Digitized by Google

legibus ſancire: multo minus nullam futuram
fuiſſe Rempublicam, hoc eſt, communitatem
hominum & rerum ciuilium. Deinde ex eo,
2 quod homines ſponte feciſſent ſuum officium,
3 nullaq; fuiſſet in mundo improbitas & iniuſti-
tia, non firmiter concludi poteſt, non opus fuiſ-
ſe vel magiſtratu Politico vel ipſa Republica.
4 Deniq; falſum eſt Rerumpublicarum conſtitu-
tionem eſſe pœnam peccati; niſi quis per Remp-
pub. intelligat Politiam ſeu dominationem in-
iuſtam Tyrannorum, cui multi populi ob ſua
peccata ſunt ſubiecti.

CAPVT IV.

De materia Reipublicæ, & primum quidem de populo eiusq; partibus.

PRÆCEPTA.

1 *Fuerunt cauſæ externæ Reipublicæ. Sequuntur internæ, quæ ſunt materia & forma.*

De materia Reipub.

2 *Materia Reipublicæ partim eſt populus, partim res populi.*

Populus quid ſit.

3 *Populus, eſt cœtus ciuilis & vniuerſalis hominum communis ſalutis cauſa conſociatus. Alio nomine dicitur* ciuitas.

4 *In eo conſideranda veniunt duo, partes & ordines.*

De partib. populi.

5 *Partes populi aliæ ſunt ſimplices, aliæ compoſitæ.*

6 *Simplices partes ſunt homines, ex quibus populus conſtat.*

7 *Com-*

Digitized by Google

7 *Compoſitæ partes ſunt quæ ex ſimplicib. coſtant.*

8 *Suntq; partim familiæ, partim collegia diuerſa.*

9 *Familiæ aliæ ſunt domeſticæ & priuatæ, aliæ ciuiles & publicæ.* De Familia

10 *Domeſtica familia eſt ſocietas particularis hominum ſub vnius Patrufamilias imperio viuentium.*

11 *Ciuilis familia vel eſt cognatorum, vel affinium.*

12 *Familia cognatorum eſt ſocietas particularis hominum ab vna ſtirpe per generationis naturalis ſucceſſionem ortorum, idemq; nomen gentilitium vſurpantium.*

13 *Eius gradus alii ſunt ſuperiores, alii inferiores, alii collaterales: Et hi iterum vel æquales, vel inæquales, de quibus Iureconſulti in arbore quam vocant* conſanguinitatis *ſunt conſulendi.*

14 *Familia affinium eſt ſocietas hominum affinitatis vinculo inter ſe colligatorum.*

15 *Collegium eſt ſocietas ciuilis & particularis hominum eiuſdem conditionis.* De collegio

16 *Eius partim cauſæ, partim ſpecies ſunt explicandæ.* Cauſæ collegii exponuntur.

17 *Finis collegii eſt commune bonum, cuius promouendi, conſeruandi & augen-*

Digitized by Google

da gratia collegæ congregantur.

18 Efficiens eſt legitimus conſenſus hominũ ad collegialem ſocietatem & vitam inter ſe colendam coeuntium.

19 Materia ſunt ipſi homine[illegible] [illegible]uibus collegium integrum conſtituitur; [illegible]auciores tribus eſſe nequeunt.

20 Inter hos vnus eſt ſuperior, qui dicitur Præſes, ſeu Præfectus, ſeu Magiſter, ſeu Princeps collegii, ſiue, Primicerius; reliqui inferiores.

21 Forma eſt collegarum inter ſe vnio mutuaq; ad præſtandum debita officia & auxilia obligatio, quæ certi boni communionem ſecum trahit.

Species collegii enarrantur.

22 Sic de cauſis collegii. Species verò eiusdem ſunt, quod aliud eſt ſacrum, aliud profanum.

23 Sacrum collegium eſt cœtus hominum rerum ſacrarum gratiâ ſocietas.

24 Eſtq; vel eccleſiaſticum vel ſcholaſticum. quorum illud religionis; hoc literatæ doctrinæ & probitatis propagandæ & conſeruandæ gratia conſtituitur.

25 Profanum collegium eſt cœtus hominum ſecularium, ſeu ciuilium rerum gratia ſociatus.

26 Eſtque aliud primarium, aliud ſecundarium.

27 Pri-

Digitized by Google

27 *Primarium eſt, quod ſpectat ad magiſtratum cuiuſmodi eſt collegium conſulum, ſenatorum, iudicum, &c.*

28 *Secundarium eſt, quod concernit ſubditos, cuiuſmodi eſt collegium mercatorum, opificum & id genus aliorum hominum; Idque vulgo dicitur* tribus, *ſeu* tribunitium collegium.

1 *Quid ſit materia Reipublicæ?*

IN aſſignanda materiâ Reipublicæ Philoſophi Politici inter ſe non conſentiunt. Aliis enim ſunt ſinguli homines in vrbibus degentes: propriè tamen & proximè ciues; aliis familiæ & res inter ipſas communes; aliis familiæ & collegia; aliis naturales ſocietates hominum; aliis res ipſę publicæ circa quas verſatur forma adminiſtrationis publicæ ſeu Reipublicæ, ſiue ſint corporales, ſiue incorporales, ſiue diuinæ, ſiue humanæ: aliis hominum multitudo & ipſa regio; aliis homines & res ciuiles. Et ſi verò nulla ex quinque prioribus opinionibus ſimpliciter eſt reiicienda; propterea quod vnaquæq; materiam Reipublicæ, ſi non perfectè, ſaltem imperfectè exprimit; tamen poſtrema ob perfectionem maximè videtur approbanda. Et cum hac etiam planè conſentit noſtra ſententia in præcepto ſecundo huius capitis expreſſa, quando materia Reipublicæ dicitur partim populus, partim res populi. Reſpublica enim, non tantum conſtat ex hominibus ciuilibus, quorum multitudo cógregata dicitur populus; ſed ſimul etiam ex reb,

De materia Reipub. aliorum opiniones recenſentur & inter ſe conciliantur.

1 2 3 4 5 6 7

quas homines ciuiles inter ſe communes habent, & quæ ad ciuilem ſocietatem rectè inſtituendam & conſeruandam ſunt neceſſariæ & conducibiles.

2 *Quid ſit populus, & num à ciuitate & plebe differat?*

Diuerſæ populi definitiones exponuntur & refutantur.

DIuerſæ definitiones populi apud Philoſophos reperiũtur. Aliis enim eſt cœtus iuris conſenſu & vtilitatis communione ſociatus; aliis multitudo hominum iuris conſenſu & concordi communione ſociata ſeu firmata; aliis cœtus hominum communis ſalutis cauſa conſociatus. Verum ex his definitionib. quælibet videtur latior eſſe ſuo definito; cum & familiæ & collegio competere poſſit. Itaq; melius eſt, vt definiatur populus cœtus ciuilis & vniuerſalis hominum communis ſalutis cauſa conſociatus. Dum enim dicitur *cœtus ciuilis*, diſtinguitur à familia, quatenus cœtus eſt domeſticus. Similiter dum dicitur cœtus vniuerſalis, diſtinguitur à collegio, quod eſt cœtus ciuilis particularis.

Propria populi definitio aſſignatur.

Diuerſæ ciuitatis definitiones recenſentur & excutiuntur.

Porrò ciuitas definitur modò cœtus hominũ iure ſociatus; modò cœtus omnium ciuium ſub eiusdem imperii ſumma poteſtate; modò ciuium coniunctio & ſocietas; modò multitudo ciuium: modò multitudo domorum agro & pe-
1 cuniis ſufficienter abundans ad bene viuendũ:
2 modò ſocietas perfecta ex pluribus pagis con-
3 ſtans: modò rationalium animantium multitu-
4 do legis vnius ſocietate deuincta; modò vni-
5 uerſitas ciuium in vrbe eadem habitantium eodem communicationis iure contenta. Ex quibus definitionibus ſi priores quatuor & poſterio-

Populus & ciuitas quo reſpectu inter

riores duæ conſiderentur, videtur inter populum & ciuitatem nihil eſſe diſcriminis: Si vero reliquas duas intermedias ſpectes, & quidem ſecundum corticem verborum videtur populus à ciuitate differre. Interim ſi medullam verborum & mentem autoris, nempe Ariſtotelis conſideres, qui per domos & pagos non intelligit ibi ædificia, ſed ſocietates hominum domeſticorum & paganorum, vt patet ex definitione domus & pagi quam idem Philoſophus lib. 1. Polit. cap. 1, tradit: Ita populus & ciuitas propriè dicta inter ſe non differunt. Quod autem ad plebem attinet, illa à populo differt tanquam totum à parte. Populus enim qui Græce δῆμος dicitur, à δέω *ligo*, quod certis legibus ſit colligatus, complectitur omnes ordines hominum, ex quibus Reſpublica conſtat. Plebs verò, quæ Græce dicitur modò πλῆθος, ***multitudo***, ſeu, *vulgus*, modò ὄχλος, ***turba*** viliorem tantum partem & ordinem hominum continet & ſignificat. Vnde etiam plebei à patritiis & nobilibus aliisq; in autoritate conſtitutis ciuibus diſtingui ſolent; tametſi interdum etiam in impropria ſignificatione populus ſumatur pro plebe & vir popularis pro plebeio.

ſi non differant.

Populus & plebs inter ſe differunt.

3 *An populus conſtet ex hominibus eiusdem familia?*

SVatuitur theſis negatiua. Non enim vna familia; ſed ad minimum tres familiæ neceſſariæ ſunt ad conſtituendam ciuitatem, teſte Bodino lib. 1. de repub. capit. 2. vbi etiam aſſerit

Sententia negat. ſtatuitur.

Digitized by Google

inde Apuleio ac veteribus contritum illud ac peruagatum extitiſſe: quindecim perſonis populum conflari. Siquidem quinque perſonis integra familia conſtituitur. Ter autem quinq; efficiunt quindecim.

Obſeruatio. Vbi tamen notandum eſt per familiam in hac quęſtione intelligendam eſſe non familiam ciuilem & publicam; ſed domeſticam & priuatam. Illa enim cum multas familias domeſticas ſub ſe complectatur, poteſt populum conſtituere.

4 *Quid ſit collegiũ & ex quot q̃buſq; hominib. cõſtet?*

COllegium modo definitur legitima trium pluriumuè perſonarum eiuſdem conditionis conſociatio: modò particularis Politica ſocietas, quâ iure collegii certi homines & gratiâ honeſtorum exercitiorum ad humanum tuendum conuictum coniunguntur & coeunt: modò conſociatio ciuilis ac priuata, qua pauci quidam eiuſdẽ artis, vitæ & ſtudii & profeſſionis homines, ad commune quid inter ſe in eo munere, vitæ genere, vel in ea arte, quam profitentur, ſimul habendum, conſociantur: modò cœtus collegarũ in Republica iure ſociatus.

Diuerſæ collegii definitiones inter recenſentur & inter ſe conciliantur.

1 2 3 4

Quæ definitiones omnes ſenſu conueniunt cum ea, quæ in præceptis eſt expreſſa: niſi quod in prima & tertia genus videatur eſſe illegitimum; propterea quod conſociatio propriè ſignificet motum ſiue actiuum ſiue paſſiuum & non niſi per metonymiam cauſæ efficientis ſumatur, pro ipſa ſocietate.

Etſi verò numerus collegarum certò definiri non poteſt; tamen pauciores tribus collegium

con-

conſtituere non poſſunt. Illæ autem perſonæ debent eſſe eiuſdem conditionis, hoc eſt, eiuſdem vitæ generis officii, artis, ſtudii & profeſſionis, eodemque fine congregatæ. Neque obſtat quod *Bodinus lib. 3. de Republica cap. 1.* ait, ***neceſſe non eſſe collegas eadem conditione eſſe.*** Hæc enim aſſertio manifeſtè pugnat cum definitione collegii ab eodem traditæ, niſi vocabulum conditionis in aliâ ſignificatione accipiat. *Error Bodini taxatur.*

5 ***An legitimus conſenſus collegarum ſit cauſa efficiens, & quidem procreans collegii?***

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia collegium non eſt naturalis ſocietas, ſed ciuilis. Omnis autem ciuilis ſocietas pendet à voluntate & conſenſu legitimo eorum, quæ ad ciuilem vitam inter ſe agendam coëunt. Dicitur autem *conſenſus legitimus*, vt diſtinguatur ab illegitimo; cuiuſmodi ſolet conſtituere conuenticula coniuratorum latronum, aliorumq; flagitioſorum hominum. 2, quia mutuus & legitimus diſſenſus collegarum eſt cauſa corrumpens collegii: Ergò vi contrariorum, legitimus eorundem conſenſus eſt cauſa efficiens, & quidem procreans collegii. *Pro theſi affir. Ratio.* 1 2

6 ***Quæ ſit forma & finis collegii?***

SVnt quidam, qui formam collegii exiſtimãt eſſe poſitam in ipſa conſociatione collegarum. Sed hæc ſententia videtur non eſſe concedenda, ſiue conſociatio ſumatur proprie pro actu conſociandi, quæ eſt ſpecies motus: ſiue impropriè, pro ipſa ſocietate. Secundum priorem enim ſignificationem conſociatio eſt cauſa *De forma collegii.*

Digitized by Google

efficiens: ſecundum poſteriorem, genus co
gii. Itaq; melius videtur formam collegii ſt
ipſam collegarum inter ſe vnionem mutua
ad debita officia & auxilia obligationem, qu
nus certi boni communionē ſecum trahit.
diu enim durat illa vnio & communio mu
tam diu durat collegium: ea verò deſtructa,
legium quoq; deſtruitur. Vnde rectè ait *Boc*
lib 7. de Repub. cap. 7. aliquid eſſe collegarum
mnium inter ipſos commune, aut ſi nihil ſ
commune, ne collegium quidem eſſe. E
etiam innuit *Althuſius Politicæ cap. 4.* dum
collegio communionem collegarum requ
eamq; definit, qua collega collegæ ſibuer
propoſitum vitæ iuuat ſecundum pacta co
ta: & rurſus diſtinguit, vt alia ſit rerum, al
perarum, alia iuris eiusdem, alia reciproca
beneuolentiæ.

De fine collegii. Porro finem collegii alii ſtatuunt vtilita
& neceſſitatem communem; alii exercitia
pietatis, tum honeſtatis, tum neceſſariæ vt
tis. Sed illæ opiniones non tam re ipſa q
verbis à me diſcrepant, quæ finem collegi
nit commune bonum, cujus promouend
ſeruandi & augendi gratia collegæ congre
tur.

6 Quomodo collegia ſint diſtribuenda?

Opiniones aliorum recēſentur & dijudicantur. BOdinus *lib. 3. de Repub. cap. 7.* omnia coll
ait, aut rerum diuinarum, aut humana
cauſa eſſe conſtituta. Ac illa quidem, quæ a
1 humanas pertinent aut iurisdictionem hab
vt magiſtratuum & Iudicum collegia; aut i
dictione vacare, vt collegia ſcholaſticorum
mi

minum, medicorum, mercatorum, opificum, agricolarum. Rerum autem diuinarum, aut publicæ pietatis cauſa collegia in infinitum penè numerum excreuiſſe legibus, moribus, victu, cultu, inſtitutis, ratione, veſtitu differentia.

Althuſius cap. 4. Politicæ, aſſerit ſpecies collegiorum, ſecundum perſonarum & artificiorum & munerum conditionem varias eſſe poſſe. Ac in eorum numero recenſet collegia, piſtorum, ſartorum, architectorum, fabrorum, ſutorum agricolarum, lanionum, nauiculariorum, figulorum, mercenariorum, monetariorum: item Philoſophorum, Theologorum, Decurionum & ſimilium. 2

Caſmannus c. 24. biographiæ, collegia diuidit in ſacra & profana. Sacra collegia dicit eſſe eorum qui coeunt ad ſacra rectè inſtituenda & conſeruanda per exercitia & ſtudia literatæ pietatis, ſeu literaturæ & religionis. Eaq; dicit eſſe ſcholas, vel ſcholis Eccleſiisq; vſpiam adiuncta, cuiusmodi ſunt collegia Canonicorum & cœnobia. Profana collegia dicit eſſe, quibus exercitiorum eiusdem generis Politicorũ honeſtas aſſeritur, ſocietas iuuatur, & Reſpublica in ſuis partibus benè conſtituitur; cuiusmodi ſunt collegia ſenatorum, conſulum & opificum in vrbe. 3

Cæterum ex his diuerſis opinionibus diuerſorum autorum maximè videtur amplectenda poſtrema, quam etiã ipſe ſecutus ſum: niſi quod ſacra collegia melius diſtinxerim, nempe in Eccleſiaſtica & ſcholaſtica: Profana vero in primaria, quæ iuriſdictionem habent, & ſecundaria, quæ iuriſdictione vacant.

8 *An collegia Reipublicæ ſint neceſſaria & vtilia?*

Neceſſitas collegiorũ & probatur. Ratio. STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: quia collegia ſunt ſocietates hominum ciuiles parteſque compoſitæ populi ſine quibus v
1 ris integritas conſiſtere non poteſt. 2, quia con
2 ſeruant inter ciues charitatem & amicitiam ſin
3 quâ Reſpublica ſtare non poteſt. 3, quia nihil a
democratias, hoc eſt, ad popularia imperia ret
nenda & tuenda, potentius & melius cogita
4 poterit vnquam. 4, quia monarchia, ſeu reg
poteſtas optimis legibus ac inſtitutis moderata
nihil collegiis firmius & ſtabilius habere poteſ
5 5, quia ad euertendas tyrannides nihil collegi
accommodatius. Et propterea tyranni, ſeu ill
qui imperium affectant, collegia funditus euer
tere conantur, quod intelligant à ciuium am
citia & conſpiratione tyrannidi ſuę exitium im
6 minere. 6, quia nihil eſt quod Rempublicam
æquè frangere ac debilitare poſſit quam ſi co
legia omnia tollantur. Et propterea illi qui Re
publicam aliquam victam omni rebellandi vi
tute exuere voluerunt, omnia collegia & conſ
7 lia ad tempus prohibuiſſe leguntur. 7, quia Le
giſlatores & Principes, qui Reſpublicas prim
fundarunt nullum ad eas continendas ſtabiliu
fundamentum eſſe iudicarunt quam ſocietate
ac ſodalitia tueri. Hinc Pompilius Numa rex o
ptimus Romanorum non modò collegia omni
generis opificum; ſed etiam mercatorum inſti
tuit, eaque ſacrificiis ſolennibus ac epulis, qua
ſtatis anni diebus fierent, obligauit. Idque So
lonis exemplo feciſſe videtur, qui omnia omniũ
ordi-

ordinum ac generum collegia, inſtituere iisque
ſtatuta, quæ modò legibus contraria non eſſent
condere permiſit. Idem fecit Lycurgus, qui
ciues ſodalitiis ac ſocietatibus deuinxit.

At pro contraria ſententia afferri poſſunt hęc *Pro cõtraria*
argumenta: 1, quia ſub collegiorum ſpecie ſæpe *ſententia*
deteſtabiles ac impiæ ſuperſtitiones fouentur. *Arg.*
2, quia collegia ſæpe ſeditiones grauiſſimas in *1*
Republica excitant, quarum vi eius ſtâtus aut *2*
plane euertitur, aut labefactatur. 3, quia ſæpe *3*
multæ fraudes contra publica commoda ab o-
pificum collegiis ſtruuntur. 4, quia collegia ef- *4*
ficiunt, vt populus nec regum nec optimatum
imperiis, facilè coerceri poſſit. 5, quia multi re- *5*
ges & principes leguntur collegia prohibuiſſe,
penitusq; ſuſtuliſſe, vt Rempub. pacatam effi-
cerent: quemadmodum teſtatur exemplum
Tarquinii ſuperbi, Neronis, Dionyſii & aliorũ.

Reſpondeo ad illa argumenta in genere di- *Refutantur*
ſtinguendum eſſe. 1, inter cœtus hominum cõ- *arg. contra*
iuratorium, aliorúmque flagitioſorum homi- *colleg. neceſſ.*
num. 2, inter effecta, quæ collegiis per ſe & vi *& vtilit. al-*
ſuæ naturæ competunt; & quæ iisdem per acci- *lata.*
dens ob hominum improbitatem attribuũtur.
3, inter reges & principes legitimos, & inter ty-
rannos, quorum illi collegia conſeruare; hi de-
ſtruere conantur, vt ita tyrannidem ſuam magis
ſtabiliant. In illorum numero fuerunt Numa
Pompilius & Auguſtus; quorum ille collegia in-
ſtituit & conſeruauit; hic eadem à Iulio Cæſare
dictaturam oppreſſa Republica arripiente pro-
hibita poſtea pacata Republica reſtituit. In ho-
rum numero fuerunt Tarquinius Superbus, Iu-

Digitized by Google

lius Cæſar, Nero, Dionyſius Siciliæ tyrannus, & id genus alii.

9 *An collegium differat à corpore, & vniuerſitate?*

Bodini ſententia exponitur & examinatur.

BOdinus *lib.3.de Repub. cap.* 7. theſin affirmantem defendit. Collegium enim definit legitimum trium, pluriumve perſonarum eiusdem conditionis conſociationem; Corpus verò plurium collegiorum coniunctionem; Vniuerſitatem verò omnium familiarum & corporum eiusdem oppidi iuris communione ſociatam multitudinem: Eamque diſtinguit à Republica, quæ omnium ciuium ac oppidorum multitudinem imperii maieſtate complexa tuetur. Et ſic ordine ſynthetico à ſingulis hominibus ſtatuit gradatim progreſſum fieri ad familias; à familiis ad collegia; à collegiis ad corpora; à corporibus ad vniuerſitates; ab vniuerſitatibus ad Reſpublicas; à Rebuspublicis ad totum genus humanum. Contra vero ordine analytico à toto genere humano procedi ad Reſpublicas; ab his ad vniuerſitates; ab his ad corpora; ab his ad collegia; ab his ad familias; ab his ad ſingulos homines.

Etſi verò hæc ſententia Bodini non eſt reiicienda, præſertim ſi non tam verba, quam res ipſæ conſiderentur; tamen certiſſimum eſt vocabulum *corporis* & *vniuerſitatis* etiam tropicè ſumptum in ea ſignificatione, in qua Bodinus accipit vſurpari. Nam non tantum ipſa Reſpublica metaphoricè dicitur corpus ciuile ex familiis & collegiis pluribus, tanquam membris conſtans: ſed etiam quælibet alia ſocietas ci-

uilis, imò etiam domeſtica, quatenus eſt perfecta & in genere conſideratur. Hinc corporum tria genera vulgò eſſe affirmant; vnum naturale, vt hominem, alterum artificiale, vt ædificium; tertium ciuile, vt populum, legionem, tribum, &c.

Similiter vniuerſitas modo ſumitur pro Republica mundana, modo pro Republica ciuili; modo pro vniuerſo populo Rempublicam ciuilem conſtituente, &c.

CAPVT V.

De ordinibus populi.

PRÆCEPTA.

1 *Sic de partibus populi. Sequuntur eiusdem ordines, qui ſunt nihil aliud quam claſſes diſtinctæ hominum, in quas populus diſtribuitur.*

2 *Illorum vnus complectitur ciues, alius incolas.*

3 *Ciues ſunt perſonæ legibus ciuitatis obſtrictæ eiusdemq; priuilegiorum participes.*

4 *Suntq; alii nati, alii facti.*

5 *Nati ciues ſunt qui per generationem iure ciuitatis ſunt potiti. Alio nomine dicuntur* Indigenæ, *ſeu* originarii, *ſeu* naturales ciues.

6 *Facti ciues ſunt, qui cōſenſu magiſtratus per obligationē expreſſam ius ciuitatis ſunt adepti:*

Alio nomine dicuntur ciues aſcititii, *ſeu,* factitii, *ſeu* aſſumpti.

Incolæ quid ſint.

7 *Incolæ ſunt perſonæ quæ domicilium quidã habent in ciuitate; ſed eiuſdem priuilegiorum non ſunt participes.*

8 *Vtrique tam ciues, quam incolæ ratione relationis, ſexus, ætatis, dignitatis, habitus, facultatum & ſtatus in varios ordines diſtribuuntur.*

9 *Ex relatione alii ſunt magiſtratus, alii ſubditi, de quibus infra ſuo loco.*

10 *Ex ſexu alii ſunt mares, aliæ fæminæ.*

11 *Ex ætate alii ſunt iuniores, aliæ ſeniores.*

12 *Ex dignitate alii ſunt nobiles, alii ignobiles.*

13 *Ex habitu alii ſunt literati, alii illiterati. Et rurſus ex his alii agricolæ, alii mercatores, alii opifices, &c.*

14 *Ex facultatibus alii ſunt diuites, alii pauperes.*

15 *Ex ſtatu & conditione alii ſunt liberi, alii ſerui. Et rurſus ex vtriſque alii idiotæ, alii officiarii.*

16 *Idiotæ ſunt perſonæ, quæ priuatas res tractant, nulloque munere publico funguntur.*

17 *Officiarii ſunt perſonæ, quæ munus aliquod publicum gerunt.*

Peregrini qui dicũtur

18 *Opponuntur ciuibus & incolis peregrini*

ſe

ſeu hoſpites, qui in ciuitate, in qua commorantur, neque vſum priuilegiorum, neque domicilium habent; ſed aliunde adueniunt, diuerſorioque ad tempus vtuntur.

1 *An qualibet Reſpublica debeat conſtare ex certis hominum ordinibus, iiſq; diuerſis & inæqualibus?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: *Pro theſi aſ-*
1, quia in omnibus rebus ordine nihil eſt pul- *ſir. Ratio.*
crius, conuenientius & vtilius: Ergo neque in 1
Republica. 2, quia ſi nullus certus ordo eſſet in- 2
ter homines eiuſdem Reipublicæ, introduceretur mera ἀταξία & confuſio, qua nihil deformius, terrius & pernicioſius poteſt excogitari.
3, quia, vt Ariſtoteles lib. 5. Ethic. Nicom. docet: 3
οὐκ ἐκ δύο ἰατρῶν γίνεται κοινωνία, ἀλλ' ἐξ ἰατροῦ καὶ γεωργοῦ:
hoc eſt, *non ex duobus medicis conſtat ſocietas nempe ciuilis; ſed ex medico & agricola.* 4, quia qui o- 4
mnes ſimpliciter homines eiuſdem Reipublicæ ſine diſcrimine inter ſe exæquare conantur, illi perinde faciunt, vt ait *Bodinus lib 3. de Repub. cap. 8.* ac ſi quis hordeum, ſiliginem, orizam, milium & id genus alia frumenta ſeu legumina in vnum aceruum cumularet, & ſic ſingulorum ſeminum, tum vniuerſi acerui vſum amitteret.
5, quia ſicut corpus humanum conſtat ex certis 5
partium ordinibus, iiſque diuerſis & inæqualibus: & harmonia muſica ex diſtinctis ac diſſimilibus ſonis; ita Reſpublica, quæ eſt corpus ciuile ex certis, iiſque diuerſis & inæqualibus hominum ordinibus conſtat.

2 *Quid ſit ciuis propriè dictus in genere?*

Diuerſæ ciuis definitiones afferuntur & examinantur.

IN aſſignanda definitione generali ciuis propriè dicti, magnam reperio inter Philoſophos Politicos diſſenſionem. *Ariſtoteles lib. 3. Polit. cap.*
1 *1.* poſtquam docuit vocabulum πολίτης, *ciuis*, bifariam accipi, modò propriè & ſimpliciter, modò impropriè & ſecundum quid: tandem ſubiicit definitionem ciuis propriè dicti, quod ſit ὁ μετέχων κρίσεως καὶ ἀρχῆς, hoc eſt is, *qui in ciuitate particeps eſt iudicii, & magiſtratus*, ſeu, vt ſub finem eiusdem capitis loquitur, ᾧ ἐξουσία κοινωνεῖν ἀρχῆς βουλευτικῆς καὶ κριτικῆς: hoc eſt, *cui poteſtas participandi magiſtratum ad conſultandum & iudicandum pertinentem.* Cuius definitionis ſenſum quidam ita explicant, vt ciuis ſecundum Ariſtotelem eſſe dicatur perſona quæ poteſtatem habet gerendi magiſtratum & exercendi iudicium publicum. Ideoque ciuis eſſe negetur qui non ſit imperii, ſuffragiorum conſiliique publici particeps. Verum hæc definitio Ariſtotelis videtur eſſe anguſtior ſuo definito. Nam primum non omni ciui propriè dicto per ſe competit, ſed tantum ciui Reipublicæ democraticæ, teſte ipſo Ariſtotele in loco ſupra citato. Deinde neque omni ciui Reipublicæ democraticæ conuenit: ſiquidem in Athenienſium ſtatu omnium maximè populari quarta claſſis, quæ ciuium multitudine cæteris triplo maior erat, ab imperiis
2 ſolebat arceri. *Bodinus* igitur *lib. 1. de Republica cap. 6.* aliter definit ciuem, quod ſit liber homo, qui ſummæ alterius poteſtati obligatur, ſeu qui ſummæ poteſtatis imperio tenetur. Sed neque hæc definitio videtur eſſe adæquata ſuo definito:
torum,

totum, quia etiam ſerui ſecundum quorundam opinionem ex numero ciuium ſimpliciter non ſunt excludendi; tum, quia etiam vxores & filiifamilias imperio obligari, tametſi non ſemper ſunt ciues. Idem de incolis dici poteſt, qui tamen non ſunt ciues propriè dicti. Quod autem 3
Danæus lib. 2 Politicæ cap. 4. ciuem verum & plenum in quauis Republica definit hominem liberum, qui domicilium, tribum (ſi quæ illic ſit) vel parœciam & ius publicorum, Politicorumq; honorum in ea Repub. petendorum ac aſſequendorum habet ipſo momento quo ibi domicilium fixit ac conſtituit: Illa quoq; definitio, ſi accuratè examinetur, videtur eſſe anguſtior ſuo definito, neq; omni ciui propriè dicto quouis loco & tempori accommodari poſſe.
Proinde melior eſt definitio Plutarchi quam etiam Bodinus in loco ſupra citato approbat, dũ 4
ait, *ciuem eſſe qui legibus & immunitatibus ciuitatis fruitur.* Cum qua etiam congruit non tantum 5
ea, quæ ſupra in præceptis fuit aſſignata; ſed etiam aliorum qui ciuem eſſe dicunt, modò eum, qui legibus Reipublicæ obligatus eſt eiusdemq; immunitatibus ac beneficiis gaudet; modò eũ 6
qui in ſocietate Politica iure ciuitatis fruitur ac omnibus aliorum ciuium priuilegiis; modo qui
habet ius ciuitatis, hoc eſt, poteſtatem vtendi 7
fruendi omnibus commodis & priuilegiis ac libertatibus ciuitatis.

3 Quotuplex ſit ciuis propriè dictus?

Ciuis propriè dictus quotuplex.

BOdinus *lib. 1. de Repub. cap. 6.* ciuem alium eſſe dicit naturalem, ſeu natum, alium aſſum-

ptum ſeu adſcriptum, ſeu creatum. Quemadmodum enim, inquit, ſerui aut nati ſunt aut facti: ita quoq; ciues aut fiunt, aut naſcuntur. Naturalem ciuem vocat, qui in ciuitate aliqua ſiue alterutro tantū, ſiue vtroq; parēte ciuis naſcitur.

Aſſumptum vocat qui ſe alterius ſummæ poteſtati ſubiecit, & in ciuium numerum conſcriptus eſt. Eandem diſtributionem approbat *Danæus lib. 2. polit. cap. 4.* dum ciuem alium eſſe factum dicit atque ex alia gente & republica aſcitum, alium natum & indigenam. Item *Caſmannus cap. 1. Politicæ* cum ciuem alium aſſerit fieri vel procreatione, dum ex honeſto matrimonio naſcitur ciuis, vel aſſcriptione ſeu dicatione, dum ſeſe obligat ad tuendam communē ſalutem. Cæterum præter hanc diſtributionem ciuis in natum & factum, aliæ reperiuntur. *Bodinus enim lib. 1. de Repub. cap. 6.* ciuem etiam diuidit in vrbanum & ruſticum, quorum illum vocat, qui in vrbe; hunc qui ruri habitat. Alii ciuem diuidunt in plenum & ex parte: quorum illum vocant, qui plenum & totum ius ciuitatis habet; hunc qui vel in ciuitate habitans ſaltem partiale ius ciuitatis habet, vel alibi habitans cū ciuitate confœderatus eſt.

Opponitur autem ciuis propriè dictus ei qui per analogiam eſt ciuis, cuiuſmodi eſt partim honorarius ciuis, cui ius ciuitatis honoris gratia tributum; neque ideo tamen tenetur vllo imperio aut neceſſario munere vel onere; partim inquilinus qui in ciuitate habitat negociorum ſuorum cauſa, ita tamen vt præter ius ibi habitandi & commorandi nihil aliud obtineat.

4 As

4 An ſerui ex albo ciuium ſint eximendi?

COmmuni omnium populorum conſenſu & placito receptum eſt, vt ſerui ex albo ciuium eximantur: tum, quia ſunt infimæ & abiectiſſimæ conditionis homines: tum quia habentur pro ciuiliter mortuis; tum quia ab Ariſtotele lib. 1. Polit. inter inſtrumenta œconomica animata numerantur, & ſic in pari ferè gradu cum equis, aſinis & ſimilibus pecudibus collocantur: tum, quia neceſſe eſt ciues omnes eſſe liberos homines. Ideoque nullum in Romana ciuitate ordinem ſerui habuerunt: Vtrum autem hæc opinio ſimpliciter ſit approbanda, præſertim in ſchola & foro Chriſtianorum, de eo non immerito quæritur? Bodinus certè *lib.3.de Repub.c.8.* ait, ſi ſibi tabellæ ac iura ſuffragiorum in hac diſputatione tribuantur, ſe cupere, vt ſerui æquè ac liberi homines ciuitate donentur. Rationes ipſius ſunt: 1, quia arrogans eſt temeritas & impietas eorum hominũ, qui humanæ conditionis obliti diuinum hoc animal non ſeruire modo ſuæ libidini turpiter erepta libertate cogunt; verum etiam pecudum inſtar aut deteriore conditione habent. 2, quia licet ſerui ſint abiectiſſimæ conditionis homines; tamen propterea inde non ſequitur, quod ciuium nomen non mereantur: non minus ac in corpore humano infimæ conditionis membra, quæ nemo niſi valdè impudens ſine pudore reuelare poteſt, propterea tamen corporis membra eſſe non deſinunt. 3, quia ſi pedes, qui perpetuo labore corporis totius molem ſuſtinent ac circumferunt, ſæpiusq; luto, ſordibus,

[Margin: *Pro theſi affirmante Ratio.* 1 2 3 4 — *Pro theſi neg. Ratio.* 1 2 3]

puluere ſqualent, nemo niſi demens à corpore humano reſecandos putat; cur eadem ratione ſeruos, qui aſſiduis ciuium oneribus & imperiis grauiſſimis vrgentur, ciuitatis membra dici nõ
4 patiemur? 4, quia cum in ciuitate ſerui ſubditi ſint non peregrini, partem ciuium facere & in ordine ciuium quantumuis infimo cenſeri de-
5 bent. His rationibus Bodini aliæ addi poſſunt. 1, quod cum lege naturali & diuina pugnat illa ſeruorum ex numero ciuium excluſio: quippe quæ præcipit, vt proximum noſtrum diligamus
6 ſicut nosmetipſos. 2, quod naturali dignitati hominis à Deo & natura ipſi conceſſæ repugnet: cum Deus omnem hominem ſine diſcrimine ad imaginem ſuam creauerit: & Natura per ſe omnes ex æquo liberos procreet aptosque ad
7 ſocietatem ciuilem cum aliis colendam. 3, quod rectæ rationi aduerſetur ſeruos, qui imperio Politico ſubiecti ſunt, ſuisque operis & miniſteriis Rempublicam iuuare ac promouere ſolent, infra conditionem & dignitatem humanam contra voluntatem ipſorum abiicere, vſuque omnium priuilegiorum & beneficiorum ciuili-
8 um priuare. 4, quod turpe & iniquum ſit ſeruos ex ordine ciuium Reipublicæ mundanæ excludere, quos tamen Deus ipſe non minus ac liberos homines ad regnum filii ſui vocare, in numerumq; ciuium cæleſtium adoptare dignatur. Quod igitur ad rationes attinet, quibus nititur vulgata & recepta de ſeruis opinio, illæ laborant partim fallacia ex inconſequentia materiali, partim fallacia petitionis principii. Licèt enim ſerui ſint infimæ & abiectiſſimæ con-

Refutantur rationes pro theſi affirm.

di-

ditionis homines, adeoque ab Ariſtotele inter inſtrumenta œconomica animata numerentur; inde tamen non ſequitur, quod in ordinē ciuium non ſint referendi; cum ordo ciuium alius ſit ſupremus, alius medius, alius infimus: & præterea naturæ ciuis non repugnet eſſe inſtrumentum: propterea quod vnus & idem homo diuerſo reſpectu poſſit eſſe ciuis & inſtrumentum œconomicum. Quod autem vulgo ſeruilis conditionis homines pro ciuiliter mortuis habentur, omnesque ciues liberi homines iudicantur, id quam iuſtè & verè fiat, in controuerſiam merito vocatur ob rationes ſupra pro contraria ſententia allatas. Ideoque illæ rationes ex ſe non ſunt ſufficientes ad probandam theſin.

5 *An ciuis propriè dictus differat ab incola & peregrino, itemq́; incola ab inquilino?*

STatuitur theſis affirmatiua. Nam 1, ciuis particeps eſt priuilegiorum ciuitatis: incola autem & peregrinus non. 2, Peregrinus non habet domicilium in ciuitate in qua peregrinatur, ſed hoſpitium duntaxat & diuerſorium. Ciuis autem & incola habet domicilium. 3, peregrinus non habet animum manendi in loco, vbi peregrinatur. Ciuis autem & incola habet: 4, peregrinus non ſimpliciter ſubiectus eſt legibus & imperio eius loci, vbi peregrinatur. Ciuis autem & incola contra ſimpliciter ſubiectus eſt legibus & imperio eius ciuitatis, quam inhabitat. *Ciues propriè dicti differunt ab incola.*

Porrò Inquilinus differt ab incola, quod *Inquilinus differt ab incola.*

Digitized by Google

ille poteſt eſſe ciuis; hic autem non. Dicitur enim propriè *inquilinus*, Græcè ἔνοικος, qui non in propria, ſed aliena domo habitat. Talis autẽ non minus ac qui proprias ædes inhabitat, poteſt eſſe particeps priuilegiorũ ciuitatis, &, per conſequens ciuis. Errat igitur *Danæus lib. 2. Politicæ Chriſtianæ. cap.* 4. dum inquilinum à ciue pleno diſtingui aſſerit, quod ille neque tribum neq; ius publicorum magiſtratuum adipiſcendorum in ciuitate, quam inhabitat, habeat.

Error Danæi taxatur.

6 *An homines rectè diſtribuantur in nobiles & ignobiles?*

Pro theſi neg. Argum.

REperiuntur nonnulli, qui diſtributionem hominum in nobiles & ignobiles ſimpliciter reiiciunt, moti ſequentibus argumentis:
1 1, quia omnes à Deo primam ſuam habent origi-
2 nem. 2, quia omnes ex limo terræ ſunt conditi,
3 ſi primum ipſorum ortũ ſpectes: 3. quia omnes
4 ex Adamo & Eua genus ſuum ducunt: 4. quia omnes habent eandem eſſentiam easdemq; affe-
5 ctiones naturales: 5, quia Natura æquè parens
6 eſt omnibus & nulli nouerca: 6, quia Deus ſine reſpectu omnes homines ad communionem regni ſui & æternæ beatitudinis vocat.

Theſis negatiua improbatur. Ratio.

Verum hæc opinio videtur nullo modo recipienda:
1 tum, quia communi omnium aliorũ hominum, præſertim ſapientum ſenſui repu-
2 gnat; tum, quia omnem inter homines præemi-
3 nentiam & prærogatiuam tollit, meramque in Rempublicam ἀταξίαν & confuſionem inducit; tum, quia derogat hominum generi, quod Natura etiam non tantum plantis & beſtiis; ſed etiam multis corporibus inanimatis conceſſit, vt

nimi-

nimirum vnum ſit melius, perfectius & nobilius altero. Neque obſtare argumenta ſupra allata. Licet enim omnia illa ſuo modo ſint vera, & ſimpliciter negari non poſſint; tamen ex iis nullo modo per neceſſariam conſequentiam inferri & concludi poteſt, quod homines non ſint alii nobiles, alii ignobiles. Illa enim diſtributio non ſumitur ex iis rebus quas omnes & ſinguli homines inter ſe habent communes; ſed ab iis, quas alii homines præ aliis à Deo & Natura habent ſibi proprias & peculiares. *Refutantur argumenta pro theſi negante.*

7 *Quid ſit nobilitas in genere & quotuplex?*

MVlti quidem frequenter in ore habent nobilitatem eamq; prædicant & iactant; ſed quid ſit nobilitas & in quib. rebus conſiſtat, ſiue ſecundum virtutem, ſiue ſecundum opinionem hominum conſideretur, id aut planè ignorant, aut ſaltem confusè & perperã norũt. Vt igitur natura eius rectius explicetur & intelligatur, ſciendum eſt eam in genere nihil aliud, eſſe quam eminentiam, ſiue excellentiam, ſeu claritatem quandam, quam vnus homo habet præ aliis reſpectu boni alicuius eximii in ipſo apparentis. Idcirco etiam dicitur *nobilis*, quaſi *noſcibilis*, quod propter eminentiam & excellẽtiam illam quam habet præ aliis, facilius ab omnibus cognoſcatur. *Nobilitas in genere quid ſit.*

Cæterum cum duo genera ſint bonorum, quæ homini contingunt, alia naturalia, alia aduentitia: hinc fit vt nobilitas etiam alia ſit naturalis, alia aduentitia. Naturalis nobilitas eſt, quam homo ab ipſa natura per ſe & immediate habet: vt cum propter bonam corporis tem- *Nobilitas quotuplex ſit.* *Nobilitas naturalis quid ſit.*

periem & conformationem ex ſemine parentū ortum præ aliis habet indolem bonam, per quā naturaliter propenſus eſt ad virtutem actionesque honeſtas. De hac nobilitate loquitur Socrates, cum cuidam, quid ſit nobilitas, interroganti, reſpōdit illam eſſe εὐκρασίαν ψυχῆς καὶ σώματος, hoc eſt *bonam temperiem animi & corporis*; ſeu, *excellentiam hominis*, quam habet ob indolis bonitatem naturalem ortam ex bona temperie corporis & animi.

Nobilitas aduētitia quid ſit & quotuplex.

Aduentitia nobilitas eſt quam homo non à natura per ſe & immediatè habet, ſed aliunde. Eaque vel eſt moralis vel Politica.

Nobilitas moralis quid.

Moralis nobilitas eſt, quam homo ſtudio virtutis, præſertim moralis ſibi acquirit. Et hæc ſola κατ᾽ ἐξοχὴν à Philoſophis dicitur vera & perfecta nobilitas, & de ea loquitur Euripides in Dictye, cum ait:

Ὁ μὲν γὰρ ἐσθλὸς εὐγενὴς ἔμοιγ᾽ ἀνήρ·
Ὁ δ᾽ οὐ δίκαιος, κἂν ἀμείνονος πατρὸς
Ζηνὸς πεφύκῃ, δυσγενὴς εἶναι δοκεῖ.
Bonus vir mihi nobilis videtur:
Qui verò iuſtus non eſt, licet à patre meliore,
Quam Iupiter genus ducat, ignobilis mihi videtur.

Item in Alexand.

Οὐκ ἔστιν ἐν κακοῖσιν εὐγένεια παρ᾽ ἀγαθοῖσι δ᾽ ἀνδρῶν.
Nulla nobilitas inter malos eſt. ſed inter bonos tantum viros.

Nobilitas Politica quid & quotuplex.

Politica nobilitas eſt, quæ partim à lege, partim à fortuna pendet. Eaque vel eſt nobilitas generis, vel officii.

Nobilitas generis quid ſit & quotuplex.

Nobilitas generis eſt, quæ in ſtirpis ſeu proſapiæ præ aliis præſtantia conſiſtit. Eaq; propriè dicitur Græcè εὐγένεια. Eſtque vel noua vel vetus. Noua eſt, quam quis per ſci-

ſe ipſum beneficio principis ſortitus eſt. Vetus eſt, quam quis à ſuis parentibus & maioribus accepit. Nobilitas officii eſt, quæ in muneris, quo quis fungitur, dignitate conſiſtit. *Nobilitas officii quid ſit.*

8 Quæ nobilitas ſit omnium præſtantiſſima?

CVm tres ſint ſpecies nobilitatis, naturalis, moralis & Politica, iam quæritur, quænam ex his omnibus ſit præſtantiſſima? Etſi verò ea de re diſcrepantes ſunt hominum opiniones; videtur tamen nobilitati morali principatum eſſe deferendum, propter ſequentes rationes: *Nobilitas moralis præſtantior eſt naturali & Politica. Ratio*
1, quia nobilitas moralis pendet à virtute tanquam effectum à cauſa efficiente. Ideoque ſicut virtus moralis omnium bonorum humanorum eſt præſtantiſſima: ita etiam nobilitas moralis. Idcirco etiam *Bodinus lib. 5. de Repub. cap. 8.* κατ' ἐξοχὴν veram nobilitatem virtute metiendam eſſe monet; cum ea ſit non modo Philoſophorum ac Theologorum; verum etiam Poëtarum, Hiſtoricorum & Iuriſconſultorum penè omnium conſentiens opinio, qui negant vllum ſine honeſtate nobilitati locum relinqui. 1
2, quia nobilitas moralis, perinde ac virtus nihil cum fortuna habet commune: nec eius poſſeſſio vel furto eripi, vel incendio abſumi, vel aquarum voragine abſorberi, vel vi morbi deſtrui, vel vlla alia externa violentia perire poteſt. 2
3, quia nobilitas moralis non tantum in ſe eſt perfectior naturali & Politica, ſed etiam vtramque perficit. 3
4, quia nobilitas naturalis & Politica ſeparata à nobilitate morali eſt vana & inutilis; imò 4

bilis, alius minus: In vno enim præſtantior indoles naturalis quàm in alio. In vno virtus moralis excellentior eſt, quàm in alio. In vno denique bonum Politicum ſiue ſit antiquitas, & amplitudo generis, ſiue diuitiarum copia & ſplendor, ſiue officii dignitas magis eſt, quam in alio.

11 *An idem homo ſimul poſſit eſſe nobilis & ignobilis: itemq; ex ignobili fieri nobilis & vice verſa?*

ETſi vno & eodem modo ac reſpectu fieri non poteſt, vt idem homo ſimul nobilis ſit & ignobilis: tamen diuerſo reſpectu & modo nihil impedit, quo minus fiat. Nam qui naturaliter vel politicè eſt nobilis, moraliter poteſt eſſe ignobilis; & contra, qui moraliter nobilis eſt, poteſt naturaliter vel Politicè eſſe ignobilis. Sic idem homo, qui naturaliter vel Politicè eſt ignobilis, poteſt fieri moraliter nobilis; contrà, qui moraliter ignobilis eſt, poteſt fieri Politicè nobilis.

Theſis affirmatiua defenditur sũ limitatione.

12 *Quæ fuerit veterum de ordinibus populi opinio?*

AEgyptii olim ciues diuidebant in ſacerdotes, milites & operarios. Plato in lib. De legibus in cuſtodes, milites & agricolas. Indi in ſeptem ordines, vnum Philoſophorum; 2, agricolarum; 3, paſtorum & venatorum; 4, opificum; 5, militum; 6, ephororum & præſidum; 7, conſiliariorum & aſſeſſorum. Hyppodamus *Pythagoræus in lib. de republica* vniuerſam Rempublicam in tres ordines diſtinguit, quorum pri-

Digitized by Google

ciues indigenas, & ſic rectæ ciuitatis diſciplinæ officiunt. 3, quia bona ciuitatis, quæ percipere debebāt indigenæ, ſuis technis ad ſe attrahunt, cæterisq; præripiunt, non ſecus ac ſanguiſugæ corporib. animalium adhæreſcentes inde ſanguinē ad ſe attrahunt. Ideirco *Caſius lib.5. ſphæræ ciuitatis c.3.* comparat peregrinos anguibus & locuſtis. Sicut enim angues in ſinum hominis recepti, eiusq; calore recreati mordent & necāt hominem: ita peregrini in vrbē admiſſi & libertate donati, ciuitatē perdunt. Similiter ſicut locuſtæ vaſtant & conſumunt ſegetē; ita peregrini fructum ciuitatis vorant. 4, quia commercia vſitata corrumpunt, annonæq; caritatē inducunt. 5, quia ad ſeditiones occaſionem & cauſam præbent, & ſic Rempublicā turbant, quemadmodū inductione exemplorum probat *Ariſtoteles lib.5. Polit.c.3.* 6, quia propterea Spartani nulli omninò peregrino, teſte Xenophonte, ius ciuitatis cōmunicarunt. Et ex Lycurgi ſanctione, vt auctor Thucydides, non omni tēpore licebat peregrinis Spartam adire; ſed præſtitutis diebus, ne æmuli fierent eius Politiæ; vel, vt alii malunt, ne à peregrinis mores ciuium inficerentur. Sic Athenis etiam fuit lex promulgata, *ne peregrinus quispiam in numerum ciuium reciperetur.* Hinc *Bodinus lib.1. de repub. cap.1.* inquit, graue periculum ciuitatibus imminere, cum peregrinis omnibus patet aditus in vrbem, in qua ſenſim opes & incrementa capiunt, ac ipſos dein optimates, de imperio deiiciunt.

3

4

5

6

Cæterum hæc opinio videtur ſimpliciter nō eſſe recipienda, ob ſequentes rationes: 1, quia

Pro theſi affir. cōtra neg.

peregrini multi bonis moribus ſunt præditi, ſuoq; exemplo prauos indigenarum mores cor-
2 rigere poſſunt, & ſic Reipublicæ prodeſſe. 2, quia nihil prohibet ciuitates ex iisdem hominibus reparari & augeri, quibus prius fundatæ & inſtitutæ fuerunt. Iam autem liquet ciuitates non ex vno genere hominum in principio coaluiſſe, ſed ex pluribus generib. hominum. Proinde non abſurdum videri debet, ſi ex diuerſarum nationum hominibus eædem conſeruari
3 & augeri poſſe ſtatuantur. 3, quia hiſtoria & cōmunis experientia teſtatur peregrinorum aſſumptione, non tantum vrbes aut plane nouas exſtructas, aut ſaltem veteres plurimum dilatari & amplificari; ſed etiam reditus annuos viresque Reipublicæ plurimum augeri. Hinc Alexander Magnus vrbe ſui nominis *Alexandria* condita, ſingularia priuilegia eaq; magna conceſſit iis, qui eo habitatum conuenirent: ex quo factum eſt, vt breui tempore vndiq; confluentibus hominib. in ſplendidiſſimam eualerit, vt teſtatur *Ioſephus lib. 2. de bello Iudaico*. Item fecit Theſeus in Athenarum ædificatione & alii plu-
4 res. 4, quia ſicut merces ex peregrinis & barbaris locis ad nos aduectæ non reiiciuntur, ſed eliguntur, ſi modò commodæ ſunt & vtiles; Ita quoq; peregrini non reiiciendi & ciuitate excludendi ſi boni ſint & Reipublicæ vtiles vide-
5 antur. 5, quia vt arbores transplantatæ deponūt ſuam prauam naturam mutata terra & cultura: Ita quoq; homines migrantes ex malis ſæpè fiūt boni, & ex bonis meliores: quemadmodum contra ex bonis interdum mali fiunt ex prauis
indi-

indigenarum moribus. 6, quia ipſa naturalis ratio & humanitas teſtatur admittendos eſſe peregrinos, ſi modò boni ſint, ſi præter meritum miſeri, ſi ob religionem exules. 7, quia commercia in vrbe bene vigere & conſeruari non poſſunt ſine peregrinorum admiſſione. 8, quia excluſio peregrinorum ex ciuitate non tantum pugnat cum lege naturali caritatis & hoſpitalitatis; ſed etiam cum lege diuina, quæ præcipit vt aduenam apud nos habeamus tanquam indigenam, eumq; vt noſmetipſos diligamus vt videre eſt *Exod 22. Leuit. 19. Deuter. 10.* 9, quia peregrinorum excluſio Tyranno maiorem dat facultatem deſæuiendi in ſubditos, & ſubditis minorem reſiſtendi. Hinc ciuium Spartanorũ numerus nunquam potuit augeri ob peregrinorum excluſionem. Et propterea eorum imperium ex leui aliquo motu facilè concuſſum fuit ac interfectis ciuibus defecit, vt planta, cui rami omnes amputati ſunt. 10, quia Romanorum Reſpublica nullo alio modo ad tantam excreuit amplitudinem, quam quod aditum peregrinis facile patefecerint. Proinde peregrini in Republica ferendi, neq; ſimpliciter à iure ciuitatis excludendi ſunt.

Qui peregrini nõ admittendi ſint.

Interim tamen prudens & ſedula animaduerſio cautioque in toto hoc negocio adhibenda eſt Magiſtratui, ne promiſcue omnes peregrini nec omni modo in Rempublicam admittantur: neve promiſcuè & indifferenter omnibus ius ciuitatis conçedatur. Non enim admittendi ſunt, 1, qui ob iuſtas cauſas ex aliis Rebuſpub. excluſi ſunt & in exilium eiecti. 2, quia

ignaui fuci ſunt & fruges tantum cõſumere na-
3 ti. 3, qui improbi ſunt & flagitioſi, ſuorumque
morum corruptela & contagio ciues inficere
Qui admittendi ſunt. poſſunt. Neq; ius ciuitatis concedendum niſi
iis, 1, qui euidenter vel agris hortisq; ſedulo ex-
1 colendis, vel opificiis vtilibus, exercendis, vel
negotiationibus frequentandis, aliisq; honeſtis
ſtudiis & artibus Rempublicam ditare, ornare
& amplificare, eiusq; ſalutem promouere poſ-
2 ſunt. 2, qui ſecundum receptas Reipublicæ le-
ges per omnia viuere volunt, neque peculiarem
regiminis formam aut Iurisdictionem affectãt.
3 3, qui cupiunt ſedem fixam in illa Republica ha-
bere; neq; cumulatis in ea opibus aliô migrare,
eamq; vel belli vel aliarum neceſſitatum tem-
pore deſerere cogitant. Iniquum enim eſt, cu-
ius perceperis commoda, eius nolle ferre incõ-
moda, nec iuuare, cum neceſſe eſt, Rempubli-
cam eam, cui bona tua omnia debeas, & quæ te
inſtar matris benignæ receptauit, ſuſtentauit ac
defendit.

14 *An Zigari & Iudæi in Republica ſint tolerandi?*

Pro theſi neg. Argum. PRo theſi negante afferri ſolent hæc argumẽ-
ta: 1, quia *Zigari* vulgo *Zigeum* nihil aliud ſunt
1 quam manipulus furum & colluuies otioſorum
ac fraudulentorum hominum, ex variis natio-
nibus nõ ita remotis, ſed vicinis collecta, vt Ca-
2 merarius eos deſcribit *cent. 1. med. hiſt. c. 17.* 2, quia
vanis futurorum præſagiis alios homines ludũt
3 pecuniisq; emungunt. 3, quia ſpoliis & rapinis
aliorum inhiant: ideoq; non rarò in agris locis-
que deſertis homines obuios per vim adoriun-
4 tur. 4, quia ſæpè ſunt exploratores & prædito-

tes

res terræ illius, in qua vagantur. 5, quia Comitiorum Imperialium conſtitutio prohibet, ne in vlla Repub. benè conſtituta tolerentur. 6, quia Iudæi non tantum ſunt iurati hoſtes religionis Chriſtianæ; ſed etiam immodicis ſuis vſuris quantum poſſunt Chriſtianos exugunt: & quæ bona hi in Republica percipere debebant, illi per fas & nefas præripiunt.

Sententia negatiua ſimpliciter approbatur de Zigaris, ſed non de Iudæis. Ratio.

Etſi verò hæc ſentẽtia de Zigaris videtur ſimpliciter eſſe approbanda; tamen quantum ad Iudæos attinet, reſtringenda eſſe videtur, ob ſequentes rationes; 1, quia Deus hunc populum olim peculiariter ſibi elegit, iiſque eloquia ſua concredidit. 2, quia originem trahunt ex Patriarchis ſanctis, Abrahamo, Iſaaco & Iacobo. 3, quia ex gente Iudæorum natus eſt Chriſtus ſeruator noſter. 4, quia à Iudæis ſalus ad nos gentes deriuata eſt. 5, quia Chriſtiani operam dare debent vt Iudæos honeſta & pia ſua conuerſatione lucrifaciant Chriſto, hoc eſt, à Iudaiſmo ad Chriſtianiſmum amplectendum alliciant. Id autem fieri non poteſt, niſi in Republica Chriſtianorum tolerentur. 6, quia turpe eſt, iniquum & inhumanum, charitatiq; Chriſtianæ prorſus contrarium Turcis aliiſque gentibus barbaris locum in Republica concedere: Iudæis autem non qui Chriſto ſeruatori noſtro ſecundum carnem ſunt cognati & verbi diuini theſaurum ad nos propagarunt: præſertim ſi ſecundum ius in ea Republica vſitatum tranquillè, & ſine dato Chriſtianorum ſcandalo viuant, nihilq; moliantur, quod in Reipublicæ præiudicium & detrimentum cedere poſſit.

15 *An agricolæ, mercatores & opifices in numerum ciuium ſint admittendi?*

Pro ſententia affirm. ratio. STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia ad ſocietatem ciuilem ſuſtentandam neceſſaria ſunt alimenta. Illa autem haberi non poſſunt, niſi ſint agricolæ, qui arent, ſeminent, metant, colligant, conſeruent, aliisq; communicent. 2, quia vt Ariſtoteles teſtatur *lib. 6. Polit. cap.* 4. optimus populus eſt ille, qui ex agricolis conſtat. 2 2, quia commercia Reipublicæ ſunt neceſſaria. Illa autem conſeruari non poſſunt ſine mercatoribus; quippe qui ea quę in ciuitate ſunt ſuperflua exportant, aliaq;, quæ neceſſaria ſunt important. 3, quia opifices Reipublicæ ſunt neceſſarij & vtiles; cum eorum operibus ciues carere non poſſint; ſed illa ad explendam naturalem indigentiam plurimum conferant.

Quod autem quidam obiiciunt, Agricolas, mercatores & opifices verſari circa eiusmodi res, quæ liberales hominum animos à ſtudio virtutis & honeſtatis auocent; id ſimpliciter & per ſe verum nō eſt. Nam etiam illi homines in ſuo vitæ genere, ſi modo velint, occaſionem ſatis bonam habent virtutem ſibi comparandi & exercendi. Quod autem plerique virtutis curam abiiciant; id fit per accidens, propter ipſorum improbitatem; inprimis verò auaritiam, quæ omnium malorum radix eſt.

16 *An mendici, otioſi & vagi in Republica ſint ferendi?*

Pro theſi neg. Argum. SEntentia negatiua probatur his argumentis. 1 1, quia eiusmodi homines fugiunt labores, quibus honeſtè, ſi vellent, victum ſibi compa-

rare

tare poſſent. 2, quia plerunq; ſunt improbi, le- 2
ues, fraudulenti & petulantes. 3, quia pernitio- 3
ſi ſunt ſibi & toti Reipublicæ; dum tempus oti-
ando & vagando miſerè perdunt; & inſtar fuco-
rum circa aluearia volitantium, aliorum domos
perreptant, ſtipemq; ab aliis importunè & im-
pudenter extorquent. 4, quia in ea ciuitate, in 4
qua multi mendici conſpiciuntur, multi quoq;
reperiuntur fures, crumenarum ſectores, ſacri-
legi, aliorumque ſcelerum artifices. 5, quia lex 5
Platonis eſt: *Nemo noſtra in ciuitate mendicus
eſto: quiſquis id tentauerit & miſerabilibus precibus
ſtipem victumque collegerit eum præfecti è foro, ædi-
les tota vrbe, agrorum præfecti tota regione extermi-
nent.* lib. 2. De legibus.

17 *Quid de vulgo hominum in Republica eſt ſentiendum?*

Vulgi mores deſcribuntur

LIpſius *lib. 4. ciuilis doctrinæ, cap. 5.* vulgus de-
ſcribit. 1, quod ſit mobile & inſtabile. 2, 1
quod pronum ſit ad varios affectus ſumendum 2
& ponendum. 3, quod ſit iudicii expers. Ideo- 3
que non ex ratione, & conſilio, ſed ex temerita- 4
te agat: pluraque ex opinione, quam veritate 5
iudicet. 4, quod ad plures incliner. 5, quod na- 6
tura ſit inuidum. 6, quod ſit ſuſpicax. 7, quod 7
ſit credulum. 8, quod res, quas audit ſoleat ſu- 8
pra modum augere. 9, quod comprimi neſciat, 9
ne vetita eloquatur. 10, quod ſit turbidum, præ- 10
ſertim ſi pax ſit. 11, quod faueat feruidis. 12, 11
quod negligat rem publicam. 13, quod verbis 12
ſit ferox. 14, quod metu, aut ſpe ſit nimiũ. Hinc 13
vulgus à Petro Gregorio Toloſano *lib. 4. de re-* 14
publica cap. 3. & lib. 22. cap. 2. appellatur *beſtia*

Digitized by Google

multorum capitum. Et Cleanthes rectè monet, ne à vulgi opinione pendeamus; Idq; verſiculis illis elegantiſſimis, qui à Clemente Alexandrino referuntur:

Μὴ πρὸς δόξαν ὅρα ἐθέλων σοφὸς αἶψα γενέσθαι,
Μηδὲ φοβοῦ πολλῶν ἄκριτον καὶ ἀναιδέα δόξαν.
Οὐ γὰρ πλῆθος ἔχει συνετὴν κρίσιν, οὔτε δικαίαν,
Οὔτε καλήν. ὀλίγοις δὲ παρ᾽ ἀνδράσι τοῦτο κεν εὕροις.

Ne ad opinionem reſpice, ſi vis ſapiens ſtatim fieri:
Neq; time vulgi temerariã & impudentẽ opinionẽ.
Nõ enim vulgus habet prudens iudiciũ neq; iuſtũ,
Neq; honeſtum. Paucos vero apud viros hoc ſanè inueneris.

In quam ſententiam etiam intelligendum eſt Symbolum illud & adagium Pythagoricum: Λεωφόρους ὁδοὺς μὴ στείχειν, hoc eſt, *popularibus viis ne inceditο*. Item, διὰ τῆς λεωφόρου μὴ βαδίζειν, id eſt, *per publicam viam ne ambulato*. Plura de natura & moribus vulgi vide apud Richterum axiom. Polit. 339, 340, 341, 375.

CAPVT VI.

De re populi.

PRÆCEPTA.

Res populi definitur.

1 *Adhuc de populo. Sequitur res populi, quæ eſt multitudo bonorum publicorum, ad ſocietatem ciuilem benè inſtituendam & conſeruandam requiſita.*

Diuiditur res populi.

2 *Eaque complectitur partim res animatas, partim inanimatas.*

3 *Res animatæ ſunt partim miniſtri publici, qui ſunt ignobilioris & ſeruilis cõditionis: partim*

tim beſtiæ, ſiue cicures, ſiue feræ: ſiue terreſtres, ſiue aquatiles, ſiue volatiles, quatenus vſui communi inſeruiunt.

4 *Res inanimatæ ſunt vel immobiles, vel mobiles.*

5 *Immobiles ſunt, quæ de loco in locum ſaluæ transportari nequeunt.*

6 *Suntq́; vel naturales, vel artificiales.*

7 *Naturales ſunt, quæ à Natura in vſum publicum ſuppeditantur.*

8 *Suntq́; vel ſimplices, vel mixtæ.*

9 *Simplices vel ſũt fluidæ, vt maria, flumina, ſtagna, lacus, fontes, thermæ, & id genus alia: vel ſolidæ, vt agri, prata, valles, montes, littora, ripæ, &c.*

10 *Mixtæ partim ſunt ſupra terram, vt ſyluæ, vineæ, horti, paſcua, viridaria: partim infra terrã, vt fodinæ metallicæ, lapicidinæ, ſalinæ.*

11 *Res artificiales ſunt, q̃ artis opera cõparãtur.*

12 *Suntq́; vel primæ, vel à primis ortæ.*

13 *Primæ ſunt domus, & pagus.*

14 *Domus eſt habitaculũ patrisfamilias, eiusq́; domeſticorum habitationi & vſui deſtinatũ.* Domus quid.

15 *Pagus eſt multitudo domorum muris, foſſis & vallis publicis deſtituta.* Pagus quid ſit.

16 *A primis ortæ ſunt vrbs & regio.*

17 *Vrbs eſt multitudo domorum & vicorum muris, foſſis & vallis publicis vndiquaq; cincta & munita.* Vrbs quid ſit.

Digitized by Google

De partib. vrbis. 18 *Eius partes aliæ ſunt primariæ, aliæ ſecundariæ.*

19 *Primariæ partes ſunt ædificia, quæ ſunt vel publica, vel priuata.*

20 *Publica ædificia ſunt, quæ ad publicum vſum ſunt deſtinata.*

21 *Suntq; alia ſacra, alia profana.*

22 *Sacra ædificia ſunt templa, & ſcholæ.*

23 *Templa ſunt ædes publicæ, rebus ad externum religionis exercitium pertinentibus conſecratæ.*

24 *Scholæ ſunt ædes publicæ, iuuentuti erudiendæ & inſtituendæ deſtinatæ.*

25 *Profana ædificia ſunt conuentionalia, vel ſubſidiaria.*

26 *Conuentionalia ſunt, quæ conuentibus publicis inſeruiunt; cuiusmodi ſunt curia, theatra, domus conuiuiorum publicorum, &c.*

27 *Subſidiaria ſunt quæ ad ſubſidium publicum ordinata ſunt, cuiusmodi ſunt diuerſoria, granaria, æraria, armamentaria, bibliothecæ. Item molendina, aquæ ductus, &c.*

28 *Priuata ædificia ſunt, quæ priuatis hominum vſibus inſeruiunt.*

29 *Secundariæ partes ſunt mœnia, & ſpacia publica.*

30 *Mœnia ſunt partes vrbis lapideæ, quibus illa aduerſus ferarum & hoſtium incurſiones*

ac

ac iniurias cingitur ac munitur.

31 *Spatia publica ſunt vici, fora, portæ, pomœria & cœmeteria.*

32 *Vici ſunt ſpatia publica vrbis domibus vtrinq; ſepta, per quæ incolæ transeunt. Alio nomine dicuntur* plateæ, *ſeu* viæ publicæ.

33 *Fora ſunt ſpatia publica vrbis, in quibus commercia iudiciaq; exercentur. Vnde etiam forum aliud venale; aliud iudiciale dicitur.*

34 *Portæ ſunt ſpatia publica vrbis, per quæ hominibus ingreſſus in eam patet, omniaque importantur & exportantur.*

35 *Pomœria ſunt ſpatia publica vrbis mœnib. ex vtraque parte vicina, ædificiisq; deſtituta.*

36 *Cœmeteria ſunt ſpatia publica, vrbis mortuorum ſepulturæ deſtinata.*

37 *Regio eſt vniuerſitas domorum, pagorum & vrbium ad vnam Rempublicam pertinens.*

38 *Fuerunt res immobiles. Sequuntur res mobiles, quæ vel ſunt corporales, vel incorporales.*

39 *Corporales vel ſunt inſtrumenta publica, vel reditus publici.*

40 *Inſtrumenta publica alia ſunt memorialia, alia vſualia, alia voluptuaria.*

41 *Memorialia ſunt quæ memoriæ inſeruiunt: cuiusmodi ſunt annales, Reipublicæ acta iudiciaria, libri acceptorum & expenſorum, & libri aliorum authorum.*

Digitized by Google

42 *Uſualia ſunt, quæ publico vſui inſeruiunt: cuiuſmodi ſunt currus, naues, arma.*

43 *Voluptuaria ſunt, quæ delectationi inſeruiunt, cuiuſmodi tapetes, aulæa, omniaq́ generis res miræ & exoticæ, tam naturales, quam artificiales.*

44 *Reditus publici ſunt, bona quæ Reſpublica percipit, & ad communem vſum reſeruat.*

45 *Eorumque acquirendorum media alia ſunt naturalia, alia ciuilia.*

46 *Naturalia ſunt, quæ circa res naturales ſiue animatas, ſiue inanimatas verſantur.*

47 *Ciuilia ſunt, quæ circa res ciuiles occupãtur.*

48 *Eaque vel ſunt generalia, vel ſpecialia.*

49 *Generalia ſunt, quæ ad rem pecuniariam in genere pertinent, cuiuſmodi ſunt monetæ procuſio, ſignatio, mutatio.*

50 *Specialia ſunt, quæ ad rem pecuniariam in ſpecie pertinent.*

51 *Suntque vel ordinaria, vel extraordinaria.*

52 *Ordinaria media ſunt, vel primaria, vel ſecundaria.*

53 *Primaria ſunt, vectigalis & tributi inſtitutio & exactio.*

54 *Vectigal eſt reditus publicus ex mercibus,*

aut

aut iis rebus quæ ſunt circa merces perceptus: cuiusmodi res ſunt homines, equi, currus, naues.

55 *Eſtq; vel vectorium, vel nauticum.*

56 *Vectorium vectigal eſt, quod ex mercibus curru aduectis percipitur.*

57 *Nauticum vectigal eſt, quod ex mercibus naui aduectis percipitur.*

58 *Vtrumq; vel eſt intraneum, vel extraneum: quorum illud à ciuibus ipſis; hoc, à peregrinis exigitur.*

59 *Tributum eſt reditus publicus, quem ſubditi ex ſuis poſſeſſionibus in vſum Reipublicæ conferunt. Vnde etiam* collatio *nuncupari ſolet.*

60 *Idque vel eſt ex immobilibus, vel ex mobilibus.*

61 *Ex immobilibus tributum eſt, quod datur ex fundis, prædiis, agris & ædificiis.*

62 *Ex mobilibus tributum eſt, quod datur ex iis rebus, quæ de loco in locum ſaluæ transportari poſſunt; cuiusmodi ſunt vinum, cereuiſia; frumentum, &c.*

63 *Secũdaria media ſunt, quæ vel viuẽtes, vel mortuos reſpiciunt: ex quib. priores verſantur partim circa mulctas; partim circa bona confiſcata; partim circa bona ereptitia; poſteriores partim circa vacãtias, partim circa bona caduca, quæ cedũt Reipublicæ ex hæreditate eorum,*

qui ſine hæredibus obierunt; partim circa legata Reipublicæ facta.

64 *Extraordinaria media conſiderantur vel ex parte principis, vel ex parte ſubditorum.*

65 *Ex parte principis ſunt matrimonium, hæreditas, donatio & ius belli.*

66 *Ex parte ſubditorum eſt extraordinaria contributio, quæ triplex eſt;* iugatio, capitatio, & hoſpitatio.

67 *Iugatio eſt contributio extraordinaria ſubditis pro magnitudine, numero & qualitate poſſeſſionum & iugerum agri indicta.*

68 *Capitatio, eſt contributio extraordinaria, quæ in ſingula perſonarum capita conſtituitur, non inſpecta poſſeſſionum quantitate. Græcè* ἐπικεφαλία.

69 *Hoſpitatio eſt contributio extraordinaria qua ſubditi obligantur ad hoſpitium aliquandiu præbendum militibus aliisve perſonis Reipublicæ miniſterio addictis.*

70 *Sic de corporalibus rebus mobilibus. Reſtant incorporales, quæ ſunt vel ſacra, vel profana.*

71 *Sacra ſunt religio & res literaria.*

72 *Profana alia ſunt primariæ, aliæ ſecundariæ.*

73 *Primariæ ſunt, diſciplina ciuilis, conſilia, leges & iudicia.*

74 *Secun-*

74 Secundariæ ſunt, commercia publica.

1 An in Republica omnium rerum inter ciues debeat eſſe communio?

SEntentiam affirmantem olim acriter defendit Plato in dialogo quinto De Repub. ita vt etiam non tantum poſſeſſionum ſeu facultatum, ſed etiam vxorum & liberorum communionem in Rempublicam introducendam eſſe duxerit. Rationes ipſius tres fuerunt principales: 1, quia per eiuſmodi communionem ciuitas maximè fit vna, ſeu ad vnitatem redigitur. Quo autem ens aliquod magis eſt vnum: eò eſt diuturnius & ſtabilius: Vnitas enim conſeruat res; multitudo verò deſtruit. 2, quia per eiuſmodi communionem ſumma inter ciues concordia, animorumq; conſenſio gignitur: & ſic omnium diſcordiarum & contentionum cauſa tollitur, quibus Reſpub. euerti aut ſaltem plurimum labefactari ſolet. Si enim omnia ſint cōmunia, nemo poterit amplius priuatim pro ſe ſolo dicere: *hoc eſt, meum*; *hoc non eſt meum, ſed tuum*; vel, *hoc non eſt tuum*, ſed, *meum*: ſed omnes communiter poterint dicere: *hoc eſt meum*. Atq; hoc modo tollerentur ex ciuitate hæ duę voces, *Meum & Tuum*, ex quibus omnes ferè inter homines exiſtunt diſcordiæ, lites & controuerſiæ tam publicè in foro & iudiciis, quam priuatim extra iudicia in vita quotidiana. His autem ſublatis, neceſſe eſt inter ciues ſummam animorum conſenſionem & concordiam eſſe. 3, quia per eiuſmodi communionem efficitur, vt voluptates & dolores ciues inter ſe habeant communes;

Pro communitate Platonica.

Rationes Platonis. 1 2 3

Digitized by Google

vnoq; benè vel malè affecto, omnes ſint pariter benè vel malè affecti: neq; accidat vt iisdem ciuitatis, & eorum qui in ea habitant, caſibus alii doleant, alii gaudeant. Illa autem communio voluptatis & doloris magnam vim habet ad cõſeruandam ciuitatem; ſicut contra, earundem rerum proprietas ad deſtruendam.

ationes ..iorum. His rationibus Platonis alii, qui planè eandẽ, aut ſaltem facultatum & poſſeſſionum omnium communitatem approbant, alias rationes ſubiiciunt; 1, quia nulla hominum ſocietas eſt, quæ non habeat aliquam bonorum communionem. Ergò neq; Reſpub. ſine rerum communione exiſtere poteſt. 2, quia eiuſmodi bonorum communio, à Deo in Paradiſo eſt inſtituta, dum Adamum, eiuſq; poſteros iubet replere terram, omnibuſq; animantibus terræ ex æquo imperare. 3, quia cum lege Dei & naturæ congruit, quæ præcipit, vt proximum noſtrum diligamus ſicut noſmetipſos, aliiſq; non minus, quam nobiſmetipſis benè cõſultum cupiamus. 4, quia amicorum interſe omnia debent eſſe cõmunia, iuxta Prouerbium, τὰ τῶν φίλων κοινά: quod non tantum *Plato libro 5. de legibus*, & *Ariſtoteles lib. 8. Ethic. Nicomach.* vſurpat, ſed etiam *Euripedes in Oreſte & Andromacha*: nec non *Terentius in Adelphis*, & *Cicero lib. 1. Offic.* Iam autem omnes ciues inter ſe debent eſſe amici: Ideoq; etiam omnia inter ſe debent habere communia. 5, quia proprietas rerum non lege naturali, ſed tantum ciuili in mundum eſt introducta. Et hoc etiam teſtatur *Cicero lib. 1. Offic.* cum ait. Sunt priuata nulla natura (hoc eſt, ſecundum legem naturalem)

Digitized by Google

ralem) ſed aut veterum occupatione, vt qui quondam in vacua venerunt, aut victoria, vt qui bello potiti ſunt, aut lege, pactione, conditione, ſorte. 6, quia communitas rerum auaritiam & πλεονεξίαν extirpat, impeditque ne in cōtractibus & commertiis hominum committantur doli, fraudes, periuria, furta, rapinæ & id genus alia ſcelera. 7, quia Chriſtiani in primitiua Eccleſia habuerunt inter ſe bonorum communionem; & propterea etiam in ſacra ſcriptura commendantur.

Cæterum Platonica illa rerum omnium cōmunio non tantum ab Ariſtotele neruoſe impugnatur *lib. 2. Polit. c. 2. 3. 4. & 5.* ſed etiam ab aliis viris doctis & ſapientibus.

Contra cōmunitatem Platonicam Argum.

Argumenta præcipua ſunt: 1, quia eiuſmodi communitas tollit proprietatē rerum & diſtinctionem dominiorum, quæ tamen legibus naturalibus diuinis & humanis eſt conſentanea quippe quæ præcipiunt, vt quiſquis ſuum teneat, hoc eſt, ſuis propriis bonis ſit contentus, neque aliena bona appetat, multo minus per vim, ſiue clanculum auferat.

II, quia communio vxorū & liberorum multa in Rempublicam mala introducit. Nā 1, euertit naturā matrimonii, quod eſt coniunctio legitima vnius maris & fœminæ indiuiduā vitæ cōſuetudinē ſecum trahēs. 2, quia ignorantiā parit propriorum parentū, liberorum, fratrum, ſororū, agnatorū & affiniū. 3, quia abolet gradus cognationum & affinitatū à Deo & natura conſtitutos, & ſic familiarum diſtinctiones tollit. 4, quia amorem naturalem, qui inter coniuges, parentes

& liberos eſſe debet, aut planè extinguit, aut ſaltem valde imminuit: quatenus is cogitur extendi ad multos. Nam vt *Bodinus ait lib. 1. de Repub. cap. 2.* amoris & amicitiæ natura eſt eiusmodi, vt in plures diſperſus perinde vim amittat, vt flumina, quæ in riuulos diuiſa nec hoſtes aditu prohibere, nec ferendis nauibus vtiles eſſe poſſunt. Idcircò etiam *Ariſtotelis lib. 2. Polit. c. 2.* ait: Δύο ἐστὶν ἃ μάλιστα ποιεῖ κήδεσθαι τοὺς ἀνθρώπους καὶ φιλεῖν τό τε ἴδιον καὶ τὸ ἀγαπητόν· hoc eſt, *Duo ſunt quæ homines ad curandum & amandum maximè impellunt, proprium aliquid eſſe & amabile.* 5, quia negligentiam & incuriam affert circa educationem & inſtitutionem liberorum; tum, quia plerunq; negligentius peraguntur, quæ pluribus ſunt communiter demandata; tum, quia in tanta multitudine liberorum non poteſt adeò accurata & recta eſſe educatio & inſtitutio. 6, quia occaſionem præbet ad inceſtus, adulteria, ſtupra, parricidia aliaque ſcelera impunè perpetranda. 7, quia irritat iram Dei, vt bellum, famem, peſtem, aliasq; calamitates publicas hominibus immittat, ex quibus tandem conſequunturRerumpublicarum euerſiones.

3 III. quia communio bonorum ſeu facultatũ & poſſeſſionum 1, tollit ex Repub. diſcrimen inter pauperes & diuites. 2, homines ignauos & ſegnes reddit ad laborandum & acquirẽdum per labores victum & amictum aliasq; diuitias. Nam, vt Ariſtoteles ait, *lib. 2. Polit. cap. 3.* ἥκιστα. ἐπιμελείας τυγχάνει τὸ πλεῖστον κοινόν. Τῶν γὰρ ἰδίων μάλιστα φροντίζουσι, τῶν δὲ κοινῶν ἢ ὅσον ἑκάστῳ ἐπιβάλλει, hoc eſt, *quod plurimorum commune eſt in eo procurando minima diligentia adhibetur.* Rerum enim propria-

rum

rum maximam curam habent homines; communium aut minorem, aut tantam quanta ad vnamquemque pertinet. 3, homines inuitos aut nolentes efficit ad ſeruiendum & obediendum aliis. 4, tollit reſpectum perſonarum circa laborum diſtributionem fructuumq; perceptionẽ; & ſic occaſionem ad querelas, lites & contentiones hominibus imperitis præbet, quando vident interdum eos, qui plurimum laborant, minus accipere quam eos qui, vt ipſi arbitrantur, parum aut nihil laborant. 5, quia liberalitatem & beneficentiam inter homines tollit, quæ præcipit vt de noſtris bonis aliis benefaciamus. Qui enim de alienis aut communibus bonis alicui benefacit, is verè & propriè non poteſt dici liberalis.

IV. Quia Platonica communitas in Rempublicam inducit vnitatem non tantum pernitioſam; ſed etiam eius naturæ & fini repugnantem. Siquidem illa conſtat ex partibus ſpecie & ordine inter ſe differentibus. Ideoque fieri non poteſt, vt ad ſimplicem vnitatem redigatur per quam omnis inter ciues diſſimilitudo excludatur: non ſecus ac concentus bonus conſiſtere non poteſt ſi vocum artificioſè inter ſe confuſarum diuerſitas ac diſſimilitudo, quæ harmoniæ ſuauitatem efficit, ad vnum & eundem ſonum reuocetur. Præterea finis Reipub. eſt αὐτάρκεια, hoc eſt, rerum ad vitam ciuilem neceſſariarum affluentia. Illam autem impedit vnitas Platonica, quatenus omnem inter ciues vitæ & ordinis diſſimilitudinem excludit. Cum enim res quib. ſocietas ciuilis indiget ad vitam commo- 4

& liberos eſſe debet, aut planè extinguit, aut ſaltem valde imminuit: quatenus is cogitur extendi ad multos. Nam vt *Bodinus ait lib.1.de Repub.cap.2.* amoris & amicitiæ natura eſt eiusmodi, vt in plures diſperſus perinde vim amittat, vt flumina, quæ in riuulos diuiſa nec hoſtes aditu prohibere, nec ferendis nauibus vtiles eſſe poſſunt. Idcircò etiam *Ariſtotelis lib.2.Polit.c.2.*ait: *Δύο ἐστὶν ἃ μάλιστα ποιεῖ κήδεσθαι τοὺς ἀνθρώπους καὶ φιλεῖν, τό τε ἴδιον καὶ τὸ ἀγαπητόν·* hoc eſt, *Duo ſunt quæ homines ad curandum & amandum maximè impellunt, proprium aliquid eſſe & amabile.* 5, quia negligentiam & incuriam affert circa educationem & inſtitutionem liberorum; tum, quia plerunq; negligentius peraguntur, quæ pluribus ſunt communiter demandata; tum, quia in tanta multitudine liberorum non poteſt adeò accurata & recta eſſe educatio & inſtitutio. 6, quia occaſionem præbet ad inceſtus, adulteria, ſtupra, parricidia aliaque ſcelera impunè perpetranda. 7, quia irritat iram Dei, vt bellum, famem, peſtem, aliasq; calamitates publicas hominibus immittat, ex quibus tandem conſequuntur Rerumpublicarum euerſiones.

3 III. quia communio bonorum ſeu facultatũ & poſſeſſionum 1, tollit ex Repub. diſcrimen inter pauperes & diuites. 2, homines ignauos & ſegnes reddit ad laborandum & acquirẽdum per labores victum & amictum aliasq; diuitias. Nam, vt Ariſtoteles ait, *lib. 2. Polit. cap. 3.* *ἥκιστα ἐπιμελείας τυγχάνει τὸ πλείστων κοινόν. Τῶν γὰρ ἰδίων μάλιστα φροντίζουσι, τῶν δὲ κοινῶν ἢ οὐδὲν ἧττον ἢ ὅσον ἑκάστῳ ἐπιβάλλει·* hoc eſt, *quod plurimorum commune eſt in eo procurando minima diligentia adhibetur.* Rerum enim propria-

rum

rum maximam curam habent homines; communium aut minorem, aut tantam quanta ad vnumquemque pertinet. 3, homines inuitos aut nolentes efficit ad ſeruiendum & obediendum aliis. 4, tollit reſpectum perſonarum circa laborum diſtributionem fructuumq; perceptionẽ; & ſic occaſionem ad querelas, lites & contentiones hominibus imperitis præbet, quando vident interdum eos, qui plurimum laborant, minus accipere quam eos qui, vt ipſi arbitrantur, parum aut nihil laborant. 5, quia liberalitatem & beneficentiam inter homines tollit, quæ præcipit vt de noſtris bonis aliis benefaciamus. Qui enim de alienis aut communibus bonis alicui benefacit, is verè & propriè non poteſt dici liberalis.

IV. Quia Platonica communitas in Rempublicam inducit vnitatem non tantum pernitioſam; ſed etiam eius naturæ & fini repugnantem. Siquidem illa conſtat ex partibus ſpecie & ordine inter ſe differentibus. Ideoque fieri non poteſt, vt ad ſimplicem vnitatem redigatur per quam omnis inter ciues diſſimilitudo excludatur: non ſecus ac concentus bonus conſiſtere non poteſt ſi vocum artificioſè inter ſe confuſarum diuerſitas ac diſſimilitudo, quæ harmoniæ ſuauitatem efficit, ad vnum & eundem ſonum reuocetur. Præterea finis Reipub. eſt αὐτάρκεια, hoc eſt, rerum ad vitam ciuilem neceſſariarum affluentia. Illam autem impedit vnitas Platonica, quatenus omnem inter ciues vitæ & ordinis diſſimilitudinem excludit. Cum enim res quib. ſocietas ciuilis indiget ad vitam commo- 4

dius degendam, ſint variæ & diuerſæ, non poſſunt ab hominibus eiusdem conditionis omnes ſimul acquiri ac ſuppeditari.

Proinde rectè à *Caſo lib.* 2. *Sphæra ciuitatis cap.* 1. Platonis opinio nominatur noua & inaudita, quæ nullius Principis diplomate ſit obſignanda & nullius Philoſophi Chirographo ſubſcribenda, propterea quod à natura & Iuſtitia abhorreat. Interim tamen Ariſtoteles, aliiq; Platonicæ communitatis impugnatores, non ſimpliciter omnem inter ciues bonorum communionem negant, ſed quandam approbant & admittunt, tanquam honeſtam, laudabilem & vtilem, eamque duplicem, vnam Politicam, alteram ethicã, ſeu moralem. Politicam vocant, per quam ciues multa bona inter ſe habent communia, vt ſunt, quemadmodum Bodinus enumerat *cap. 2. lib. 1. de Repub.* forum, fana, porticus, viæ, leges, iura, iudicia, ſuffragia, conſuetudines, theatra, mœnia, publica ædificia, paſcua communia, agri publici, ærariũ, deniq; præmia, pœnæ, legis actiones, multæq; cũ multis res rationesq; cõtractæ.

Quædam inter ciues communio eſt approbanda.

Ethicam ſeu moralem vocant, per quam proprietas & diſtinctio bonorum retinetur; vſus verò & fructus eorum efficiũtur communes, quatenus nimirum ciues alii aliorum inopiæ & egeſtati de ſuis propriis bonis ſuccurrunt, & ſic animi ſui beneuolentiam ac beneficentiam erga conciues ſuos declarant. De hac re Salomon in Prouerb. cap. 5. hoc tradit præceptum: *Bibe aquam è tuis fontibus, riuuli tui foras deriuentur in plateas: at tu dominus eſto horum ſolus.*

Supereſt igitur nunc vt ad argumenta quæ pro

Digitized by Google

pro communitate Platonica fuerunt allata, breuiter reſpondeatur. *Refutantur argumenta pro communitate Platonica allata.*

In primo diſtinguendum eſt inter vnitatem rerum naturalem, & præternaturalē. Non enim quælibet vnitas conſeruat res; ſed tantum ea, 1 quæ eſt ipſis naturalis, hoc eſt, naturæ earū conueniens. Nam illa, quæ præternaturalis eſt, hoc eſt, naturæ rerum contraria & repugnans, illa non conſeruat, ſed potius deſtruit & corrumpit res. Proinde non ſimpliciter vera eſt hæc propoſitio: Quicquid facit vt ciuitas maximè vna id ei eſt vtile; ſed tantum ſecundum quid, quatenus de vnitate ciuitatis naturali intelligitur, quæ non excludit patrium inter ſe diſſimilitudinem, ortam ex diuerſo earum ſtatu, ordine, vitæq; genere, neque dominiorum inter ciues proprietatem & diſtinctionem; ſed tantum requirit tum ciuium æqualitatem ſecundum proportionem partim arithmeticam, partim geometricam; tum eorundem inter ſe amorem, cōcordiam & beneficentiam, quæ quaſi anima ſunt ciuitatis.

In altero argumento communitati Platonicæ eiuſmodi effecta bona attribuuntur, quæ ta- 2 men ei per ſe & ſimpliciter non competunt: Et rurſus proprietati & diſtinctioni dominiorum eiuſmodi effecta mala aſſignantur, quorum tamen cauſa efficiens illa per ſe non eſt, ſed per accidens, propter interuenientem hominum improbitatem, præſertim auaritiam & iniuſtitiam.

In tertio conceditur quidem, quod voluptatū 3 & dolorū inter ciues communio magnā vim habeat ad conſeruandam vnitatem ciuitatis; ſed

negatur, quod illa per ſe & ſimpliciter oriatur ex illa Platonica omnium rerum communitate, cum potius ortum ſuum habeat ex honeſto amore, quo ciues ſe mutuo tanquam vnius corporis ciuilis membra amplecti & proſequi debent.

In quarto, quod primum eſt inter ea, quæ ab aliis afferuntur, conceditur, quod nulla ſocietas ſit, quę non aliquam rerum communionem habeat: ſed inde non ſequitur Rempub. ſine Platonica omnium rerum communione conſiſtere non poſſe.

In quinto negatur, quod Deus in paradiſo eiusmodi Platonicam omnium rerum communionem inſtituerit. Nam primum ad vitandas vagas, impuras & illicitas libidines tanquam remedium inſtituit matrimonium, in quo voluit, vt vnus mas cum vna muliere, & ſic maritus cũ ſua vxore, & vxor cum ſuo marito caſtè viueret. Deinde, ex eo quod Deus iuſſit Adamum, eiusque poſteros terram replere, omnibusque animantibus ex æquo imperare, non ſequitur, Deum omnium bonorum externorum communionem inſtituiſſe, eamq; voluiſſe inter homines vſq; ad finem mundi durare, ita vt nemini licitum fuerit habere quarundam rerum proprietatem, easq; pleno dominio poſſidere. Nam ipſe Deus poſt lapſum ad Adamum ait Geneſ. 3. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. tuo*, inquam, *non alieno*. Imo multiplicato genere humano proprietatem & diſtinctionem bonorum inſtituit; dum aliis hanc, aliis illam terræ, aliorumq; bonorum partem cõceſſit, vt ſacra ſcriptura teſtatur.

ſtatur. Et propterea etiam in decalogo non tantum furta quę ſunt alienarum rerum inuitis dominis contrectationes & ablationes; ſed etiam iniuſtas bonorum proximi concupiſcentias, ſeu appetitiones prohibet.

6 In ſexto argumento negatur quod communitas Platonica cum lege Dei & naturæ de diligendo proximo ſicut nobiſmetipſis, congruat. Illa enim tantum intelligenda eſt de amore, qui circa res honeſtas & licitas occupatur; non autem de amore, qui verſatur circa res turpes & illicitas, cuiuſmodi eſt communitas vxorum & liberorum.

7 In ſeptimo argumento conceditur, quod amicorum debeant omnia eſſe communia, quatenus ſcilicet ſalua honeſtate, ſaluiſq; legibus diuinis & humanis communia eſſe poſſunt. Sed inde probari non poteſt communitas Platonica, quæ honeſtati, legibusq; diuinis & humanis repugnat.

8 In octauo argumento non ſimpliciter verum eſt, quod proprietas rerum lege ciuili tantum in mundum ſit introducta. Nam etiam lege diuina quæ à lege naturali non diſcrepat, non tantũ proprietas vxorum ante lapſum; ſed etiam bonorum externorum, ſtatim poſt lapſum hominum, eorũq; ex paradiſo eiectionem eſt introducta, vt patet non tantum ex verbis Dei ad Adamum: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo*: ſed etiam ex Caini in aliam regionem commigrationem.

9 In nono argumento negari quidem non poteſt, Chriſtianos in primitiua Eccleſia commu-

nes habuiſſe poſſeſſiones. Sed illa communitas nuſpiam expreſsè à Deo mandata legitur; ſed certo cõſilio liberaq; voluntate ab iis ſuſcepta & inſtituta fuit propter ſingulares quaſdam circumſtantias temporis, in quo Chriſtiani multas perſecutiones & afflictiones cogebantur perpeti & nuſpiam tutas ſedes habebant, in quibus ſuis propriis bonis priuatim vti frui licuiſſet. Ideoq; exemplum hoc nõ eſt generale, ſed perſonale, quod vt aucto Chriſtianorum numero diuturnum eſſe non potuit; ſic iam vniuerſæ Eccleſiæ & Reipub. obtrudi non debet.

10 In decimo & vltimo argumento negatur, quod communitas Platonica ſimpliciter & per ſe poſſit impedire illa mala, quæ iam in contractibus & commerciis hominum committi ſolent. Improbi enim homines non minus in vſu bonorum communium fraudulenter & iniuſtè agere poſſunt, quam in contractibus & cõmerciis.

Diuerſa definitiones recenſentur, & examinãtur.

2 *Quid ſit domus, pagus, vrbs: & quomodo inter ſe differant?*

ARiſtoteles *lib. 1. Politic. cap. 2.* definit domũ Græcè οἶκον, quod ſit ἡ εἰς πᾶσαν ἡμέραν συνεστηκυῖα κοινωνία κατὰ φύσιν, hoc eſt, *communitas naturalis ad quotidianum vitæ vſum conſtituta*: Pagum verò Græcè κώμην, quod ſit ἡ ἐκ πλειόνων οἰκιῶν κοινωνία πρώτη χρήσεως ἕνεκα μὴ ἐφημέρου hoc eſt, *ſocietas prima ex pluribus domibus conſtituta vſus non diuturni gratia*: Vrbem deniq; Græcè πόλιν, quod ſit ἡ ἐκ πλειόνων κωμῶν κοινωνία τέλειος, hoc eſt, *ſocietas perfecta ex pluribus pagis ſeu vicis conſtituta*. Idem *lib. 1. Oeconom. cap. 1.* definit vrbem quod ſit οἰκιῶν πλῆθος καὶ χώρας καὶ χρημά-

κτημάτων αὐτάρκης πρὸς τὸ εὖ ζῆν hoc eſt, *multitudo domorum, agrorum & poſſeſſionum ad benè viuendum ſufficiens* Sed hæ definitiones præter alia vitia, quibus laborant, ſunt ambiguæ, propter æquiuocationem Gręcorum vocabulorum οἶκος, κώμη, καὶ πόλις: Illa enim non ſemper propriè vſurpantur; ſed ſæpè per metonymiam ſubiecti recipientis pro ſocietate domeſtica, pagana & ciuili ſumuntur. Idcirco alii aliis verbis definitionem domus, pagi & vrbis proponunt. Domum enim eſſe dicunt propriè modo ædificium ad habitandum factum, quod ex tecto & pariete conſtat: modo vnius familiæ habitaculum & ſedem. Pagum verò (quem à Græca voce πηγὴ, fontem ſignificante deriuant, vel quia pagi ſolent exſtrui propè fontes, vel quia homines pagani ſæpè aquam ex communi & eodem fonte haurire ſolent) modo definiunt, multitudinem ædificiorum ruſticorum inter ſe coniunctorum muro & foſſa carentem; modo communitatem villarum plurium murorum munitione deſtitutam. Vrbem vero (quam ab *vrbo*, ſeu *vruo*, hoc eſt, aratri curuatura deriuant, propterea quod olim veteres in condendis vrbibus aratro ſulcum ducere ſolebant, per quem illarum magnitudinē definiebant) modò multitudinem vicorum communi muro & foſſa ſeptam, munitamq;, modo communitatem plurium vicorum foſſa & muro munitam: modò tectorum coniunctionem delubris & ſpaciis communib. diſtinctam; modò domiciliorū coniunctionē, in qua ciues vnius ciuitatis cōmode habitāt. Ex quib. definitionib. patet domū propriè

eſſe vnum ſingulare ædificium, in quo Paterfamilias cum ſuis domeſticis degit vitæ & conuerſationis aſſiduæ quotidianæ gratia: Pagum vero conſtare ex pluribus domibus, ſeu villis inter ſe coniunctis quidem; ſed muro & foſſa carentibus: Vrbem deniq; conſtare ex pluribus non tantum domibus, ſed etiam vicis, muro & foſſa munitis. Vbi etiam notandum eſt, 1. pagum differre à vico in eo, quod vicus propriè nihil aliud ſit, quam locus publicus vtrinq; ædificiis cinctus, per quem incolæ tranſeunt. 2, vrbem dici opidum, vel quod opem præbeat aduerſus hoſtes, vel quod homines in ea opes ſuas recondant; vel quod in ea ſit quod opus eſt ad vitã benè degendam. Ideoq; per ſe inter vrbem & opidum nihil eſt diſcriminis, tametſi vulgò voce *opidi* intelligi ſoleat vrbs duntaxat parua, quæ bene munita non eſt. 3, vrbem aliam eſſe metropolin, quæ dicitur quaſi mater reliquarum; vel quod inde coloniæ deductæ ſint; vel quia præcipua eſt inter alias ciuitates, à quibus obſeruatur tanquam mater, & à qua aliæ tanquam filiæ reguntur & defenduntur, ſeu ad cuius exẽplar cæteræ ciuitates ſeſe conformant; aliam verò eſſe à metropoli pendentem, quæ imitatur illius gubernationem & iura ciuitatis.

Quomodo pagus à vico differat.

Cur vrbs dicatur opidũ.

An vrbs ab opido per ſe differat.

Vrbs quotuplex.

3 *An vrbs & ciuitas inter ſe differant?*

ETſi in communi loquendi conſuetudine ſæpenumero hæc duo vocabula inter ſe cõfunduntur, ita vt vrbs pro ciuitate, & ciuitas pro vrbe ſumitur; tamen ſi res ipſas conſideremus, quæ his vocabulis propriè ſignificantur, manifeſtum euadit, magnum inter vrbem & ciuitatem

Vrbs & ciuitas propriè inter ſe differunt.

tem eſſe diſcrimen. Nam vrbs propriè eſt multitudo vicorum, ſeu communitas plurium vicorum muro & foſſa munita. Et ſic eſt locus cõmunis, in quo ciues verſantur, vitamque ciuilem agunt. Ciuitas verò eſt cœtus ciuium in vrbe degentium. Vnde etiam ciuitas dicitur, quaſi *ciuium vnitas*, teſte *Petro Gregorio Toloſ. lib. 1. de repub. cap. 3.* Eſt enim ciuitas quaſi vnum corpus, cuius membra ſunt ſinguli ciues. Et hoc etiam teſtatur *Ariſtoteles lib. 3. Polit. capit. 1.* inquiens: ἡ πόλις πολιτῶν τι πλῆθός ἐστι· *ciuitas eſt ciuium quædam multitudo.* Item Cicero in Somnio Scipionis cũ ait: *Nihil eſt illi principi Deo, qui hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius quam concilia cœtusq; hominum iure ſociati quæ ciuitates appellantur.* Cui ſententiæ multi alii ex recentioribus tam theologis, quam philoſophis aſtipulãtur. Auguſtinus enim lib. 2. quæſt. Euangelicarum, cap. 46. *Ciuitas*, ait, *non eſt quorumlibet animantium, ſed rationalium multitudo legis vnius ſocietate deuincta.* Danæus lib. 1. Polit. Chriſtianæ cap. 3, *Ciuitas*, inquit, *eſt cœtus multitudinis hominum, qui communibus legibus vtuntur, & quidem communi conſenſu ſiue vnam duntaxat, ſiue plures vrbes inhabitant.* Sic Bodinus lib. 1. de repub. c. 2. ciuitatem nec in perſonis nec in mœnib. ſubſiſtere aſſerit; ſed in ciuium omnium cœtu ſub eiuſdem imperii ſumma poteſtate. Item cap. 6. ciuium multitudinem, iure ſociatam rectè ait ciuitatem appellari. Idem iudicat Nonius Marcellus his verbis: *Inter ciuitatem & vrbem hoc intereſt: vrbs eſt ædificia: ciuitas incolæ.* Vnde etiam Petrus Gregorius in loco ſupra citato inquit: ciuitatem non lapides, ſed homines facere. Cæte-

Vrbs propriè quid ſit.

Ciuitas propriè quid ſit.

tam neceſſitate fuerunt impulſi. Et hoc etiam teſtatur prima vrbs, quæ à Caino Adami filio multis ante diluuium ſeculis exſtructa fuiſſe legitur: & quidem ob metum ac trepidationem immanem, cum ille diuini iudicii ſigna propter fratrẽ Abelem à ſe trucidatum circumferret, & ſibi à quouis homine metueret. Præterea cum iidem homines viderent & intelligerẽt quam inſigne bonum ſit, partim ſecuritas, partim commoditas vitæ ciuilis: idcirco vtriuſque conſequendæ gratia condere aggreſſi ſunt. Hinc *Cicero lib. 3. Offic.* ait homines ſpe cuſtodiæ rerum ſuarum vrbium præſidia quæſiiſſe.

5 *An vrbes orientem & ſeptentrionem verſus ſint ſalubrius ſitæ, quam quæ meridiem ſolisq; occaſum ſpectant?*

ARiſtoteles lib. 7. Polit. in ſitu vrbis quatuor conſideranda eſſe docet, ſalubritatem aeris, bellorum opportunitatem, ciuilium actionum expeditionem, aquarum ſtantium & manantium copiam: quorum primum & vltimum, ciues; ſecundum, hoſtes, tertium, totius ciuitatis bonum commune ſpectat. De primo igitur quæritur *vtrum vrbes orientem & ſeptentrionẽ verſus ſint ſalubrius ſitæ, quàm quæ meridiem ſolisq; occaſum ſpectant.* In qua quæſtione theſin affirmatiuam defendit Ariſtoteles, ita tamen, vt omniũ ſaluberrimas dicat eſſe vrbes ad Orientem ſitas; poſt has autem ad ſeptentrionem ſitas. Ratio primæ aſſertionis eſt, quia orientalium vrbium ſitus à cælo, aere, vento & aquis omnium benigniſſimam habet influentiã. Nam 1. ex parte cęli ſol reliquaq; ſidera orientia primã lucẽ primoſque radios iis cõmunicant, & ſic vires ſuas in eas

Sentẽtia affirmatiua approbatur.

Digitized by Google

primum effundunt. 2, aer in orientalibus mundi plagis eſt puriſſimus, quatenus radiis ſolis tẽperatus & à craſſis virulentisq; vaporibus purgatur. 3, venti orientales omnium ſunt ſaluberrimi. 4, aquæ, quæ ab ortu manant, ſunt ſaluberrimæ. Ratio ſecundæ aſſertionis eſt, quia venti ſeptentrionales ſunt ſalubriores auſtralibus & occidentalibus, quatenus aerem purificant, intusq; aucto naturali calore concoctionem faciliorem ac celeriorem efficiunt.

6 *An vrbes mœnibus, turribus, arcibus, aliisq; propugnaculis ſint muniendæ?*

DIſceptari hæc quæſtio ſolet à Politicis in vtramque partem.

Pro theſi affir. Argum. Pro theſi affirmante afferri ſolent hæc argumenta: 1, quia munitiones vrbium decus & ornamentum vrbibus ipſis conciliant. 2, quia ſalutem & libertatem ciuium tutantur, eosq; non tantum aduerſus belluarum immanitatem: ſed etiam hoſtium incurſiones, direptiones, aliasq; iniurias defendunt. 3, quia ſecuritatem pariũt ciuibus, cuius obtinendæ gratia vrbes penè omnes conſtitutæ ſunt. 4, quia terrorem hoſtibus incutiunt, eosque à nefariis molitionibus violenter abſtrahunt & arcent. 5, quia antiquiſſimi quiq; vrbes mœnibus cinxerunt: Quod non feciſſent, niſi munitiores eiusmodi vrbes exiſtimaſſent: 6, quia nulla domus reperitur, quæ non parietibus, ianuis clauſis, &c. munita ſit. Ergo multo minus vrbs mœnibus, aliiſque propugnaculis carere debet. 7, quia beſtiæ ipſæ vrbium munitionem ſuadent; cum videamus beſtias etiam loca tuta & ſecura quærere, vbi degant.

gant. 8, quia vrbes non differrent à pagis, ſi mœnibus aliisque munitionibus eſſent deſtitutæ. 8

At contra pro theſi negante adducuntur hæc argumenta: 1, quia propugnacula vrbium ciues reddunt partim ignauos & otioſos; partim nimium ſecuros & confidẽtes: dum in his potius, quam in animi fortitudine & robore, manibusque & lacertis ſalutis præſidia collocant. 2, quia vrbes non ſaxis & lignis, vallis & mœnibus, ſed incolentium virtute muniendæ ſunt: quos ſi concordia coniungat, nullus murus poteſt eſſe magis inexpugnabilis. 3, quia munitiones vrbium, præſertim arces muniтiſſimæ, impiis principibus occaſionem præbent ad exercendam tyrannidem, ſubditoſq; vi opprimendum. Vnde etiam *arces munitæ iuga*, & *flagella Principum* appellari ſolent. 4, quia inter Principes & ſubditos diffidentiam ſuſpiciones pernicioſas excitãt. 5, quia ſubditis anſam præbent ad defectionem & rebellionem aduerſus ſuos principes. 6, quia ſi vrbes benè muniantur, metuendum eſt, ne hoſtis illas captas pertinaciter retineat, atq; inde toti regioni damnum & vaſtitatem inferat. 7, quia hiſtoriæ teſtantur multos diruiſſe ſponte arces munitiſſimas, ne illæ in poteſtatem hoſtium venirent. 8, quia vix hodie vrbes adeò munitæ reperiuntur, quæ diuturnam obſidionem ferre queant, & non vel fame, vel alia ratione coactæ tandem ſeſe dedant, & in hoſtium poteſtatem veniant; præſertim ob tormentorum bellicorum vſum, quorum impetum arces, aliaque loca munita ſuſtinere diu non poſſunt.

Pro theſi neg. Argum. 1 2 3 4 5 6 7 8

Theſis affirmatiua præfertur negatiuæ.

Cæterum ex mutua contrariarum rationum collatione apparet theſin affirmantem potius, quam negantem eſſe amplectendam; ſiquidem ea quæ contra vrbium munitiones afferuntur aut per accidens iis competunt, aut ſaltem infirmitate conſequentiæ, laborant. Ideoq; per ſe nihil certò & neceſſariò probare poſſunt. Vide *Bodinum lib. 5. de Repub. c. 5.* vbi eandem quæſtionem prolixè tractat.

7 *Vnde æſtimandus ſit bonus alicuius vrbis ſitus?*

Quæ ſpectanda ſint in ſitu vrbis bono rectè diiudicando.

IN ſitu vrbis bono rectè diiudicando, ſpectanda eſt aeris ſalubritas. Aer enim ſpiritus reddit viuaces ſi purus ac ſubtilis extiterit: ſuffocat contra ſi impurus & craſſus. Atq; hinc lau-
1 dantur vrbes illæ, quæ verſus Orientem & Septentrionem ſunt conſtitutæ vt ſupra' *quæſt. 5.*
2 traditum fuit: 2, loci in quo extructa eſt ſublimitas. Talis enim & munitior & maiorem habet aeris ſalubritatem ob ventorum frequentē ſpirationem vaporumq; craſſorum tum pauci-
3 tatem tum diſſipationem. 3, diſtantia eius longa à ſtagnis & paludibus. Talis enim minus nebularum & exhalationum venenatarum habet.
4 4, fructuum abundantia ad alendos homines.
5 5, commoditas illius ad ciuiles actiones, præſertim commercia inſtituenda. Vnde optimus
1 vrbis ſitus habetur. 1, ſi non procul à mari aut flumine nauigabili abſit: propterea quod inde & euehi, quæ ſuperſunt, & quæ deſunt aduehi
2 facilè poſſint: 2, quæ rei militari inſeruit, hoc eſt, quæ eſt εὐέξοδος καὶ δυσέφοδος, id eſt, faciles exitus habet, ad educendum & deducendum exercitum, hoſtibuſque acceſſu eſt difficilis. 6, dulci-

Digitized by Google

dulcium aquarum commoditas & ſalubritas & 6
ſufficientia. Eſt enim aqua maximè neceſſaria ad vitam conſeruandam: & facilius homines cuiuſque rei quam aquæ dulcis defectum ferre poſſunt. Et maximè commendatur illa, quæ motu eſt velociſſima, aſpectu limpidiſſima,
pondere leuiſſima, concoctu facilima. 7, ho- 7
minum in ea viuentium fœcunditas. pulchritudo, *ὑγιεία* & viuacitas. Eſt enim malum ſignum, vbi mali coloris homines, aut deformes aut debiles, pauci pueri, pauciores ſenes reperiuntur. Hinc veterum conſuetudo laudatur, qui opida aut caſtra ſtatiua conſtituturi pecorum, quæ ibi paſcebantur, inſpiciebant iecinora: Et ſi eſſent liuida aut vitioſa, aliô migrabant: quod ſtatuerent idem in humanis quoq; corporibus metuendum eſſe.

8 Quomodo vrbs ſit partienda?

CAſmannus *cap. 65. Politicæ*, vrbis partes alias dicit eſſe priuatas, alias publicas. Priuatæ, *De partitione vrbis.* inquit, ſunt, quarum poſſeſſio & vſus pertinet ad homines priuatos, vt ſunt domus, & his annexi horti. Publicæ ſunt, quarū poſſeſſio & vſus eſt publicus, vt ſunt plateæ, ædificia & ſpacia publica. Publica ędificia ſunt cōparata vel ad ſubſidiū, vel ad conuētus publicos. Ædificia ad ſubſidiū extructa ſunt partim defendentia, partim excipiētia. Defendentia ſunt mœnia & armamētaria. Mœnia ſunt muri circa vrbē erecti, quib. ferè adiuncta ſunt propugnacula, foſſę ac munimenta portuum, per quas patet in vrbem ingreſſus. Armamentaria ſunt ædificia, in quibus armamenta armaque aſſeruantur ad vrbis

præſidium: Excipientia ædificia ſunt diuerſoria & granaria. *Diuerſoria* ſunt domus ad excipiendos & ſuſtentandos victu neceſſario peregrinos & alios aduenrantes in vrbem, donec ſua expedierint negocia. *Granaria* ſunt ædificia ad excipiendum & conſeruandum commeatū aut theſaurum publicum frumenti & rerum ad victum pertinentium. Ad conuentus publicos pertinent curia, templa, ſcholæ, theatra & domus conuiuiorum publicorum. Spacia publica ſunt, quæ ad vſus publicos vacua ædificiis relinquuntur, vt ſunt forum & cœmeterium. Forum eſt ſpatium publicum, deſtinatum viuorum ciuium conuentui frequentiori cum ad venditiones & emptiones rerum neceſſariarum, tum ad alia negotia publica exercenda. Cœmeterium eſt locus ſepulturæ ciuium. Hoc eſt aut templis adiunctum, aut extra vrbem non procul à mœnibus. Quomodo verò hæc partitio vrbis cum meâ congruat, vide in ipſis præceptis.

9 *An muri & portæ vrbis rectè numerentur inter res ſanctas?*

Theſis affirmatiua defenditur per diſtinctioné.

VEteres muros & portas vrbis numerarunt inter res ſanctas. Ideoq; prohibebant nè quis muros violaret aut trāſcenderet, ne ve muri, aut portæ habitarentur, ſine permiſſu Magiſtratus, partim propter incendia fortuita, quæ poſſunt muros conſumere & conficere; & ſic hoſti aditum in vrbem patefacere: partim propter pericula, ne hoſtis ea parte, quam priuati homines inhabitant, admotis ſcalis clam inuadere poſſit vrbem. Vt autem veritas quæſtionis intelligatur, notanda eſt homonymia in vocabulo

bulo *Sanctus*, quod quandoq; propriè ſumitur pro eo quod non eſt profanum; quandoq; impropriè pro eo, quod eſt inuiolabile. Et in hac poſtrema ſignificatione muri & portæ ab Antiquis dicuntur *res ſanctæ*.

10 *An ſuburbia ſint partes vrbis?*

SEntentiam affirmantem defendit *Bodinus lib. 1. de Republica, cap. 6.* dum ait, vrbē ipſam mœnium & ſuburbiorum ambitu cōtineri, nec vrbem à ſuburbiis & continentibus ædificiis ſeiungendam eſſe. Sed huic opinioni refragatur ratio, quæ docet vrbem mœnium ambitu terminari, nec eius appellationem ſepta murorū tranſire. Idcircò etiam vrbem dici ab *vrbo*, vel *vruo*, hoc eſt, curuatura aratri, quo ambitus vrbium olim ſolebant definire. Ergò cum ſuburbia ſint extra muros vrbis ſita, non poſſunt eſſe partes vrbis. Pro deciſione quæſtionis quidam reſpondent, ſuburbia quidem propriè partes vrbis non eſſe; ſed potius ipſius appendices; cum vrbs murorum ambitu finiri ac terminari ſoleat: nihilominus tamen appellatione propria vrbis ſimul ſuburbia includi. Et hoc etiam teſtatur Paulus Iureconſultus, cum ait: *Vrbis appellatio muris: Romæ autem, continentibus ædificiis finitur*: Quibus verbis indicat vrbis quidem dictione, quæ intra muros ſunt, tantum contineri, non ſuburbia: ſed Romæ appellatione, hoc eſt, nomine, quo vrbs dicitur, contineri ſimul ſuburbia, id eſt, continentia ædificia, quæ vrbi proximè adiacent.

Theſis affir. defenditur per diſtinct.

11 *Quæ in templis ædificandis ſint ſpectanda?*

CVm templa ſint loca publica, rebus diuinis conſecrata, neceſſe eſt, vt primum ad eorum ædificationem eligatur locus aliquis idoneus. Is autem locus eſt idoneus, qui partim eſt illuſtris & eminens, ac præ cæteris vrbis partibus tutus ac munitus: partim liber & remotus cum à commerciis ementium & vendentium, tum à ſordidorum opificum ſtrepitu & fœtore. Ideoque etiam eiusmodi hominibus concedi non debet, vt propè templa habitent; tum ne ædes illæ ſacræ ab iis profanentur; tum ne Chriſtianorum deuotio ab iiſdem impediatur aut interturbetur. Deinde neceſſe eſt, vt ornatè & ſplendidè, vitato tamen omni luxu exſtruantur.

Nam 1, palatia principum ſolent eſſe ornata & ſplendida. Multò ergò magis templa Dei. 2, quia eiuſmodi ornatus & ſplendor maiorem deuotionem animis hominum incutit. 3, quia indecorum eſt domos & veſtes noſtras eſſe pu[...]ras, templa autem Dei luto ſordeſcere, non lo[...]cus ac ſtabula porcorum. 4, quia Deus ipſe cœlum ſupremum ſibi fabricauit & elegit tanqua[m] habitaculum omnium corporum ſplendidiſſimum & ornatiſſimum. Cum igitur templa Dei terrena debeant eſſe ſimulacra illius templi altiſſimi & ſupremi; abſurdum eſt illa eſſe ſordida & inculta. Idcirco Deus etiam voluit, vt à Salomone templum ſibi magnificum & illuſtre exſtrueretur.

12 *An*

Digitized by Google

12 *An in Republica bene conſtituta aſyla ſint conſtituenda & permittenda?*

PRo theſi negante faciunt hæc argumenta: 1, quia aſyla facinoroſis hominibus ſpem impunitatis pariunt: & hoc modo ad maiora flagitia perpetranda occaſionem præbent. 2, quia iuſtitiæ aduerſantur, quæ vult vt boni præmiis; ita mali pœnis dignis afficiantur. 3, quia magnus eſt abuſus aſylorum. Ideoq; etiam Auguſtus Cæſar aſyla à veteribus cõſtituta abrogauit. Quod non feciſſet, ſi iudicaſſet illa Reipub. eſſe ſalutaria.

Argum. Pro theſi neg. 1 2 3

At pro theſi affirmante afferri poteſt: 1, quod aſyla non tantum à Deo permiſſa ſunt populo Iſraelitico: ſed etiam mandata Deuter. 19: vt in terra Canaan inſtituerentur. 2, quod ſummi & rigidi iuris ſunt quaſi remedia emollientia; &, per conſequens, æquitati conſentanea.

Argum. Pro theſi affir. 1 2

Pro deciſione quæſtionis ſciendum eſt aſyla in Repub. benè conſtituta poſſe inſtitui & permitti, ſi modò omnis eorum abuſus tollatur, & eo fine duntaxat, quem Deus ipſe reſpexit, concedantur & permittantur. Ille autem finis eſt, nõ vt ſint refugia ſacrilegorum, aliorũq; facinoroſorũ hominum, qui peculiariter & contumaciter peccẽt; ſed vt ſint refugia illorũ hominum, qui per ignorantiam & errorem alium hominẽ interficiunt. Idcirco etiã Exodi 21. Deus ab altari ſuo auellere eum iubet, qui data opera & ex inſidiis proximum ſuum occiderit. Nec in iure aſyla conceduntur latronibus, homicidis, virginum raptoribus, ſacrilegis, reis diuinæ & humanæ maieſtatis, &c.

Quæſtio deciditur cum limitatione.

13 *An extraneis nouas ſedes eligentibus permittendum ſit, vt nouas vrbes extruant?*

Theſis affirmatiua defenditur ex ſententia Petri Gregorii.

SEntentiam negantem defendit *Petrus Gregorius lib. 2. de Repub. cap.* 1. propterea quod hiſtoria teſtetur multas Reſpublicas ſubuerſas eſſe ab extraneis, quibus permiſſum fuit, vt nouas vrbes conderent. Affert autem duo exempla memorabilia. Vnum eſt Afrorum; qui Carthaginis ædificationem conceſſerunt Phœnicibus. Cum enim Phœnices fugientes tyrannidē Pygmalionis Tyranni in Africam veniſſent & ab Afris repellerentur, petierunt tantum loci ad incolendum, quantum tauri tergus comprehenderet. Riſerunt illi Phœnicum tunc ſordes, & puduit tantillam rem denegare: ſed maximè mirati ſunt, quomodo opidum in eo ſpatio poſſet fieri, cupidique videndi commentum ingenioſum iurati promiſerunt ſe daturos. Phœnices verò ſecto in orbem corio, ſic vt vnam corrigiam efficerent tenuiſſimam circumtenderūt, vbi fuit arx poſtea Carthaginenſium, quam inde *Byrſum* nominarunt. Procedente verò tempore incurſantes finitimos & vincentes, nauibus quoque per mare victum quærentes, more patrio arci & vrbem circumdederunt; iamque potentes obtinuerunt Africam mari latè imperantes. Alterum exemplum eſt Segoregiorum, quorum rex Senano permiſit Phocenſibus Maſſiliam in ſuis finibus ædificare, quæ tandem pro ciuibus primum inquilinis protulit dominos regionum, vt teſtatur Iuſtinus lib. 43.

14 *An*

Digitized by Google

14 *An ſine annuis reditibus Reſpublica conſiſtere poſſit?*

STatuitur theſis negatiua. Rationes ſunt: 1, *Sentētia neg. defenditur*
quia ſicut in domo rectè conſtituenda & ad- 1
miniſtranda opus eſt pecunia, & ſine ea nihil re- 2
ctè fieri & perfici poteſt. Ita quoq; in Repub.
2, quia Reſpublica ſine reditibus eſt velut cor-
pus humanum ſine brachiis. 3, quia reditus an- 3
nui ſunt inſtrumenta benè conſtituendi & ad-
miniſtrandi Rempublicam. Vnde etiam χρήματα à Plutarcho dicuntur νεῦρα τῶν πραγμάτων, hoc eſt, *nerui rerum agendarum*. Sicut enim in corpore phyſico animalis nerui ſunt prima ſenſus motusq; inſtrumenta: Ita etiam in corpore ciuili, cuiusmodi eſt Reſpublica, pecunia eſt primum
rerum agendarum inſtrumentum. 4, quia eo fi- 4
ne omnis generis tributa tam ordinaria quam extraordinaria, tam perſonalia quam realia inſtituta ſunt, vt Reſpublica annuos reditus habeat, per quos neceſſitati & indigentiæ ſuccurrat.

CAPVT VII.

De forma & ſpeciebus Reipublicæ.

1 *Fuit materia Reipublicæ. Reſtat forma eiusdem, quæ eſt legitima, diſtincta & harmonica ſingularium partium Reipublicæ coordinatio, & ad vnum corpus ciuile reductio.*

2 *Porrò ſi ſpecies Reipublicæ ſpectes, alia eſt ſimplex, alia compoſita.*

3 *Simplex Reſpublica eſt, quæ ex aliis di-*

Google

uerſis Rebuſpublicis non eſt conflata.

4 Eſtque reſpectu imperii vel monarchica, vel polyarchica.

5 Monarchica Reſpublica eſt, quæ vnius imperio eſt ſubiecta.

6 Eſtq; vel minor, vel maior.

7 Minor eſt diſtrictus, Baronatus, & Comitatus.

8 Diſtrictus, eſt Reſpublica, à Domino gubernata.

9 Baronatus, eſt Reſpublica à Barone gubernata.

10 Comitatus, eſt Reſpublica à Comite gubernata.

11 Maior eſt principatus, & regnum.

12 Principatus, eſt Reſpublica à Principe gubernata.

13 Regnum, eſt Reſpublica à Rege gubernata.

14 Polyarchica Reſpublica eſt, quæ plurium imperio eſt ſubiecta.

15 Eſtq; vel Ariſtocratica, vel democratica.

16 Ariſtocratica, eſt Reſpublica ab optimatibus, ſeu primoribus gubernata.

17 Democratica, eſt Reſpublica à populo gubernata.

18 Compoſita Reſpublica eſt, quæ ex ſimplicibus Rebuſpublicis conſtat, cuiusmodi præ aliis eminet Imperium Romanum, quod ab Imperatore Romano adminiſtratur.

1 Quæ

Digitized by Google

1 *Quæ ſit forma Reipublicæ?*

De forma Reipub. opiniones aliorũ recenſentur & examinantur.

DE forma Reipublicæ diuerſæ reperiuntur
Philoſophorum opiniones. Alii enim for-
mam Reipublicæ ſtatuunt ipſam πολιτείαν, hoc
eſt, ciuile regimen, ſeu adminiſtrationem Rei-
publicæ: alii corporis vnionem cum membro- 1
rum concordia ſub vno ſpiritu: alii ciuium vni- 2
onem conſpirantium ad conſtituendum vnum 3
corpus ciuile: alii conſociationem legitimã per- 4
ſonarum & rerum, ex quib. Reſpublica conſtat.
Ex quibus opinionib. prima videtur nõ eſſe ad-
mittenda: cum Politia non pertineat ad Reipu-
blicæ conſtitutionẽ, ſed ad eiuſdem iam conſti-
tutæ conſeruationem & amplificationem. Reli-
quæ verò veritatem quidem attingunt; ſed vna
clarius & perfectius; alia obſcurius & imperfe-
ctius. In primis verò vltima ob claritatem & per-
fectionem ſuam eſt recipienda: cum qua planè
congruit ea quæ in primo præcepto huius capi-
tis eſt expreſſa. Cum enim legitima conſociatio
perſonarum & rerum, ex quibus Reſpublica
conſtat, ſeu quod idem eſt, diſtincta ſingularum
partium Reipublicæ coordinatio & ad vnum
corpus ciuile reductio ſit cauſa interna, per quã
Reſpublica tanquam formatum eſt id quod eſt,
& eſſentialiter ab aliis rebus diſtinguitur: ſequi-
tur illam eſſe neceſſariò formam Reipublicæ.

2 *Quot ſint ſpecies Reipublicæ?*

Sententia aliorum exponitur & refellitur.

PLeriq; Politici Rempublicam diuidunt in tres ſpecies, nempe *Monarchiam, Ariſtocratiam, & Democratiam*. Sed hæc ſententia Rẽpublicã cum politia ſeu imperio cõfundit: cũ tamẽ res ſint diſtinctiſſimæ. Ideoq; ſimpliciter admitti nõ poteſt, niſi adhibita correctione, dicamus

Rempublicam reſpectu Politiæ diuerſæ aliam eſſe monarchicam, aliam ariſtocraticam, aliam democraticam. Quam ob cauſam ego quoq; ſupra in præceptis Rempublicam diuiſi in ſimplicem & compoſitam: Deinde vtramq; ſubdiuiſi in monarchicam & polyarchicam. Ad monarchicam retuli diſtrictum, baronatum, comitatum, principatum, & regnum: quia ſingulæ illius ſpecies Reipublicæ immediatè vnius imperio ſunt ſubiectæ. Ad Polyarchicam retuli Ariſtocraticam & Democraticam; quia vtraq; non vnius, ſed plurium imperio eſt ſubiecta: prior quidem optimatum, poſterior verò populi imperio.

Etſi verò hæc diuiſio Reipublicæ, prout à me eſt tradita, mira & abſurda videri poſſet: cum vulgò monarcha dicatur, qui ſolus totius orbis terrarum eſt dominus; aut ſaltē maximam eius partem pleno imperio poſſidet: tamen ſi accuratè conſideretur quid propriè ſit monarchia, nempe vnius ſolius imperium & dominatus: facilè inde colligitur, nihil abſurdi in illa diuiſione à me eſſe commiſſum. Quod verò alii Rempublicam diuidunt in pagum & vrbem; illa diſtributio à natura Reipublicæ planè eſt aliena. Pagus enim & vrbs non ſunt ſpecies Reipublicæ; ſed partes illius materiæ, ex qua Reſpublica conflatur, vt patet ex præcedente capite.

3 *Vtrum magnitudo Reipublicæ, ſeu ciuitatis numero hominum, an potentia ſit definienda?*

Pro parte poſteriore contra priores.

ARiſtoteles *lib. 7. Polit. cap. 4.* ſtatuit ciuitatem non numero hominum, ſed potentia defi-

definiendam & metiendam eſſe. Argumenta *Argum.*
præcipua ſunt: 1, quia magnitudo Reipublicæ 1
ſeu ciuitatis æſtimatur ex copia & ſufficientia omnium rerum ad vitam ciuilem benè degendā neceſſariarum. Illa autem non conſiſtit in numeroſa multitudine ciuium, ſed in potentia: non ſecus ac magnitudo exercitus, non ex militum multitudine; ſed ex virtute & potentia æſtimatur. 2, quia Reſpublica ordine, ratione & 2
lege eſt regenda. Id autem fieri nō poteſt, ſi eius magnitudo, turba & multitudine hominum definiatur. Hæc enim non facilè in ordinem redigi, nec ratione coerceri, nec legibus ſapienter dirigi ac gubernari poteſt. Impedit enim rectā imperandi formam nimia multitudo hominū; niſi diuina mens & potentia adſit, quæ ciuitatem, vt Deus vbique exiſtens mundum, regat. Imo leges violat, ordinem peruertit, dignitatē obſcurat, magiſtratum contemnit. Deniq; cōfuſionem & perniciem parit. 3, quia ſicut cor- 3
pus humanum ſatis tum ſanum dicitur, cum nulla vel totius vel partium actio impeditur: Ita ciuitas ſatis tum magna dicitur, cum ob potentiam ſuis officiis muneribusq;, ad quæ ordinata & deſtinata eſt, benè fungi poteſt. 4, quia ſicut 4
opus naturæ vel artis monſtroſum dicitur, quādo magnitudo ipſius iuſtam proportionem nō habet, aut partes, ipſius vel redundant, vel deficiunt: Ita ciuitas, quæ nullam ſymmetriam ſeu proportionē ſuæ magnitudinis habet, vana aut nulla habetur. 5, quia in nimis magna ciui- 5
tate ciuium claſſes non ſunt probè diſtinctæ, neq; illorum ordines ſatis noti. Imò quod ma-

ximum eſt, ciues ciuibus & illorum ordines magiſtratibus ignoti ſunt. Vbi autem ciues ciuibus ignoti ſunt; ibi munera ciuitatis non ſatis conſideratè poſſunt diſtribui, iudiciaq; minus iuſtè & ſapienter fieri: circa q̃ duo aut negligẽter agere, aut turpiter errare, valdè periculoſus eſt error.

4 *An Reſpublica ſeu ciuitas quò maior & populoſior, eò ſit felicior & tutior?*

Pro theſi aff. Argum. 1 HÆc quæſtio etſi ex præcedenti facilè decidi poteſt: tamen maioris declarationis gratia placet illam in vtramq; partem ventilare. Ac quidem pro theſi affirmante faciunt hæc argumenta: *1*, quia ciuitas, quo maior eſt & populoſior, eò maiores vires habet ad reſiſtendum hoſtibus, & ad ſumptus magnos diu ferendos eſt aptior: Contra, quò minor eſt, minuſq; populoſa: eò minus aduerſus vim externam ſeſe defendere ac tueri poteſt propter copiarũ exiguitatem, minuſque diu ſumptus magnos ferre

2 poteſt. 2, quia Prou. 14. v. 78. Salomon ait ***in multitudine populi eſſe gloriam Regis, & cum non fuerit populus, eſſe attritionem Regis.*** Et propterea etiam Regnũ Salomonis, quo magis erat populoſum, eò magis à Deo benedictum fuiſſe, legitur lib. 1. Reg. 3.

Pro theſi neg. Argum.

1 Contra pro theſi negante faciunt hæc argumenta: 1, quia magna & populoſa ciuitas nõ tam

2 facile regitur, legibuſq; deuincitur, ac parua. 2, quia ciues eius inter ſe non ſolent eſſe tam concordes, noti & familiares, quam in minus ampla

3 populoſaq; ciuitate. 3, quia in magna ciuitate tã facilè agnoſci deligiq; nõ poſſunt ii, qui ad munus aliquod publicũ apti ſunt, ac in parua: propterea

præterea quod in illa alii ferè aliis ſunt ignoti. 4, quia in nimis populoſa ciuitate ciues ſibi mutuò potius obſtant aliiq; alios impediunt, quàm iuuāt: ex quo oritur magna rerum perturbatio. 5, quia nimis magnæ & populoſæ ciuitates omni libidinum & ſcelerum genere ſunt refertæ, ſeditionumq; plenæ: ex quo oritur illarum interitus, vt teſtantur Romæ, Corinthi, Carthaginis, Hieroſolymæ aliarūq; vrbium cadauera. 6, quia ciuitas populoſa facilimè exhauritur, fitq; in illa ſumma rerum omnium caritas & penuria, quod tantam hominum multitudinem, tanquam onus nimium & impar ferre atq; alere nequeat.

4 5 6

Pro deciſione quęſtionis notandum eſt in ciuitate commendari mediocrem hominū multitudinem, quæ neq; modum excedat, neq; nimium deficiat. Illam autem mediocrem & proportionatam multitudinem æſtimandam eſſe partim ex quantitate & fertilitate loci; partim ex alimentorum, quæ extrinſecus in eam terra marique inuehuntur, libertate: partim denique ex diuitiarum potentiæque magnitudine; partim denique ex ciuium bonorum & vtilium copia.

Quæſtio deciditur.

5 *An in Republica bene conſtituta nimia ciuium multiplicatio ſit per abortum fœminarum à Magiſtratu impedienda?*

ARiſtoteles *lib. 7. Polit. cap. 16.* docet ciuium numerum, quando ſupra eum, qui ſemel definitus eſt, excreuerit, à Magiſtratu imminuendū eſſe. Id autem cōmode fieri poſſe arbitratur, ſi procuret, vt fœminæ intra quadrageſimū

Sententia negatiua cōtra Ariſtotelem defenditur.

Digitized by Google

a momento conceptionis diem abortiant, antequam fœtus ſint animati. Verum hoc Philoſophi præceptum nullo modo à nobis, qui Chriſtiani ſumus, eſt amplectendum: 1, quia pugnat non tantum cum lege Dei de non committendo homicidio; ſed etiam cum mandato eiuſdem de multiplicando humano genere. 2, quia inſtitutioni diuinę matrimonii aduerſatur. 3, quia Naturæ bellum infert, cui propoſitum eſt per ſingulorum & indiuiduorum multiplicationem ſpeciei totius æternitatem cõſeruare, & id quod bonum eſt, latius diffundere. 4, quia occaſionem præbet ad ſemẽ fœcundum & prolificum, quod ad procreationem hominis eſt deſtinatum à Natura, corrumpendum; & ſic hominem ipſum ex eo naſcendum tanquam ſegetem in herba ſuffocãdum. 5, quia non tãtum Iurisconſulti Romani eam fæminam quæ partum abſq; dolo malo abegit, ream damnandamque eſſe apertè pronunciant; ſed etiam abortus procuratio diſertè Exodi 2. verſ. 22. prohibetur.

Ratio. 1 2 3 4 5

Obiectioni ocurritur. Neque eſt quod quis obiiciat minus malum eſſe eligẽdum, ne ſequatur maius. Falſum enim eſt quod voluntarius abortus mulierum ſit minus malum, quam nimia ciuium multiplicatio; cum ille ſit ſimpliciter turpis & iniuſtus; hæc verò non ſimpliciter. Deinde ipſum axioma non eſt ſimpliciter verum, ſed tantum de malis inutilibus; non autem de malis turpibus.

6 *An in quauis Republica, præſertim maiore vrbs aliqua primaria tanquã metropolis ſit conſtituenda?*

Pro theſi aſſir. Ratio. 1 SEntentiam affirmantem defendit *Ariſtoteles lib. 7. Polit. cap. 6.* Rationes præcipuæ ſunt: 1, quia

quia Reſpublica debet imitari Naturam. Hæc verò in omni regione locum aliquem eminentem fixit, eundemque maximè ornauit. Ergo etiam Reſpublica vrbem aliquam conſtituere debet, quæ præ cæteris ſit conſpicua, probeque ornata & munita. 2, quia in corpore humano 2
Natura vni parti principatum dedit. In ſuprema regione, eſt caput; in media, cor; in infima iecur. Ergo etiam in corpore ciuili vni vrbi principatus eſt attribuendus, vt ſit quaſi caput aut cor reliquarum. 3, quia in quolibet genere 3
entium datur aliquod primum & principale, ad quæ reliqua omnia, quæ in eo continentur, reduci ſolent. Ergo etiam inter vrbes Reipublicæ aliqua eſſe debet, quæ cæteris ſit ſuperior & eminentior. 4, quia vt inter ciues eſt vnus 4
Princeps; ita inter vrbes vna eſſe debet Principis maieſtate & honore digna, quæ ſit quaſi regia, ad quam vt ad aſylum iuſtitiæ & pacis reliquæ vrbes vrgente neceſſitate confugere poſſint. 5, quia antiquitatis exempla hoc idem mo- 5
nent. Italiæ enim metropolis, eſt Roma; Galliæ, Lutetia; Angliæ, Londinum; Iudææ, Hieroſolyma.

Porrò vt hoc addam obiter, vult Ariſtoteles eiuſmodi metropolim propè mare eſſe ſitam propter duas potiſſimum cauſas: quarum prima eſt opportunitas expugnandi hoſtes; altera facilitas exportandi & importãdi merces. Quibus addi poteſt delectabilis viuendi ratio propè mare, & perennis fructuum veluti ſcaturigo, quæ à mari in vrbem fluit. Hic enim ſitus lignea mœnia in portu aduerſus hoſtem habet:

Vbi ſita eſſe debeat metropolis.

Hic ſitus commune forum orbis terrarum habet: Hic denique ſitus infinita bona ab exteris nationibus in vrbem vehit. Ex quo etiam fit vt vrbs hoc ſitu ſit fortior, amœnior & locupletior. Sed ſicut iuxta tritum verſic.

Omnis commoditas ſua fert incommoda ſecum:

Ita etiam maris propinquitas mala quædam in vrbem transfundit. Hinc enim ciuium externi mores, mercatorum fraudes, peregrinorum lues, hoſtium inſidiæ magnæ, variæ pompæ & delitiæ ciuium, denique peſtis contagia in vrbem deriuantur. Sed hæc omnia fere mala aut prudentia Legislatorum, aut cura ſedula Magiſtratuum præueniri & euitari poſſunt.

Finis Libri I.

LIBER

POLITICÆ
LIBER SECVNDVS.
CAPVT I.
De imperio ciuili eiuſq; ſubiecto in genere.

1 *Hactenus explicata eſt prima pars Politicæ, quæ dicitur* conſtitutrix Reipublicæ. *Sequitur eiuſdem adminiſtratrix, quæ eſt pars altera Politicæ, tradens* modum Rempublicam conſtitutam benè adminiſtrandi.

2 *Illa vero eſt bipartita. Tractat enim partim de imperio ciuili, partim de ſubiectione ciuili.*

3 *Imperium ciuile eſt poteſtas legitima imperandi ad benè gubernandum Rempublicam ordinata.*

4 *In illo conſideranda veniunt partim ſubiecta, partim ſpecies.*

5 *Subiectum imperii ciuilis aliud eſt occupãs, aliud recipiens.*

6 *Subiectum occupans eſt Reſpublica, quatenus ex populo & re populi conſtat.*

7 *Subiectum recipiens, eſt Magiſtratus, qui eſt perſona publica legitima imperandi poteſtate inſtructa ad benè regendam Rempublicam.*

Digitized by Google

8 *In illa ſpectanda partim conſtitutio, partim recta officii adminiſtratio; partim diuiſio Magiſtratus.*

1 Quid ſit imperium ciuile?

Diuerſa imperii ciuilis definitiones recenſentur & excutiuntur.

CVm recta Reipublicæ adminiſtratio fundetur partim in imperio, partim in ſubiectione ciuili: neceſſe eſt vt primum omniū ſciatur, quid ſit imperium ciuile. Illud verò ab aliis definitur modò; certus ordo in iubendo & parendo: modò autoritas & ius ſubditis in Repub.
1 benè imperandi: modò dignitas & eminentia
2 Magiſtratus. Ex quibus definitionibus prima
3 & vltima planè ſunt vitioſæ: cum naturam definiti nulla ex parte exponant: Prima enim non competit imperio ciuili, ſed Politiæ, hoc eſt, ipſi adminiſtrationi Reipublicæ, quæ in imperando & parendo conſiſtit, vt infra fuſius ſuo loco explicabitur. Vltima verò effectum imperii cum ipſo imperio confundit. Magiſtratus enim & eminentia qua magiſtratus ab aliis ciuibus, eiuſdem Reipub. diſcernitur, pendet ab imperio ipſius, tanquam effectum à cauſa efficiente. Melior igitur eſt ſecunda definitio: quippe quæ naturam definiti perſpicuè declarat. Cum qua & planè conſentit ea quæ ſupra in præcepto tertio à me eſt aſſignata; in qua imperium primum dicitur *poteſtas legitima*, vt diſtinguatur à poteſtatē illegitima ſeu violenta, quam quis contra leges in alium ſibi vſurpat: Deinde dicitur illa poteſtas ordinata ad Rempublicam benè gubernandam, vt ſignificetur finis proximus, cuius gratia imperium ciuile eſt inſtitutum.

2 *An imperium ciuile Reipublicæ ſit vtile & neceſſarium?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: *Pro theſi af-*
1, quia imperium ciuile eſt poteſtas à Deo cõ- *fir. Rat.*
ceſſa & ordinata. 2, quia eſt primaria pars Poli- 1
ticæ, qua Reſpublica gubernatur: 3, quia iure 2
naturali, diuino & humano approbatur, 4, quia 3
conſeruat Rempublicam. Vnde à Lipſio non 4
immerito modò fulcrum, ſeu firmamentum,
modò vinculum, modò coagulum, modò ſpiri-
tus vitalis Reipublicæ dicitur. 5, quia probos 5
tuetur & defendit: improbos verò coercet &
punit: Et propterea à Lipſio comparatur, cum
virga Circæa, qua captæ feræ, hominesq; mite-
ſcere fingebantur. 6, quia ſine imperio nec do- 6
mus vlla, nec hominum ipſum genus, nec rerũ
natura omnis, nec ipſe mundus ſtare poteſt. Er-
gò neq; Reſpublica ſine imperio ciuili. 7, quia 7
anarchia nihil eſt pernicioſius: quippe quæ ef-
frenatam licentiam morum vitæq; diſſolutio-
nem, ſcelerum impunitatem, horrendam rerũ
omnium confuſionem, denique calamitatum
tàm publicarum, quàm priuatarum Iliadem, &
Lernam malorum in Rempub. introducit; Et
hoc etiam teſtatur Sophocles cum ait: ἀναρχίας
μεῖζον οὐκ ἐστὶ κακόν. hoc eſt, *anarchia nullum maius eſt
malum.* Item *Plato lib, 1. de legibus*, cum aſſerit, a-
narchiâ nihil eſſe pernitioſius. Idcirco Corne-
lius Tacitus lib. *1.* hiſtor. *melius eſſe iudicat ſub
malo principe eſſe, quam ſub nullo.* Et ſacra Scriptu-
ra in libro Iudicum, cap. 17. cauſam malorum o-
mnium, quæ inter Iudæos tum graſſabantur,
transfert in anarchiam, quod in diebus illis nõ

fuerit rex in Iſrael; ſed vnuſquiſq; quod ſibi rectum videbatur, egerit. Imò ipſe Deus in vltionem maximam ſcelerum minatur populo Iudaico per Eſaiam cap. 13. boni principis priuationem. Vnde Chryſoſtomus explicans illum locum ait, nihil vſquam eſſe intractabilius Repub. quæ caret principatu; quemadmodum neque periculoſius quicquam naui ſuo deſtituta gubernatore. Et alibi idem ait: *Præſtat Dominũ, aliquẽ etiam tyrannum habere, quàm omninò nullũ.*

Protheſi neg. Obiectio.

At pro contraria ſententia obiici poteſt, 1,
1 Rempublicam Dei imperio contẽtam eſſe poſſe, neq; opus habere imperio ciuili: præſertim cum melius ſit Deo obedire, quam hominibus.
2 2, iniuriam fieri ipſi Deo: dum homo non tantũ eius imperio, ſed etiam ciuili ſeſe ſubiicit. Idcirco etiam lib. 1. Regum, cap. 8. dum populus Iudaicus petit regem ſibi dari, reſpondet Deus Samueli, ſe abiici à Iudæis, ne regnet ſuper eos.
3 3, dominationem hominis in hominem eſſe impoſſibilem propter paritatem naturæ humanæ, quæ in dominante, & iis quibus dominatur, reperitur.
4 4, homines ſæpe abuti poteſtate; imperãdi ad ſuppreſſionem ſubditorum aliaq; mala.

Refutantur obiectiones.

Ad priores duas obiectiones reſpondeo, ciuile imperium, modò ſit legitimum & iuſtum, nõ
1 2 pugnare cum imperio Dei; ſed potius eidẽ ſubordinari, ita vt qui ciuili imperio ſubiectus eſt, Dei etiam imperio ſubiectus eſſe dicatur. Ideoque iniuriam Deo non fieri, ſi homo non ſolum Dei imperio; ſed etiam ciuili imperio à Deo cõſtituto, eiq; ſubordinato ſeſe ſubiiciat.

Neq; obſtat, quod *ſatius eſſe dicitur Deo obedire, quam hominibus.* Illud enim dictum tum locum

habet, cum aliquid præcipiunt homines, quod
cum mandato Dei pugnat: non autem cum mã-
datum hominum Dei mandato eſt conſentane-
um. Similiter non obſtat, quod Deus Samueli re-
ſpondet ſe à Iudæis regem petẽtibus abiici. De-
us enim illum populum peculiari modo ſibi e-
legerat, eiuſq; Dominus immediatus ipſe ſolus
eſſe volebat. Voluntati igitur Dei reſiſtebant Iu-
dæi, dum præter Deum alium ſibi regem dari
peterent: præſertim ex more regum gentilium,
qui abſolutam poteſtatem nullis cancellis defi-
nitam in ſuos ſubditos vſurpabant. Ad tertiam 3
obiectionem reſpondeo paritatem naturæ, quę
in omnibus hominib. reperitur, non impedire,
quo minus vnus homo alteri imperare & do-
minari poſſit: cum magna ſit imparitas in natu-
ra ſingulari & propria cuiuſq; hominis: præſer-
tim verò in qualitatibus aduenticiis. Ad quartã 4
obiectionem reſpondeo propter abuſum im-
perii ciuilis, non poſſe illud ſimpliciter damnari
ac reiici, non minus ac vinum, ignis, aliaq; bona
naturæ & fortunæ.

3 *An imperium ciuile differat à Politia?*

ETſi vulgò imperium ciuile cum Politia ſæ-
penumero confundi ſolet; tamen in accura-
ta philoſophandi ratione neceſſe eſt, vt ab ea di-
ſtinguatur. Nam πολιτεία ab Ariſtotele definitur
modò τάξις τῶν τὴν πόλιν οἰκούντων, hoc eſt, *ordo eorum
qui ciuitatẽ inhabitant*, ſeu (vt alii vertunt, & quidẽ
meo iudicio melius) *regũt & adminiſtrãt*. 3. Polit.
1. modò τάξις πόλεως, τῶν τε ἄλλων ἀρχῶν καὶ μάλιστα τῆς κυ-
ρίας πάντων, h.e. *ordo ſeu* (vt Cicero vertit) *deſcriptio
ciuitatis & magiſtratuũ maximè verò eius magiſtra-
tus q omniũ eſt præcipuus*. 3. Pol. 4. modò τάξις ἐν ταῖς

Differt imperium ciuile à Politico.

πόλεσι ἡ περὶ τὰς ἀρχάς hoc eſt, *ordo in ciuitatibus circa magiſtratus*, 4. Polit, 1. modo βίος πόλεως, *vita ciuitatis*, 4. Polit. 11,

Ab aliis verò definitur modò adminiſtratio ſeu gubernatio Reipublicæ; modo ratio qua Reſpublica quælibet regitur; modò ſtatus Reipublicæ; modò ordo, quem ciuitas quæpiam ſiue cœtus quiſpiam hominum ſibi conſtituit ac delegit in rebus ſuis publicis gubernandis & regendis. Sed nulla ex his definitionibus propriè competit ipſi imperio ciuili: quemadmodum neq; contra definitio imperii ciuilis rectè conſtituta competit ipſi Politiæ. Præterea imperium ciuile habet ſe ad politiam tanquam pars ad totum. Politia enim conſtat ex imperio & ſubiectione ciuili, tanquam totum integrale ex ſuis partibus. Cum autem partes differant à toto; ſequitur etiam imperium ciuile à Politia differre.

4 Quid ſit magiſtratus in genere?

Homonymia vocabuli magiſtratus exponitur.

VOcabulum *magiſtratus*, quod à magiſtris, hoc eſt, præfectis populi originem traxit, interdum ſignificat ipſum imperium Politicum, ſeu munus & officium publicum, quod Reipublicæ rector & gubernator gerit, vt cum quis dicitur magiſtratum accipere, habere, gerere, deponere, &c. Interdum ſumitur pro ipſo homine, qui Rempublicam regit & gubernat, qui Græcè propriè dicitur modò ἄρχων, modò πολίταρχης. Et in hac poſtrema ſignificatione hîc vſurpatur. Definitur autem magiſtratus ab *Ariſtotele lib. 4. Polit. cap. 15.* is, qui ius habet de publicis rebus conſultandi, iudicandi & imperādi, ſeu,

Magiſtratus quid ſit.

ſeu, vt Bodinus vertit, qui conſilii publici iudiciorum & imperii particeps eſt. Sic enim ait: Τὰς ἀρχὰς μάλιστα λεκτέον ταύτας ὅσαις ἀποδέδοται βουλεύσασθαί τε περί τινων καὶ κρῖναι, καὶ ἐπιτάξαι· καὶ μάλιστα τοῦτο. Τὸ γὰρ ἐπιτάττειν ἀρχικώτερόν ἐστι. hoc eſt, *Magiſtratus maximè dicendi ſunt illi, quibus munus aſſignatum eſt cõſultandiq́; de quibuſdam & iudicandi & imperandi. Et maximè hoc. Imperare enim magis proprium eſt magiſtratus*: quaſi diceret: Inprimis præcipua & maximè propria nota magiſtratus eſt ius habere imperandi. Per hanc enim diſcernitur ab omnibus aliis præfectis & procuratoribus, qui nullum habent imperium. Cæterum hanc definitionem Ariſtotelis reprehendit *Bodinus lib. 3. cap. 3.* propterea maximè, quod inde hoc abſurdum ſequatur, nempe magiſtratus nomen non mereri, qui non ſint conſiliorum ac iudiciorum publicorum participes, & ſic nullos aut certè pauciſſimos eſſe in Repub. magiſtratus. Idem reiicit definitionem partim Gouiani, qui magiſtratum dicit eſſe poteſtatem populi Romani ordinariam: partim Cuiacii, cui magiſtratus eſt perſona publica, quæ iurisdictioni præeſt: vel, quæ pro tribunali ius dicit; vel quæ iurisdictionem & iudicium publicum habet; partim *Caroli Sigonii*, qui magiſtratum definit, eum qui rerum diuinarum curam habet. Rationes Bodini ſunt: 1, quia definitio *Gouiani* anguſtior eſt ſuo definito. 2, quia definitiones Cuiacii, non tantum omittũt id quod in magiſtratu primum ac præcipuum eſt, imperandi ſcilicet prohibendique poteſtatem; ſed etiam latiores ſunt ſuo definito. Ipſe igitur *Bodinus lib. 3. de Repub. cap. 3.* magi-

Digitized by Google

ſtratum definit, quod ſit officialis, qui publicum imperium habet. In qua definitione loco generis ponit *officialem*, quem in præcedente capite dixerat eſſe *publicam perſonam*, quæ munus habet lege definitũ: Deinde loco differentiæ ſpecificæ addit, *publicum imperium habere*, vt diſcernatur magiſtratus ab officiariis, hoc eſt, perſonis publicis, quæ imperium nullum habent. Atq; cum hac definitione Bodini etiam conſentiunt definitiones *Caſmanni*, cum *cap. 2. Politicæ*, magiſtratum dicit eſſe modò Reipublicę partem quę imperii publici particeps in Republica præeſt, eamq; tuetur: modò perſonam, cui vel tota Reſpublica, vel pars eius quædã domi foriſq; quoad res humanæ ſocietatis cum dignitate & poteſtate gerenda & adminiſtranda publicè & legitimè eſt demandata.

5 *An magiſtratus in Republica ſit neceſſarius?*

Pro neceſſitate magiſtratus. Ratio.

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia imperium ciuile eſt neceſſarium, vt liquet ex quæſtione ſecunda. Ergò etiã magiſtratus, cui ineſt imperium ciuile. 2, quia corpus naturale hominis non eſt perfectum, niſi habeat caput. Ergo neq; Reſpublica quæ eſt corpus ciuile, perfecta eſt, niſi habeat magiſtratum. 3, quia finis magiſtratus eſt perfectio & ſalus Reipublicæ. Hic autem finis neceſſarius Reipub. Ergò etiam ipſe magiſtratus tanquam finitum. 4, quia magiſtratus eſt perſona publica legitima imperandi prohibendiq; poteſtate inſtructa ad benè gubernandum Rempublicam. 5, quia ſine magiſtra-

giſtratu leges, quæ ſunt vita & ſalus Reipub. vti mutæ ſilent, vt inanimes languent, vt extinctæ deliteſcunt. Magiſtratus enim eſt lex loquens, ius animatum, mandatum auctoritate & robore munitum, imperium iudicio & interpretatione ſuæ ſententiæ præditum, quod non tantum imperari, verum etiam inſuper curat, vt mandata ſeruentur. 6, quia magiſtratus officium eſt commune bonum curare, defendere probos, præmiiſq; afficere, improbos coercere & punire. 7, quia quod nauclerus ſeu gubernator eſt in naui; auriga, in curru; præſultor in choro; paſtor, in grege; id magiſtratus eſt in Republica. Sed nauis non poteſt carere nauclero; currus, auriga; chorus præſultore; grex paſtore: Ergo neq; Reſpublica poteſt carere magiſtratu. 8, quia vbi nullus eſt magiſtratus; ibi factiones, ſeditiones & tumultus frequenter excitantur: ex quibus Reipub. ruina & interitus exiſtit. 9, quia beſtiarum ſocietas non poteſt conſiſtere ſine duce aliquo, vt videre eſt in apibus, & gruibus. Ergò multò minus Reſpublica ſine magiſtratu. 10, quia magiſtratus eſt Atlas ciuitatis à quo vniuerſus ſtatus Reipublicæ pendet: eſt lex animata & loquens ciuitatis. Idcircò rectè ait *Cicero lib. 3. De legibus*: *Videtis igitur magiſtratus hanc eſſe vim vt præſit præſcribatq; recta & vtilia & coniuncta cum legibus. Vt enim Magiſtratib. leges: ita populo præſunt magiſtratus: vereq; dici poteſt magiſtratũ legẽ eſſe loquentem, legem autẽ mutum magiſtratum*. Et Plato lib. 8. De legibus, docet omninò inutiles & ridiculas futuras eſſe leges quãtũuis bonas, niſi magiſtratus

creentur, qui eas ſeruari curent. Vnde etiam ſecundum eundem magiſtratus dicuntur *ſeruatores, auxiliarii cuſtodes legum, paſtores populi*, deni-que *columina, fulcra & ſuſtentacula totius populi* cui
11 præſunt. 11, quia magiſtratus eſt regni Dei inter nos conſtituendi & retinendi miniſter & organum.

6 An magiſtratus rectè dicantur Dii?

Pro theſi affir. Argum.

1 STatuitur theſis affirmatiua; idq; ob ſequentia argumenta: 1, quia Scriptura ſacra magiſtratus paſſim Deos appellat, v. g. Pſal. 46. 110. Exod. 7. v. 1 & cap. 22. v. 9. & alibi: Inprimis verò memorabilis locus eſt in Pſal. 61. vbi Pſalmiſta ait: *Deus ſtetit in ſynagoga Deorum: in medio autem Deos diudicat*: Et poſtea: *Ego dixi, Dii e-*
2 *ſtis & filii altiſſimi.* 2, quia magiſtratus Dei perſonam in terris repræſentant, eiuſque vice funguntur. Ideoq; non inconcinne à Menandro Princeps dicitur εἰκὼν ἔμψυχος θεοῦ, *viua imago Dei*: Et à Plutarcho εἰκὼν θεοῦ παντοκρατοῦντος, *imago Dei cuncta gubernantis*. In quam ſententiam etiam *Bodinus in lib. de Repub.* Reges vocat legatos Dei immortalis & præpotentis ad reliquorum hominum ſalutem creatos. Et ſummum Principé dicit eſſe Dei imaginem viuentem & ſpiranté. Nec non *Petrus Gregorius lib. 7. de Repub. cap.* 11. aſſerit omnem regem Dei habere imaginem. Nec malè ab aliis magiſtratus dicitur *vicarius*
3 *Dei.* 3, quia à Deo conſtituti & quaſi geniti ſunt. Quam ob cauſam etiam ab Homero vocantur
4 διογενεῖς, hoc eſt, *à Ioue genus ducere.* 4, quia imperium, quod Magiſtratus gerit, eſt diuinum: eiuſque reſpectu magnam cum Deo totius mundi monar-

monarcha ſimilitudinem habent. Interim tamen ſciendum eſt, Magiſtratus dici Deos non propriè, ſed metaphoricè duntaxat propter ſimilitudinem quam cum Deo reſpectu diuini imperii ſibi delegati obtinent.

3 An magiſtratus ſit ſuſcipiendus & gerendus, præſertim Chriſtiano?

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: *Pro theſi affir. Ratio.* 1, quia magiſtratus eſt à Deo inſtitutus & ordinatus. 2, quia in ſacris literis paſſim approbatur. 3, quia eſt ſimulachrum imperii diuini, quod Deus habet in omnes creaturas. 4, quia naturæ eſt conſentaneus, ab eaq; requiritur. 5, quia neceſſarius eſt ad Rempublicam bene cõſeruandam & adminiſtrandam. 6, quia homo non ſolum ſibi natus eſt; ſed cum aliorum hominum, tum potiſſimum patriæ & Reipublicæ gratia. 7, quia turpe & illiberale eſt ſibi tantum viuere, & Rempublicam hoſpitium præbentem deſerere. 8, quia magiſtratus ſecundum dictum Biantis virum oſtendit: Et vt cognoſci non poteſt, integrum nec ne vas ſit, niſi liquor infuſus fuerit: Ita nec homo cognoſci poteſt, niſi imperium ei creditum, commiſſumq; fuerit. 9, quia magiſtratus eſt honorificus, hominesque Deorum appellatione dignos efficit.

1
2
3
4
5
6
7
8
9

At pro contraria ſententia obiici poſſunt ſequentia argumenta: *Pro theſi neg. Argum.* 1, quia magiſtratui maximè infenſus eſt communis generis humani hoſtis Diabolus: & contra eum ſæpe rebelles & ſeditioſos ciues excitat. 2, quia nihil difficilius eſt, quam aliis benè præeſſe. Vnde recte Plato in epiſt. 7. ait, opus arduum eſſe imperare. 3, quia

1
2
3

magiſtratus multas & magnas curas ac moleſtias ſecum trahit, quæ etiam ſæpè fruſtra & inutiliter ſuſcipiuntur: propterea quod corruptior & deprauatior eſt Reſpublica, quam vt iuuari, meliorq; fieri queat.
4 4, quia rei familiari damnum & incommodum affert. Dum enim res curantur publicæ, domeſticæ peius curantur, nullumque ex publico lucrum percipitur.
5 5, quia multorum inuidiæ, odiis, ſuſpitionibus ſiniſtriſque iudiciis & querelis expoſitus eſt.
6 6, quia multi magni & præclari viri oblatum magiſtratum ſuſcipere noluerunt, aut ſaltem diu multumq; ſuſcipere recuſarunt, vt liquet ex catalogo exemplorum, quem Iunius in tractatione huius quæſtionis recenſet. Hinc etiam Pythagoras à fabis, hoc eſt, magiſtratibus, qui per ſuffragia olim fabis notata eligebantur, abſtinendum eſſe monet.

Soluuntur argumenta pro theſi neg. allata.

Reſpondendum autem eſt ad illa argumenta in genere, quod maxima ex parte laborent vitio ἀνακολουθίας. Licèt enim vera eſſe concedantur; tamen ex iis neceſſariò concludi & probari non poteſt, magiſtratum propterea non ſuſcipiendũ & gerendum eſſe; tum, quia Deus defendere ſolet magiſtratum aduerſus Diabolum, eiuſq; ſatellites; tum, quia omnia præclara ſunt difficilia: tum, quia curæ & moleſtiæ non ſemper inutiliter à Magiſtratu ſuſcipiuntur: ſed ſæpe cum maximo Reipub. commodo: tum, quia non ſemper & neceſſariò iacturam ſecum affert magiſtratus rei familiaris: tum, quia malis omnibus, quibus magiſtratus eſt expoſitus, occurri poteſt partim prudentia, partim magnanimitate, partim patien-

dentia: tum quia non exemplis ſolis, ſed rectæ rationis trutina omnia ſunt expendenda; tum deniq; quia contrariæ rationes longè ſunt ponderoſiores.

5 *An inter magiſtratum & ſubditos ſit mutua obligatio?*

Statuitur theſis affirmatiua. Magiſtratus enim ſubditis ſuis obligatur ſiue expreſsè ſiue tacite ad iuſtè imperandũ; viciſſim verò ſubditi Magiſtratui ſuo obligantur ad prętanda debita obedientiæ officia. Hinc etiam fit vt non tantum ſubditi grauiter peccent; ſi erga magiſtratum ſuum legitimum inobedientes, ſeditioſos & rebelles ſeſe præſtiterint; ſed etiam ipſe Magiſtratus, ſi officium ſuum aut negligat, aut ad crudelitatem erga ſubditos exercendam, ciuiumq; ſuppreſſionem iniuſtam vſurpet. Proinde errant illi magiſtratus, qui abſolutam ſibi, nullisq; legum cancellis definitam & circumſcriptam poteſtatem ſibi in ſubditos arrogant & ſumunt, omniaq; quæ libet, exiſtimant ſibi facere licere.

9 *Quomodo Magiſtratus Politicus ab Eccleſiaſtico differt?*

Etſi in multis inter ſe conueniunt magiſtratus Politicus & eccleſiaſticus; 1, in eo, quod vterq; ſtatus ſit Dei ordinatio. 2, quod vterq; vnũ ſibi præfixum ſcopum habeat, Dei gloriam, & hominum ſalutem. 3, quod vterq; Eccleſiæ, verbi Dei & cultus curam gerere debeat. 4, quod vterq; ſtatus verbo Dei, & alter alteri reſpectu quodam ſubiiciatur: ita vt Eccleſiaſticus magi-

Magiſt. Pol. & Eccleſ. inter ſe conueniunt.
1
2
3

ſtratus Politico non ſpirituali, ſed ciuili ſubie-
ctione pareat: & viciſſim Politicus magiſtra-
tus, Eccleſiaſtico non ciuili, ſed ſpirituali ſubie-
ctione obediat; tamen rurſus in pluribus etiam
Differunt vero. inter ſe differunt. 1, obiectis. Magiſtratus enim
1 Politicus imperium exercet Politicum in Eccle-
ſia ad legitimum in ea ordinem & εὐταξίαν conſti-
tuendum erga hominem, vt ita dicam, externũ:
Eccleſiaſticus verò occupatus eſt circa internũ
hominem magis, ſeu verſatur circa hominum
2 conſcientias. 2. actionibus officii in Eccleſia.
Magiſtratus enim Politicus leges ad politiam
Eccleſiaſticam neceſſarias fert: at verò manus
ipſe ad actiones Eccleſiaſtici miniſterii publicas
3 & proprias non admouet. 3, poteſtate feren-
darum legum. Magiſtratus enim Politicus non
fert leges quoad fidem & vitam Chriſtianam,
ſed quoad ordinem decorum & honeſtatem &
4 res adiaphoras. 4, pœnarum ratione. Magiſtra-
tus enim Eccleſiaſticę pœnę ſunt ſpirituales, eæ-
que vel verbales, vel reales, vt ſuſpenſio & ex-
5 communicatio: Politici verò ſunt ciuiles. 5, ſy-
nodorum ratione, in quibus magiſtratus Politi-
cus vocem habet deliberatiuam, ſed non præ-
toriam & deciſiuam. Vide plura apud *Caſman-
num cap. 27.* Item apud *Danæum lib. 6. Polit. c. 1.*

10 *An imperium ciuile à domeſtico ſpecie differat?*

Pro theſi aff. Ratio. STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt:
1 1, quia imperium ciuile eſt poteſtas publicè
2 imperandi: Domeſticum verò eſt poteſtas pri-
uatim imperandi. 2, quia imperium ciuile non

natura

Digitized by Google

natura, ſed hominum conſenſu eſt cóſtitutum: Domeſticum vero contra. 3, quia ſubiectum recipiens imperii ciuilis eſt magiſtratus; domeſtici verò Paterfamilias. 4, quia ſubiectum occupans imperii ciuilis eſt Reſpublica, conſtans ex multis familiis, ſeu collegiis: domeſticum verò eſt vna duntaxat domus. 5, quia finis imperii ciuilis eſt ſalus, hoc eſt, conſeruatio & amplificatio Reipublicæ: domeſtici verò finis eſt ſalus domus, hoc eſt, conſeruatio & amplificatio tam familiæ, quam rei familiaris. 6, quia poteſt quis habere imperium domeſticum, qui tamen destituitur imperio ciuili eique eſt ſubiectus. Et propterea *Bodinus lib. 1. de Republica cap. 6.* ait, Cum paterfamilias ex ædibus, in quibus domeſticum imperium habet egreditur, ſeq; cum aliis familiarum principibus ad res rationesq; contrahendas coniungit; tunc certè Patrisfamilias ac Domini nomen amittit, vt ſocium ac ciuem ſe ferat, & quodammodo è familia exit vt in ciuitatem ingrediatur, ac pro domeſticis negotiis publica tractet.

3
4
5
6

11 *An nihil rerum humanarum difficilius ſit quam gerere magiſtratum?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia vulgus hominum eſt beſtia multorũ capitum, cuius tanta eſt petulantia & ferocia, vt in neminem magis turbulenter inſurgat, quam in illos, quorum imperio parere debet. 2, quia Reipublicæ adminiſtratio, ſi rectè eſt obeunda, ingentes & quaſi concatenatas curas ſolicitudines & moleſtias ſecum trahit. 3, quia multum inuidiæ, metus, calumniæ & periculi ſubeundũ

Pro theſi affir. Ratio.
1
2
3

& ſuſtinendum eſt omnibus Reipublicæ gubernatoribus, etiam optimis & prudentiſſimis: idque ab hominibus inuidis & factioſis, qui omnia conſilia, quamuis recta & ſalutaria calumniantur & reprehendunt ad euertendam illorum dignitatem, qui præcipuè ſeruiunt
4 communi vtilitati. 4, quia magiſtratus procurare debet, vt inter ſubditos virtutis ſtudia vigeant, iuris æquabilitas conſeruetur, flagitiorum licentia coerceatur. Deniq; ſinguli in ſuo ordine &
5 officio retineantur. Hęc autē non niſi cū ſumma cura & difficultate ab eo præſtari poſſunt. 5, quia multa impedimenta quotidie obiiciuntur magiſtratui quæ efficiunt, vt conſilia etiam optimè
6 cogitata ad ſalutem Reipublicæ exequi nō poſſint. 6, quia multa ſæpe mala accidunt partim improuiſa humanæ ſapientiæ, partim humanis
7 conſiliis inextricabilia, quibus ſtatus Reipublicæ labefactari & euerti poteſt. 7, quia magna eſt imbecillitas humanæ naturæ, quæ facit, vt magiſtratus in conſiliis capiendis facile errare &
8 labi poſſit, aliquidq; ſuſcipere & tentare, quod toti Reipublicæ detrimentum afferat. 8, quia Diabolus, qui capitalis hoſtis eſt omnis bonæ diſciplinæ, omniumq; rectorum conſiliorum nunquam non vigilat in perniciem Reipublicæ: Ideoq; quantū in ſe eſt conatur excitare omnis
9 generis turbas, ſeditiones & calamitates, quibus Reſpublica diſſipetur & peſſundetur. 9, Quia multæ & variæ ſunt cauſæ corrumpentes
10 Reipublicæ, quæ omnes à magiſtratu difficilimè auerti & propulſari poſſunt. 10, quia quo maius eſt imperium diffuſiusq; eo cura maior &

gra-

grauior. Ideoque non immeritò Diocletianus Imperator *nihil difficilius eſſe* dixit *quam benè imperare.* Et Saturninus iis, qui imperatoria eum purpura induebant, prudenter dixit: *Neſcitis amici, quid mali ſit imperare: gladii & tela noſtris ceruicibus impendent: imminent vndique haſta, vndique ſpicula: ipſi cuſtodes timentur & formidantur.* In quam ſententiam etiam Rex Antigonus cuidam regium ipſius diadema intuenti & admiranti dixiſſe fertur: *pileum quidem eſſe paruum: ſed ſi quis conſideraret, quantis curis intus ſubductus eſſet: neminem fore tam inſanum, vt ſi humi iaceret, eum vellet attollere.*

CAPVT II.

De electione magiſtratus.

PRÆCEPTA.

1 *Conſtitutio magiſtratus eſt actus publicus, quo magiſtratus creatur.* *Conſtitutio Magiſtratus quid & quotuplex.*

2 *Eſtq; vel diuina, vel humana.*

3 *Diuina conſtitutio eſt, quæ fit à Deo tanquã prima omnis magiſtratus, cauſa efficiente.*

4 *Eſtq; vel immediata, vel mediata.*

5 *Immediata eſt, quæ fit à Deo citra vllius creaturæ intelligentis miniſterium.*

6 *Mediata eſt, quæ fit à Deo per creaturã alicuius intelligentis interuentum ac miniſterium.*

7 *Humana conſtitutio eſt, quæ fit per homines.*

Digitized by Google

8 *Eſtq́ vel ordinaria, vel extraordinaria.*

9 *Ordinaria eſt, vel ſimplex, vel mixta.*

10 *Simplex eſt, vel electiua, vel hæreditaria.*

11 *Electiua conſtitutio eſt, actus publicus, quo magiſtratus ſecundum leges & conſuetudines in vnaquaq́ Republica receptas eligitur. Græcè dicitur ἀρχαιρεσία.*

12 *In illa conſideranda partim cauſa, partim ſubiectum.*

13 *Cauſa electionis alia eſt efficiens, alia finis.*

14 *Efficiens alia eſt principalis, alia inſtrumentalis.*

15 *Principalis efficiens ſunt homines, quibus ius eligendi eſt commiſſum: ſiue ſit totus populus, ſiue pars primaria populi.*

16 *Inſtrumentalis efficiens partim eſt ius, partim modus eligendi.*

17 *Ius eligendi eſt poteſtas iis conceſſa, qui ad eligendum magiſtratum ſunt deputati.*

18 *Idq́ pendet vel à lege ſcripta, vel à conſuetudine diu in Republica recepta & approbata.*

19 *Modus eligendi fit vel per ſuffragia, vel per ſortes, vel vtroq́ ſimul modo.*

20 *Suffragia omninò liberè dare debent ab eligentibus, ſine præiudicii aut affectus priuati interuentu.*

21 *Sortes etiam ita inſtituendæ ſunt, vt ab iis omnis fraus & dolus abſit.*

22 Fi-

22 *Finis electionis eſt legitima magiſtratus conſtitutio.*

23 *Subiectum electionis ſunt perſonæ ad capeſſendum magiſtratum habiles & idoneæ, ſiue illæ ex toto populo, ſiue ex certo eius genere & ordine eligantur.*

24 *In illis ſpectandæ conditiones nonnullæ requiſitæ, quarum aliæ ſunt primariæ, aliæ ſecundariæ.*

25 *Primariæ conditiones ſunt tres, ſcientia, voluntas & facultas benè adminiſtrandi Rempublicam.*

26 *Scientia æſtimanda, eſt partim ex doctrina ſeu eruditione, partim ex prudentia.*

27 *Voluntas æſtimanda eſt partim ex bono erga Rempublicam affectu, partim ex virtute morali præſertim pietate & iuſtitia.*

28 *Facultas æſtimanda eſt partim ex auctoritate, partim ex viribus, ſeu bonis animi, corporis & fortunæ.*

29 *Secundariæ conditiones ſunt, quæ pertinent ad ſexum, ætatem, ſtaturam corporis, formam, patriam, familiam, ſtatum, diuitias, &c.*

30 *Secundum illas enim cæteris paribus potius eligendus eſt vir, quam fœmina; ſenior, quam iunior: procerus, quam curtus; formoſus, quàm deformis: indigena, quam peregri-*

Digitized by Google

nus; claræ, quam obſcuræ familiæ; liber, quam ſeruus; diues, quam pauper; potens, vel non potens.

1 *An omnis Magiſtratus à Deo primam ſuam habeat originem?*

Pro theſi af-fir. STatuitur theſis affirmatiua, quatenus magiſtratus conſideratur partim abſolutè, vt magiſtratus; partim reſtrictè, vt bonus magiſtratus.

Ratio. Rationes ſunt: *1*, quia Deus eſt prima cauſa

1 efficiẽs omnis entis creati, quatenus eſt ens. Er-

2 gò etiam magiſtratus. 2, quia Deus eſt ſummum & perfectiſſimum bonum, à quo omnia alia bona, quæ reuera ſunt talia, primò oriuntur. Ergò cum etiam magiſtratus ſit verum bonum Politicum; ſequitur illum quoq; à Deo primo oriri.

3 3, quia Deus eſt ſupremus totius mundi Dominus & monarcha, qui vt à ſeipſo habet auctoritatem & poteſtatem imperandi omnibus creaturis; ita etiam ab eo omnis in terra magiſtratus non tantum eſſentiam primò habet; ſed etiam dominium, auctoritatem & poteſtatem imperandi. Et hoc teſtatur Apoſtolus Paulus Rom. 13. cum ait, *non eſſe poteſtatem*, hoc eſt, *magiſtratũ niſi à Deo.* Item Syracides cap. 1. & 17. cum inquit, *vnum eſſe Deum altiſſimum dominatorem Deum: & illum omnib. terris conſtituere magiſtratus &*

4 *principes.* 4, quia Deus pro libero voluntatis ſuæ beneplacito non tantum diſtribuit inter homines imperia, eaq; ab vno ad alium transfert, Danielis 2. 4. & 7. ſed etiam certis metis ac periodis durationem ſingulorum imperiorum definit. 5,

5 quia magiſtratus eſt miniſter & vicarius Dei. Ideoq; in ſacris literis *Elohim*, hoc eſt, *Dii*, appel-

latur qui ad Reipublicæ gubernacula ſedent, Pſal. 81. v. 6. Ioh. 10. v. 34. 6, quia Deus ius gladii primitus inſtituit, Gen. 9. v. 6. eiuſq; iudicium magiſtratus dicitur exercere, 2. Paralip. 19. v. 6. *6*

At pro theſi particulari negante afferri poſſunt hæc argumenta: 1, quia Deus Hoſiæ 8. v. 4. cõqueritur de Iſraelitis, quod ipſi conſtituerint reges, at non ex ſe: principesq; ſibi præfecerint quos non agnoſcat. 2, quia Nimrod primus Chaldæorũ monarcha dicitur potens fuiſſe venator contra Deum, Gen. 10. v. 9. propterea quod per vim & graſſationem violentam imperium ſibi vendicauerit. 3, quia reliquarum monarchiarum conditores violenta & iniuſta aliorum oppreſſione potentiam ſibi pararunt. v.g. Cyrus iniuſto bello Crœſum oppreſſit: Alexander inſana dominandi libidine Perſas & Indos ſibi ſubiugauit: Romani imperium in Græcos & populos alios iniquo bello pararunt: Iulius Rempublicam; Auguſtus collegas ſuos iniuſtè oppreſſit. 4, quia ſcelera non ſunt à Deo. At in omnibus ferè imperiis & regnis ſunt plurima ſcelera: in primis verò Tyrannis dominatur. Nõ igitur omnis magiſtratus videtur eſſe à Deo. *Pro theſi part. negante Argum.* 1 *2* 3 *4*

Pro ſolutione horum argumentorum diſcernendum primum eſt inter poteſtatem, quæ ſemper eſt à Deo, & inter eius acquiſitionem ac vſurpationẽ, quæ non eſt à Deo; quatenus eſt iniuſta. 2, notandũ eſt magiſtratũ, quatenus eſt prauus & vitioſus, non eſſe à Deo; ſed partim à Diabolo, partim à praua voluntate eius impellente ipſum ad peccandum & malè occupandum vel adminiſtrandum Rempublicam. *Soluuntur argumenta pro theſi parte negante.*

2 *An magiſtratus ordinariè ab hominibus conſtituatur vel per electionem: Et vter modus ſit melior?*

In priore parte quæſtionis theſis affir. defenditur.

ARiſtoteles *lib. 4. Polit. cap. 15.* docet tria eſſe conſideranda circa conſtitutionem magiſtratus: ἓν μὲν τίνες οἱ καθιστάντες τὰς ἀρχάς· δεύτερον δ᾽ ἐκ τίνων· λοιπὸν δέ, τίνα τρόπον. *Vnum quidem, qui magiſtratus conſtituunt: alterum ex quibus conſtituant. tertium, quomodo conſtituant.* Quod ad primum attinet, omnes Politici in eo conſentiunt, magiſtratum proximè & ſecundum Deum ordinariè ab hominibus conſtitui; & quidem duobus modis; vel per electionem vel per ſucceſſionem. Hinc *Petrus Gregorius lib. 7. de Republica cap. 4.* ait Rempublicam certiſſimè turbari poſſe ab iis qui imperii ſunt auidi; niſi iure gentium fuiſſent obiecta duo potiſſimum remedia præſtantiſſima & præcipua, vnum ſucceſſionis, aliud electionis. Ad cuius imitationem *Lipſius lib. 2. ciuilis doctrinæ. cap. 4.* docet appetitum principatus, qui eſt in multis reprimi à more & lege gentium repagulo duplici, electionis & ſucceſſionis. Vbi etiam ſucceſſionem dicit eſſe, cum gentilis is honor eſt, & princeps è principe naſcitur: electionem verò, cum ſpreto natalium iure ſuffragiis deſignatur. Hinc etiam *Danæus lib. 6 Polit. Chriſtianæ cap. 1.* creationem magiſtratus aliam dicit eſſe electiuam, aliam hæreditariam: propterea quod magiſtratus alius ex electione ac ſuffragio populi vel ordinum; alius iure hæreditario creetur.

Ac quod vterque modus creandi magiſtratum ſit rectus & legitimus, id inde patet, quod vterq;

vterq; conſentaneus eſt, partim iuri diuino vt teſtatur exemplum Dauidis, quem Deus per electionem conſtituit regem Iſraelis, & poſtea voluit idem regnum per ſucceſſionem deferri ad poſteros Dauidis: partim iuri gentium, vt teſtatur imperium multarum gentium, quod poſt primum principem electum, poſtea per ſucceſſionem ad filios aut cognatos fuit delatum: partim iuri ciuili, quod ſtatuit, ne ex delicto, quo priuari digni ſunt poſſeſſores, priuandos eſſe ſucceſſores non delinquentes; partim denique rectæ rationi. Vter autem modus ſit melior & Reipublicæ vtilior, de eo non leuis eſt inter Politicos controuerſia. Alii enim electionem præferunt ſucceſſioni; & ſic imperium electiuum hæreditario: alii ſucceſſionem electioni præferunt.

Altera pars quæſtionis explicatur.

Electionem præferendam eſſe ſucceſſioni. Argum.

Argumenta pro priore ſententia ſunt: 1, quia electio eſt antiquior ſucceſſione. Nulla enim poteſt eſſe ſucceſſio, niſi olim aliquis fuerit electus, in cuius locum poſtea alius ſuccedere poſſit. 2, quia æquitati magis eſt conſentanea electio: quippe quæ exigit, vt ex omnibus eligatur, qui omnibus imperaturus eſt. 3, quia per electionem dignior perſona reperitur, cui imperium ciuile tutò & vtiliter committi poſſit. Virtus enim ſecundum quam fieri debet electio, ſemper certior dux eſt quam natura. 4, quia naſci & generari à principibus, vt Tacitus ait *lib. 1. hiſtor.* fortuitum eſt, nec vltra æſtimatur: Cooptandi autem iudicium eſt integrum, etſi eligere vis, conſenſu monſtratur. 5, quia electio magis ſignum eſt libertatis populi quam ſucceſſio,

Plinius in Panegyr.

Digitized by Google

quæ præ ſe fert ſpeciem aliquam ſeruilem. Et per illam libertas Reipub. magis ſtabilitur, quatenus conditiones præſcribi poſſunt magiſtratui, in quem conſentire eum oportet, ſi velit eſſe magiſtratus.
6 6, quia electio tutior eſt & glorioſior; maioremq; vim habet excitandi homines ad ſtudium virtutis beneuolentiamque gignendi erga Rempublicam in animis hominũ, qui fuerunt electi.
7 7, quia is qui electus eſt, facilius poteſt moneri ſui officii & permoueri, quam is, qui ſucceſſit.

Succeſſionem præferendam eſſe electioni. Argum.

Argumenta pro poſteriore ſententia ſunt: 1, quia ſucceſſio eſt naturalis; electio vero non eſt naturalis, ſed artificialis. Naturale autem præferẽdum eſt non naturali.
1
2 2, quia ſucceſſio re aptior eſt & aſpectu aliquo melior, quatenus minore diſcrimine ſumitur princeps, quam quæritur.
3 3, quia benè continuat ſtatum imperii ac impedit interregnum: cum contra electio neceſſariò interregnum faciat quod nihil aliud eſt quam ſtatus publici benè cõſtituti interruptio, multasq; ſecum confuſiones & perturbationes trahit.
4 4, quia populus libentius conſueto domino, quam nouo obtemperat. In obedientia autem totum dominatus genus conſiſtit.

Saluſt. in Iugurtha.

5 5, quia magiſtratus hæreditarius eſt eiuſdem gentis, meliuſq; nouit mores & vires populi, eiq; communi conuictu factus quodammodo amicus.
6 6, quia magiſtratus hæreditarius erubeſcit mores & leges maiorum vt à ſuis factas mutare, aut in tyrannidem conuertere. Electus verò contra non erubeſcit & leges ciuiles mutare, & mores pere-

peregrinos in Rempub. introducere. 7, quia 7
magiſtratus hæreditarius minus ærarium Reipub. exhaurit, minuſq; nouis exactionibus & contributionib. ſubditos grauat quam electus; cum ille ſit ſimilis hirudini iam ſanguine plenæ: hic verò hirudini famelicæ. 8, quia ſucceſ- 8
ſio omnem occaſionem ſubditis præcidit ad factiones & coniurationes, quas dominandi ambitio ſolet excitare: cum contra electio vix aut nunquam ſine immicitiis aut factionibus finem debitum ſortiatur. 9, quia magiſtratus hæredi- 9
tarius maiorem habet libertatem imperandi quam electus: cum hic pendeat à fauore eligentium: ille vero non. 10, quia electio facit 10
non tantum vt mortuo Principe tempore interregni fluctuet Reſpublica & ſine rectore ſit, non ſecus ac nauis in medio mari ſine gubernatore, obnoxia eſt ſubuerſioni ad primum tempeſtatis ſubortæ impetum: ſed etiam vt Reſpublica non rarò in aliud nomen alteriuſq; ſubiectionem degeneret. 11, quia principem ipſum 11
ſecuriorem efficit ſucceſſio, quatenus per procreationem liberorum pluribus Imperii munimentis inſiſtit. 12, quia facile regni proceres, 12
penes quos eſt eligendi poteſtas, pecunia corrumpi & expugnari poſſunt.

Pro deciſione quæſtionis ſubiungo iudicium *Danei*, quod habetur *lib. 6. Polu. cap. 7.* Ibi enim ait melius eſſe 1, vt nulli ſint magiſtratus hæreditarii præter ſummum: Deinde, vt etſi ſummus magiſtratus ſit hæreditarius; nihilominus ab ordinibus Reipub. eligatur, ſeu *Quæſtio deciditur.*

Digitized by Google

potius obſeruetur & approbetur: cum hoc modò fiat tum populis gratior, tum exteris venerabilior: Denique vt in eo ſequatur gens & natio quælibet quæ ex vſu ipſius eſt, magisque commodum ipſa ſibi nouerit & experientia deprehenderit.

3 An electio magiſtratus debeat eſſe publica & libera?

Pro theſi affir. Ratio. STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1 quia perſona eligenda eſt publica. 2, quia electio ad publicum bonum promouendum & conſeruandum dirigi debet. 3, quia omnes ſuſpiciones ſunt vitandæ, quæ ex priuatis & clandeſtinis conuenticulis oriri poſſunt. 4, quia vbi non eſt libertas, ibi non eſt electio; neque eligi poteſt is, qui artibus quibuſdam ſe intrudit. 5, quia electio rationibus, non affectibus eſt dirigenda & moderanda.

Idem etiam *Plato lib.6. De legibus* vult electiones magiſtratuum liberè & incorruptè fieri.

4 Vtrum magiſtratus à toto populo, an ab aliqua eius parte ſit eligendus?

HÆc quæſtio ſecundum Ariſtotelem lib. 4. Polit. cap. 15. ſic proponitur: *Vtrum magiſtratus ab omnibus ciuibus ſit eligendus; an verò à quibuſdam.* Etſi vera in hac quæſtione leges & conſuetudines cuiusque Reipub. ſpectari & obſeruari ſolent: tamen non ineptè quæritur à Politico vtrum ſit melius à toto populo ſeu omnibus ciuibus; an verò ab aliqua tantum eius parte, ſeu quibuſdam ciuibus magiſtratum eligi. *Pro priore parte quæſtionis. Ratio.*

1 Rationes pro priore parte quæſtionis ſunt; 1, quia

quia ad magiſtratus electionem requiritur conſenſus totius populi. Is autem conſenſus haberi non poteſt, niſi à toto populo eligatur. 2, quia ſi ab aliqua tantum parte eligatur magiſtratus, occaſio præbetur non tantum ad factiones & corruptelas eligentium moliendas, ſed etiam ad ſeditionem & rebellionem à populo mouendam aduerſus magiſtratum electum.

Pro poſteriore parte Ratio.

Rationes pro poſteriore parte quæſtionis ſunt: 1, quia impoſſibile eſt, aut ſaltem valde difficile conſenſum à toto populo impetrare; *1* cum diuerſa ſint hominum de vna & eadem re *2* iudicia; & quod vni placet, alteri diſpliceat. 2, quia maxima pars populi eſt vulgus. Illud autem non idoneum eſt ad eligendum partim propter imperitiam, partim propter iudicii inconſtantiam & corruptionem. Non enim rectè cōſiderare & perpendere poteſt vulgus conditiones primarias, quæ in eligendo requiruntur: imò affectus potius quam rectæ rationis ductū ſequitur.

Proinde melius eſſe videtur, vt ius eligendi iis duntaxat ciuibus committatur, qui cæteris, ſunt prudentiores, & in eligendo rectæ rationis iudicium potius, quam affectus ſequũtur. Hinc etiam *Petrus Gregorius Toloſanus lib. 4. de Repub. cap. 5.* aſſerit ſignum ſingulare ſupremæ maieſtatis eſſe auctoritatem creandi magiſtratus, qui cum imperio & iuriſdictione nomine eius, vel eorum, qui præficiunt, eligunt & creant, poſſint poteſtatem in alios exercere vel iubendo, vel iudicando.

Quæſtio deciditur per diſtinct.

Pro deciſione quæſtionis ſciendum eſt duo-

Digitized by Google

bus modis magiſtratum dici poſſe à toto populo eligi. Primus modus eſt, cum omnes & ſinguli ciues ſunt in numero electorum, ſuiſq; ſuffragiis ſingularibus magiſtratum deſignant. Alter modus eſt, cum totus populus ex ciuium vniuerſitate vnum aut plures communi conſenſu eligit, iiſq; ius eligendi tradit. Atq; hic poſterior modus videtur priori eſſe præferendus: ſi modò illi pauciores quibus à toto populo ius eligendi eſt traditum, ſint viri boni, cæteris prudentiores, bonaq; fide electionem inſtituant ac perficiant. Sic enim accidit vt electio, quæ à paucioribus illis nomine totius populi facta eſt, rectè dicatur à toto populo eſſe facta. Quod ſi vero electio magiſtratus ab vno aut pluribus Reipublicæ ciuibus fiat, qui conſenſu totius populi non ſint ad hoc deputati; tunc illa electio ſæpè ſolet factiones aliaq; mala in Repub. procreare.

5 Vtrum ex toto populo, an ex aliqua illius parte magiſtratus ſit eligendus?

HÆc quæſtio ab aliis ſecundum Ariſtotelem ita præponitur: *Vtrum magiſtratus ex omnibus ciuibus, ſeu omnium ciuium ordinibus ſit eligendus: an verò ex quibuſdam ciuibus, ſeu certo aliquo ciuium ordine.* Etſi verò in hac etiam quæſtione non minus ac in præcedenti multum legibus & conſuetudinibus cuiuſq; Reipublicæ tribui ſolet; tamen melius eſſe videtur, vt magiſtratus eligatur ex toto populo, ſeu omnibus ciuium ordinibus, quam ex aliqua tantum

tum

Digitized by Google

tum populi parte, ſeu certo aliquo ciuium ordine.

Rationes ſunt: 1, quia electio magis eſt libera ſi nō ad certum ciuium ordinem ſit reſtricta. 2, quia in ſingulis ciuium ordinibus plures idoneæ perſonæ reperiri poſſunt, quibus imperiū ciuile committatur, quam in vno tantum. 3, quia ſi electio fiat ex ſingulis ciuium ordinibus, ſinguli ad ſtudium virtutis magis accenduntur & inflammantur; & quidem eo fine, vt aliquādo ad gubernacula Reipub. poſſint promoueri. Id autem non fit quando electio eſt limitata ad vnum duntaxat ciuium ordinem. Qui enim vident ſibi aditum ad magiſtratum omnē eſſe interclusum, illi ſtudium virtutis aut prorſus abiiciunt, aut ſaltem languidè tractant. *Pro priori parte. Ratio. 1 2 3*

6 An ſuffragia in electione magiſtratus ſint ponderanda potius quam numeranda?

VSitatum eſt, quoties magiſtratus per ſuffragia eliguntur, vt illorum numerus potius quam pondus conſideretur. Sed hæc conſuetudo videtur ſimpliciter nō eſſe approbāda. Rationes ſunt: 1, quia vera & legitima ſuffragia non ſunt æſtimanda ex pluralitate ſuffragantium; ſed ex natura & qualitate ſua, vtrum nimirum ſint profecta à ſyncero & incorrupto iudicio, rationibuſque veris & ſolidis nitantur; an verò contrario modo ſint affecta. 2, quia varii ſunt modi illegitimi & fallaces colligendi ſuffragia, eorumque numero potius, quam pondere vincendi. Illi autem omnes impediuntur & excluduntur, quando ſuffragia ponderantur potius quam nume- *Sententia negatiua defenditur. Ratio. 1 2*

3 rantur. 3, quia ſi ſuffragiorum numerus potius, quàm pondus attendatur in electione magiſtratus, ſequitur 1, vanas eſſe omnes rationes etiam grauiſſimas, quibus prudentum ſuffragia nituntur. 2, nullum eſſe diſcrimen inter ſuffragia bonorum & prudentum virorum, & inter ſuffragia malorum & imprudentum virorum: Sed hæc omnia ſunt falſa & abſurda: Ergò etiã abſurda hypotheſis ex qua conſequuntur. Interim nõ negamus illa ſuffragia omnium eſſe optima & laudatiſſima, quæ ſimul numero & põdere vincunt.

7 *An magiſtratus ſit eligendus per ſortem?*

Pro theſi neg. Argum.

PRo theſi negante afferri ſolent hæc argumẽta: 1, quia electio magiſtratus non eſt committenda fortunæ aleæ, ſeu temeritati; cum ſit res omnium maxima, totiuſq; Reipub. clauis: imo magiſtratus ſit quaſi Atlas ciuitatis, à quo
2 vniuerſus Reipublicæ ſtatus pendet. 2, quia nemo debet eligi magiſtratus, niſi ſit vir prudens & bonus. Sed talis ſorte non poteſt eligi; cum ſæpius ſors in malos & imprudentes, quàm in bonos & prudentes cadat, iuxta illud: *Fortuna*
3 *fauet fatuis.* 3, quia electio prudenti conſilio & ratione confici debet. Non igitur per ſortem
4 fieri debet. 4, quia ſors cæca Reipublicæ ſæpè non tantum maximum periculum; ſed etiam præſentiſſimum interitum affert. Hinc Iamblichus ait: ὁμοίως ἐπισφαλὲς μαινομένῳ δοῦναι μάχαιραν, καὶ μοχθηρῷ δύναμιν. *Æquè periculoſum eſt furenti dare*
5 *gladium & improbo magiſtratum.* 5, quia ſortilegium eſt prohibitum iure diuino & humano.

At

At pro theſi affirmante adduci poſſunt ſequẽ *Pro theſ. af-*
tia argumenta: 1, quia electio per ſortem iuri *fir. Argum.*
diuino eſt conſentanea: ſiquidem Samuel 1. 1
Reg. cap. 10. iuſſu Dei Saulum in regem Iſrael e- 2
legit: Et apoſtoli Act. 1. Matthiam per ſortem
elegerunt in Apoſtolum. Hinc etiam Prouerb.
16. v. 33. ſcribitur: *Sortes mittuntur in ſinum: ſed à*
Domino temperantur. 3, quia iuri gentium electio 3
per ſortem eſt conſentanea: ſiquidem multi po-
puli in electione magiſtratus ſorte vſi fuiſſe le-
guntur, vt narrat *Petrus Gregorius lib. 7. de Repub.*
cap. 14. Hinc apud Athenienſes magiſtratus alii
erant κληρωτοὶ, *ſorte electi*, alii χειροτονητοὶ, *ſuffragio*
populi electi: 4, quia electio per ſortem iudicium 4
Deo committit & præcludit partim omnẽ con-
temptus ſuſpicionem, partim omne fraudum &
deceptionum genus, quod in electione per ſuf-
fragia locum habere poteſt. 5, quia inter pares, 5
qui de imperio dimicant, & æquè digni ſunt
imperio, locum non habet electio per ſuffragia;
ſed neceſſe eſt, vt illa fiat per ſortem: non ſecus
ac in iudiciis, quæ ambiguam cauſam habent ob
paritatem litigantium, ſors tandem ſolet adhi-
beri. 6, quia in ſortibus mittendis nulla eſt ſu- 6
ſpicio ambitionis, nulla ſeditionis formido. 7, 7
quia electio per ſortes in democratia & oligar-
chia ab Ariſtotele approbatur, *lib. 4. Polit. cap.*
15. propter æqualitatem libertatis & cenſus eo-
rum, qui ſunt eligendi ad vitandam ſeditionem.

Pro deciſione quæſtionis diſtinguendum eſt *Quæſtio de-*
inter ſortes, partim quæ poſt conſultationem *ciditur per*
maturam à viris prudentibus dari ſolent ad ſi- *diſtinct.*
gnificanda ſuffragia; partim quæ à ſortilegis ad-

hibentur, vt per eas futura præcognoſcantur & prædicentur; partim quæ vel iuſſu Dei, ſeu inſtinctu Dei fiunt & ab eodem gubernantur, vel cum inuocatione nominis diuini fiunt: partim quæ prorſus à cæca fortunæ alea & temeritate pendent. In prima & tertia ſignificatione ſi accipiantur ſortes, electio per eas non poteſt ſimpliciter reiici. In ſecunda ſignificatione electio per ſortes prorſus impia eſt & deteſtanda. In quarta ſignificatione valde & lubrica & periculoſa. Ideoq; ea electione vtendum non eſt, niſi in iis, in quibus parum refert, vtrum vno, vel altero modo eueniant: Ac ea quoq; ita ſunt fortunæ credenda, vt ſi aliquid detrimenti afferāt, id vel præcedente prouidentia dirigi, vel ſequēte prudentia emendari & corrigi poſſit. Vbi etiam notanda ſunt duorum Politicorum dicta eximia: Vnum Piccolominei in gradu 10. ciuilis Politiæ, cap. 18. *Cum*, ait, *varii ſunt modi, quibus eligi poſſunt magiſtratus: ille tamen cæteris preferendus eſt, qui conſultatione & praelectione fit a viris prudentibus auctoritate præditis; quibus cum pertinentia ad officia magiſtratuum, tum conditiones & partes praeligendorum ciuium ſint conſpicua & explorata.*

Alterum Petri Gregorii lib. 4. de Repub. cap. 5. *Praſtantiſſima*, inquit, *eſt electio in omni adminiſtratione Reipublica magiſtratuum, qua non gratia, non fortuito, non ſuffragiis ignorantiæ & multitudinis, ſed conſulto ex idoneis virtute præditis & ſapientioribus fit.* Quibus addi poteſt regula *Benedicti Aretii parte 2. probl. theolog.* qua aſſerit *Sortem tum demum locum habere, vbi ea eſt neceſſitas*

neceſſitas vt nec ratio nec conſilium adhiberi poſſit.

8 *An quilibet homo aptus ſit ad ſuſcipiendum & gerendum magiſtratum?*

STatuitur theſis negatiua. Rationes ſunt: 1, quia nemini magiſtratus eſt committendus, niſi qui rectè eſt educatus & inſtitutus, vitamq; honeſtam & inculpatam agat. 2, quia qui ſeipſum ſuasq; cupiditates & prauos affectus rectæ rationis freno regere non poteſt, is ineptus eſt ad rectam Reipub. adminiſtrationem. 3, quia tria requiruntur in eo, qui habilis eſſe debet ad ſuſcipiendum & gerendum magiſtratum; 1, vt ſciat; 2, vt velit; 3, vt poſſit Rempub. benè adminiſtrare. *Pro theſi neg. Ratio.* 1 2 3

Ad ſcientiam requiritur partim exacta cognitio finis Reipub. in quem omnia dirigi debent; partim exacta cognitio mediorum ad finem illum aſſequendum idoneorum. Quæ media rectè formatæ leges nobis diſtinctè patefaciunt, propriaq; prudentia approbat. Hæc enim eſt mediorum indagatrix duxq; tutiſſimus humanarum actionum.

Ad voluntatem requiritur, vt quis erga Rempub. benè ſit affectus flagrantiq; deſiderio eius conſeruationem & ſalutem appetat, omniaq; illa ſummo ſtudio eligat & perſequatur, quæ faciunt ad Rempublicam conſeruandam & amplificandam: cōtraq; omnia auerſetur & fugiat, quæ videntur Rēpublicā prodere & corrumpere poſſe. Illa autē omnia fieri non poſſunt ſine virtute morali; ideoq; hæc quoq; ad perficiendā voluntatē, rectamq; proæreſin neceſſaria eſt. Et hoc etiam comprobat ſententia illa à Perſarum

ſapientibus enunciata: *Neminem eſſe dignum magiſtratu, qui non ſit melior cunctis, qui magiſtratui ſubiiciuntur.* Ad facultatem requiritur, vt quis apud eos, quibus præeſſe debet, auctoritate valeat, ſiue propria, ſiue ab alio pendente. 2, vt viribus partim publicis, partim propriis benè ſit inſtructus. Cum igitur hæc tria in quolibet homine non reperiantur, ſequitur quoq; quemlibet hominem non eſſe aptum ad ſuſcipiendum & gerendum magiſtratum.

Hinc rectè Æſchines contra Timarchum ait: Τὸν τὴν ἰδίαν οἰκίαν κακῶς οἰκήσαντα καὶ τὰ κοινὰ τὰ τῆς πόλεως παραπλησίως ἡγήσατο διαθήσειν; hoc eſt, *qui domum propriam malè adminiſtrauit, is res communes ciuitatis ſimiliter exiſtimauit ſe diſpoſiturum eſſe.* Et Demoſthenes, contra Androtionem inquit: πονηρὰ φύσις μεγάλην ἐξουσίαν λαβομένη μεγάλην ἀπεργάζεται συμφοράν· *improba natura magnam poteſtatem nacta magnam operatur calamitatem.*

9 *An fœminæ à Republicæ adminiſtratione ſint excludendæ?*

CVm in eligendo magiſtratu ſexus ſit habēda ratio, non immerito quæritur, vtrum

Pro theſi neg. Argum. fœminæ à Reipublicæ adminiſtratione ſint excludendæ. Ac pro theſi quidem negante adduci ſolent hæc argumenta: 1, quia non minus ad fœminam, quam ad marem pertinet benedictio illa diuina Geneſ. 1. *Creſcite & multiplicamini & replete terram, & ſubiicite eam & dominamini piſcibus maris & volatilibus cœli & vniuerſis animantibus, quæ mouentur ſupra terram.* 2, quia Deus mulierem fecit ex ipſius viri ſubſtantia, & non ex

pedi-

pedibus, ne inferior, neq; ex capite, ne ſuperior eſſet: ſed ex latere, vt æqualis eſſet in facultatibus hominis; & ſic naturâ fæminæ non excluſit ab imperii adminiſtratione. 3, quia neq; ius diuinum, neq; ius gẽtiũ ſimpliciter adimit mulieribus poteſtatẽ publicè regendi Remp. 4, quia fæmina non minus ac vir poteſt à Deo prudẽtia & virtute ornari; & ſic apta reddi ad Remp. gubernandam. *Nulli enim præcluſa eſt virtus*, vt ait Senec. epiſt. 3. *Sed illa omnes admittit, nec cenſum, nec ſexum reſpicit.* 5, quia lex naturalis nullam differentiam conſtituit, quantum ad prærogatiuas humanæ dignitatis attinet, inter ſexum maſculorum & fæminarum; neq; in ſucceſſione bonorum, vt docet Plato & Iuſtinianus. 6, quia leges humanæ inueniuntur, quæ fæminas æquè ac mares ad Reipublicæ adminiſtrationem admittunt, vt liquet ex Socratis & Platonis doctrina. 7, quia in hiſtoriis reperiuntur exempla mulierum, quæ cum laude Rempub. gubernarunt & virilibus curis fæminarum vitia exuerunt: in quarum numero etiam fuit Debora, Iudicum 4. & Semiramis.

3

4

5

6

7

At pro theſi affirmante afferri ſolent hæc argumenta: 1, quia lex diuina non modo Reipublicæ; ſed etiam familiæ dominatum fæminis eripuit; cum diſertè eas, ſub virorum imperium ſubiecit: & quoties Deus ſui nominis hoſtes acerbiſſimè ſe vlturum teſtatur, fæminarum imperiis ac legibus ſubditos fore minatur: quaſi malorum illud, & calamitatum omnium extremum eſſet. 2, quia Gynæcocratia naturæ legibus inimica eſt, quæ viris prudentiam, robur,

Pro theſi affir. Argum.

1

2

animi magnitudinem imperandi vim dedit; fæminis abſtulit. Hinc *Menander*: Γυναικὶ δ᾽ ἄρχειν, ὐ δίδωσιν ἡ φύσις. *Et Ariſtoteles lib. 1. Polit. cap. 8.* Τὸ ἄῤῥεν φύσει τοῦ θήλεος ἡγεμονικώτερον: *mas naturâ magis aptus eſt*
3 *ad imperandum quam fæmina*: 3, quia fæminæ non ratione, ſed affectu ducuntur: Et ſeruum nimis ſeruitium eſt mulieribus obedire: Et vbi hæ imperant, non modò à libertate, ſed etiam à
4 ſeruitute degenerant homines. 4, quia Romanorum leges ab omnibus officiis ac muneribus publicis fæminas procul arcent, non tantum ob id quod prudentia vacant; ſed etiam quod virilia munera fæminarum ſexui ac pudori contra-
5 ria ſint. 5, quia fæminæ nimis ſunt ſuſpicaces & garrulæ: Ideoq; non idoneæ, quarum fidei arcana Reipub. concredantur. 6 quia hiſtoriæ te-
6 ſtantur fæminas ad Reipub. gubernaculum admiſſas malè ei præfuiſſe, vt patet ex catalogo exemplorum quem Iunius enumerat in parte *1. q. Polit. Q. 13. & Bodinus lib. 6. de Repub. cap. 5.*

Quæſtio deciditur. Pro deciſione quæſtionis ſciendum eſt; 1, ſicut non omnis homo maſculus, quatenus maſculus ad Reipub. adminiſtrationem eſt admittendus, ſed quatenus eſt idoneus, ita nec fæmina ſimpliciter eſt admittenda, ſed quatenus eſt idonea. 2, legem Dei de ſubiectione mulieris reſtringendam eſſe duntaxat ad ſtatum matrimonii; non verò ad ſtatum Reipub. 3, maſculum, cæteris paribus, ſemper præferendum eſſe in electione magiſtratus fæminis.

10 V-

10 *Vtrum ſenibus potius quam iuuenibus magiſtratus ſit committendus?*

PRo theſi affirmante faciunt hæc argumenta: *Pro theſi affir. Argum.*
1,quia ſenes ſunt prudentiores & ſapientiores iuuenibus. 1
Vnde etiam tertium oculũ habere dicuntur,quo rerum euentus facilè proſpiciuntur.2,quia ordo naturæ requirit,vt iuuenes ſub 2
diſciplina ſenum viuant, vt quæ à minus perfecto ad perfectũ progreſſa iuuentutis obſequium imperium ſenectutis eſſe doceat.3,quia ſe- 3
nes ſunt grauiores, maiorıq; apud ciues valent auctoritate quam iuuenes. 4,quia in ſenibus iu- 4
dicium eſt maturius&rectius,quam in iuuenib. propterea quod veritate & ratione potius, quã opinionib.& affectibus ducuntur.5,quia lex di- 5
uina in ſenatu cõſtituendo, ſeniores ſeptuaginta cogere mandat,qui cæteris ſapientia,prudentia & ſcientia præſtent. Et Eccleſiaſt.18. *Va eſſe terra illi dotetur, cuius rex puer eſt.*6,quia Spartani 6
magiſtratus ſuos appellabãt πρεσβυτέρους, naru grãdiores, & γέροντας,ſenes. Et apud Romanos Senatus à *ſenio* eſt denominatus: & γερουσίαν,*curiam* vocari Romulus voluit. 7, quia hiſtoriæ teſtantur 7
Rempublicam rectius & felicius à ſenibus quã
à iuuenibus fuiſſe adminiſtratam. 8,quia Plato 8
monet,ne quis magiſtratum quempiam gerat, qui pauciores quam 50.annos habuerit. Quin etiam leges ciuiles hoc requirunt,quæ ad Rempub.adminiſtrandam nolunt ante 25.annos aliquem admitti. Hinc conſulatus Romæ olim geri non potuit ante 43.annum; prætura ante 40. ædilitas & quæſtura, ante 27.

Digitized by Google

Pro theſi neg. Argum.

At pro contraria ſententia hæc argumenta afferri poſſunt: 1, quia iuuenes viribus corporis
1 magis valent quam ſenes: ideoq; ad res arduas
2 ſuſcipiendas & perficiendas ſunt aptiores. 2, quia ſenes ſunt ſuſpicaces, puſillanimi, meticuloſi, queruli, vtilitatemq; magis, quam honeſtatem ſpectant: Contra verò iuuenes ſunt animoſi, fortes, laudis & gloriæ cupidi, magisq;
3 honeſtatem, quam vtilitatem ſpectant. 3, quia hiſtoriæ teſtantur non tantum multos fuiſſe, qui ob ſenium, oblatum magiſtratum ſuſcipere recuſauerint; ſed etiam complures iuuenes ad magiſtratum euectos eſſe, qui Reipub. benè præfuerint, vt patet ex catalogo exemplorum à
4 Iunio allatorum. *parte* 1. *Polit. Q.* 14. 4, quia, ſi magis in eligendo ſenum potius quam iuuenũ habenda eſt ratio, fit vt magna virtutis indoles prius extinguatur, quam prodeſſe Reipub. poſ-
5 ſit. 5, quia qui iuuenum commodis & honoribus obſtant, non ſecus faciunt ac arbores vetulæ, quæ ſubnaſcentes arbuſculas vmbra ſua premere ac necare ſolent.

Quæſtio deciditur per theoremata.

Pro deciſione quæſtionis ſciendum eſt, 1. neque ſenes ſimpliciter ad magiſtratum eſſe ad-
1 mittendos, neq; iuuenes ſimpliciter ab eo excludendos: ſed videndum eſſe ante omnia, qui tam ex iuuenibus, quam ſenibus maximè ſint idonei ad ſuſcipiendum & gerendum magiſtra-
2 tum: 2, diſtinguendum eſſe inter ſenes & iuuenes qui vel ætate, vel ſcientia & moribus ſunt tales. Multi enim ætate iuuenes ſunt, ſcientia & moribus ſenes: & multi ætate ſenes ſunt, ſcientia & moribus iuuenes. Vt igitur hi non ſunt admit-

Digitized by Google

admittendi ad gubernacula Reipub. ita illi non ſunt ab iis excludendi. Hinc etiam alii diſtinguere ſolent inter ſenes, qui vel decrepiti ſunt & quaſi bis pueri, vel alias rerum imperiti ac rudes & quaſi παιδογέροντες, hoc eſt, *ratione & concilio pueri*: & inter ſenes, qui ſunt mediocris ætatis prudentiaq; & rerum vſu benè inſtituti. Similiter inter iuuenes qui vel nimis ſunt pueri, vel alias imperiti, imprudentes, audaces, leues, temerarii, ad variaq; vitia propenſi: & inter eos, qui docti ſunt, prudentes, omnibuſq; rebus inſtructi, quæ ad Reipublicæ adminiſtrationem requiruntur. Interim, hoc etiam verum manet, cæteris paribus, ſenioribus potius magiſtratum, quam iunioribus eſſe committendum. Ac proinde grauiter vtrinq; ſolet peccari, cum vel adoleſcentuli imperiti rerum præferuntur ſenioribus, vel his planè excluſis magiſtratus dantur ſenibus admodum decrepitis & iam pueris factis.

11 *An in eligendo magiſtratu ſtatura & forma corporis ſit habenda ratio?*

PRo theſi affirmante faciunt hęc argumenta: 1, quia pulchritudo corporis plerunq; arguit animi pulchritudinem: ſicut contra, corporis deformitas animi deformitatem. Hinc Pythagoras corporum ſtructuram iudicabat ſimilem eſſe ſtructuræ animi: & diſtorta membra eſſe effectum atq; adeò teſtimonium animi prauis affectibus diſtorti. Idcircò ſcholæ ſuæ appoſuit hanc inſcriptionem, *ne quis eam ingrederetur qui eſſet malè constructa corporis compage & deformi vultu.* Et *Gratianus diſtinct.* 45. ex Auguſtino

Argum. Pro theſi affir. 1

citat eum, *cuius facies deformis eſt, vix poſſe habere bonos mores.* 2, quia ex ſententia Dii Pythagorici vt refert *Stobæus ſerm. 63.* videtur pulchritudo corporis reuerendum quid & admiratione dignum continere. Sicut contra teſte *Patricio lib. 2. de regno, cap. 2.* oris & corporis deformitas virtutis gloriam imminuere ſolet, & hominem reddere obnoxium detrectatoribus. Et hoc etiam alibi comprobat Porphyrius cum ait, nobis naturâ datum eſſe, vt contemptui apud nos ſint qui turpi ſunt corpore: contra vero corpore ſpectabiles diligamus & veneremur. Quo reſpexit etiam Virgilius lib. 5. Æneidos.

Gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus. Nec non *Curtius lib. 5.* cum aſſerit pleriſq; gentibus in corporum maieſtate venerationem eſſe, magnorumq; operum non alios capaces putare, quam quos ſpecie eximia & egregia donare natura dignata eſt. 3, quia antiqui in magiſtratu maximè commendabant formæ pulchritudinē, corporiſq; proceritatem; vt prolixè ex hiſtoriis probat *Iunius parte 1. quæſt. Polit. quæſt. 21.* Hinc Saul primus rex Iſraelitarum dicitur reliquos omnes forma & proceritate ſuperaſſe. Et Homerus paſſim fortiſſimos & præſtantiſſimos heroas cuiuſmodi fuerunt Hector & Achilles, ab inſigni corporis pulchritudine laudat. Hinc etiam hiſtoriæ narrant Scythas & Indos neminem elegiſſe regem niſi formâ decorum. Et Lacedæmonii Ephori non immeritò Archidamum regem ſuum pecunia mulctarunt, quod vxorē puſillam duxiſſet, & propterea non reges, ſed regun-

gunculos effæminatos poſt ſe relinquere cogitaſſet, vt Plutarchus refert in libellio de liberorum educatione cap. 1.

Animi potiꝰ pulchritudo quam corporis ſpectanda in eligendo magiſtratu.

Interim tamen hoc obſeruandum eſt in electione magiſtratus, animi pulchritudinem potius, quam corporis ſpectandam. Accidit enim interdum vt in corpore deformi & paruo animus pulcher & magnus: contra in corpore formoſo & procero animus deformis habitet. Sic Saul & Abſolon & Nero fuerunt pulchro corpore; ſed animo malo. Et Ageſilaus Spartanorum rex puſillo erat & paruum formoſo corpore: ſed animum habebat pulcherrimum optimeque Rempub. adminiſtrabat. Idcirco *Cuſus lib. 3. Sphæræ ciuitatis cap.* 11. rectè ait; Etſi optandum eſt, vt reges in compoſitione corporis alios (vt Saul ille ſuos fratres) ſuperent: ſi tamen non ſuperent, cauſa iuſta ſatis non eſt, vt à poſſeſſione ſceptri pellantur. Nam vt ſub ſordida veſte aliquando magna ſapientia: ita ſub illiberali ſpecie corporis magna vis mentis & virtutis lucet. Lacedæmonii olim ſtatuerunt vt claudus in regnum non admitteretur: at tandem hoc verum eſſe ſenſerunt, quod *melius ſit regem quam regnum claudicare.* Abſolon omnes ſua forma vicit; at Abſolon mentem vitioſam habuit. Non ergo in fronte, ſed in mente formoſæ virtutes ſedent. In quam ſententiam etiam *Seneca epiſt. 77.* ait *corporis deformitate animum non fœdari, ſed pulchritudine animi corpus ornari.* Et hoc teſtatur etiam exemplum Æſopi &

Socratis, quorum vterq; corpore fuit deformis & animo formoſus. Vnde etiam quidam Socratem adſpiciens dixit: *O excellens anima, quam deforme hoſpitium nacta es.*

12 *An diuitibus potius, quam pauperibus magiſtratus ſit committendus?*

Pro theſi affir. Argum.

1 PRo theſi affirmante faciunt hæc argumenta: 1, quia diuites cum domi non deliteſcant, vt
2 pauperes, ſed in luce viuant, maiore rerum experientia ſunt inſtructi. 2, quia diuites, cum domeſticis negotiis minus, ac pauperes, ſint impediti, maiorem diligentiam in publicis rebus tra-
3 ctandis adhibent. 3, quia diuites magnificentius, ſplendidius & liberalius ſeſe gerunt, quam
4 pauperes. 4, quia diuites melius domui ſuæ præſunt quam pauperes. Ideoq; etiam ad Reipub. adminiſtrationem ſunt aptiores. Qui enim domui ſuæ benè præeſſe non poteſt, ille etiam non poterit, benè præeſſe Reipublicæ; cum domus
5 ſit quaſi parua Reſpublica & Reſpublica quaſi magna Domus. 5, quia diuites minus affectibus ducuntur, minuſq; capiuntur munerib. quæ o-
6 culos ſapientum excæcant & verba iuſtorum peruertunt. 6, quia diuites maiore apud ſubditos valent auctoritate quam pauperes. Pau-
7 pertas enim contemptum parit. 7, quia pauperes omnia timidius agunt quam diuites, magiſque linguam ligatam habent: imò ad mala magis incitantur. Hinc *Ariſtoteles lib. 2. Polit. cap. 7:* ait: ἡ πενία στάσιν ἐμποιεῖ, καὶ κακουργίαν, *paupertas ſeditionem gignit & maleficium.* Et Horatius lib. 3. Carminum, ode 24. rectè ait.

Ma-

Magnum pauperies opprobrium iubet
Quiduis & facere & pati,
Virtutisq; viam deſerit arduæ.

Vnde etiam à Plutarcho in Lycurgo paupertas dicitur magnus Reipub. morbus. 8, quia pauperes quæſtui Rempub. habent. Diuitiæ verò obſidis & pignoris loco ſunt apud Rempublicam. 9, quia Romani in eligendo magiſtratu cenſus rationem habebant, ne ſplendor ampliſſimi muneris rei familiaris anguſtiis obſcuraretur. Imò neminem ad magiſtratũ admittebant, qui non per annos decem de ſuis bonis propriis honeſtè vixiſſet. 8 9

At pro theſi negante adduci poſſunt hæc argumenta: 1, quia pauperes minus ſunt auari, minuſq; curis domeſticis impliciti, ac diuites. Ideoq; ad curandam Rempub. ſunt aptiores. 2, quia paupertas eſt mater induſtriæ, magnique animi in viris probis indicium: cum non poſſit res magnas gerere, qui paruas curat. Hinc rectè Virgilius in Georgicis: *Labor omnia vincit Improbus, & duris vrgens in rebus egeſtas.* 3, quia nihil abſurdius quam magiſtratus dignitatem ex diuitiis æſtimare: cum hæ ſæpè aut furtis & rapinis, aut caſu quodam fortunæ dentur & eripiantur. 4, quia diuitiæ homines negligentes efficiunt, iiſq; ad inſolentiam, luxum, libidinem, ſeditionem & iniurias occaſionẽ præbent. Hinc Ariſtoteles *4. Polit. & 5. Polit. 2. & 7.* ait nimias diuitias excitare inſolentiam: ex inſolentia oriri iniurias & contumelias; ex his regnorum euerſionem. 5, quia hiſtoriæ teſtantur multos magiſtratus fuiſſe pauperes, qui tamen benè

Pro theſi neg. Argum. 1 2 3 4 5

Rempub. adminiſtrauerint. Sic Epaminondas Thebanorum imperator, teſte Plutarcho, tam pauper fuit, vt vnicam tantum veſtem haberet, quæ cum reſarcienda eſſet, domi manere coactus eſt. Sic Ariſtides Athenienſis, teſte eodem Plutarcho, adeò pauper mortuus eſt, vt domeſtico ſumptu funerari non potuerit: Filii autem paternæ virtutis cauſa, publicò ære ſint educati. Sic de Romano Curio & Fabricio canit Poeta hoc modo:

Pauper erat Curius, reges cum vinceret armis,
Pauper Fabricius Pyrrhi cum ſperneret aurum.

Quæſtio deciditur per theoremata. Pro deciſione quæſtionis notanda ſunt ſequentia theoremata: 1, in eligendo magiſtratu
1 magis conſideranda eſſe bona animi, quam bo-
2 na fortunæ. 2, neminem à magiſtratu eſſe excludendum propter ſolam paupertatem; quémadmodum neque admittendum propter ſolam
3 opulentiam. 3, pauperem probum longè eſſe
4 præferendum diuiti improbo. 4, diuitem probum cæteris paribus eſſe præferendum pauperi
5 probo. 5, nec nimium diuitem, vel nimium etiam pauperem eſſe eligendum. Quod autem *Caſus lib. 2. Sphæræ ciuitatis cap. 7.* ſub finem quæſtionis eiuſdem ait, in electione non tam virtutem animi, quam virtutem officii ſpectare ſolere: id non videtur eſſe approbandum: cum virtus officii ſine virtute animi nulla eſſe poſſit.

13 *An indigenis potius, quam peregrinis ſeu exteris magiſtratus ſit committendus?*

HÆc quæſtio valde eſt controuerſa inter Politicos. Alii enim indigenas duntaxat ſtatuunt

tuunt ad Reipub. gubernationem eſſe promouendos, excluſis peregrinis, aut ſaltem indigenas peregrinis eſſe anteponendos: alii verò cenſent peregrinos eſſe præferendos indigenis.

Pro indigenis.
Argum.

Argumenta pro priore ſententia ſunt: 1, quia Deus ipſe mandat Iſraelitis, vt magiſtratus è numero fratrum eligatur, neq; Rex conſtituatur,
qui alterius gentis ſit, *Deuter.*17. 2, quia ſubditi 1
longè proniores & faciliores ſunt ad parendum 2
indigenis magiſtratibus, quã peregrinis. 3, quia 3
indigenæ magis amant ſalutem patriæ & ſuorũ popularium quam peregrini. Ideoq; maiorem eorum curam habent magiſq; iis conſultum volunt. 4, quia indigenæ ſtatum Reipublicæ mo- 4
reſque, ingenia & inſtituta ſubditorum melius
perſpecta habẽt quam peregrini. Ideoq; multò 5
melius & fidelius Rempublicam gerere ſolent. 5, quia peregrini ſecum aliũ ſermonẽ alioſq; mores afferunt. Vnde noua de rebus iudicia nouaque inſtituta oriuntur, quæ Rempub. non e- 6
mendant, ſed perdunt. 6, quia præiudicioſum valdè eſt & cedit in contemptum gentis, ſi externum principem quærat, quaſi ita nouercam habeat patriam vt neminem producat tam excellenti virtute præditum, qui dignus ſit vt ad gubernacula patriæ admoueatur. 7, quia non vti- 7
le eſt peregrinis ius ciuitatis cõcedere: propterea quod fructum ciuitatis deuorent, non ſecus ac locuſtæ ſegetes: factique fortiores ſeditiones excitent, Rempub. turbent, indigenaſque ex-
pellant. Ergò multò minus vtile eſt vt pere- 8
grini ad magiſtratum admittantur. 8, quia

Digitized by Google

ex eo quod peregrini præferuntur indigenis, oriuntur odia, inuidiæ, contentiones, factiones, bella inteſtina, quæ ſæpenumero & ſubditis & principibus pernitioſa exiſtunt.
9 9, quia vix vlla natio eſt qui externum & peregrinum imperium diu ferat. Et vbicunq; populus eſt aliqua mediocri potentia; videmus eum ferè ab indigenis gubernari. Hinc olim Reſpublica Romana, Carthaginenſis, Athenienſis, & hoc tempore Veneta aliæq; benè conſtitutæ Reſpub. magiſtratus non niſi indigenis commiſerunt. Hinc etiam ad Romani imperii gubernationem noſtro ſeculo nemo admittitur niſi ſit Germano ſanguine natus: Et legibus cautum eſt, ne ſummum decus imperii ad exteros perferatur.
10 10, quia peregrinus princeps à periculis tutus eſſe non poteſt, niſi validiſſimo præſidio ſeipſum inprimis, deinde arces muniuerit. Illa verò externa præſidia multum incommodi ſecum trahūt & ad tyrannidem viam parant.

Pro peregrinis. Argum. Argumenta, pro poſteriore ſententia ſunt:
1 1, quia peregrini maiorem habent apud ſubditos auctoritatem magiſq; honorantur, quam indigenæ: propterea quod horum infirmitates & vitia magis ſunt nota quam peregrinorum.
2 2, quia inter indigenas æquè ambientes imperium, æquaq; poteſtate & gratia præditos ſæpe oriuntur contentiones, inimicitiæ, factiones & ſeditiones, quę mutuis rapinis ac cædibus Rempub. diuellunt.
3 3, quia indigenæ, quando aliis præſunt, vel nimia indulgentia illis parcunt vel veteri quodam odio præter modum in eos ſæuiunt.
4 4, quia hiſtoriæ teſtantur multos peregrinos

grinos ad Reipublicę gubernacula cum laude & tractu conſediſſe, vt patet ex catalogo exemplorum, quæ *Iunius affert 1. parte quæſt. Polit. quæſt. 15.*

Pro deciſione quæſtionis notandum eſt 1, in eligendo magiſtratu virtutem potius cuiuſque quam patriam ponderandam eſſe. *Quæſtio deciditur per theor.* 2, peregrinum probum præferendum eſſe indigenæ improbo. 1 3, Indigenam probum ſemper præferendum eſſe peregrino probo, ſi cætera ſint paria. 2 3 4, non pro peregrinis habendos eſſe quorum iam nomen & honor vrbi inueterauit & hominum famæ & ſermonibus: neq; patiuntur ſe ab aliis verborum iactantia ſuperari, niſi virtute vincantur. 4 5, Salutem populi quæ ſecundum legem 12. Tabularum ſuprema lex eſt, interdum requirere, vt peregrino potius quam indigenæ faſces deferantur: ſi nimirum paritas & æquabilitas libertatis inter indigenas commodè ſeruari non poſſit: aut ſtatus Reipub. per indigenas ipſos turbatus ab indigena nullo reſtaurari poſſit, ſed exteri alicuius præſidium deſideret. 5

14 *An ſpurii ad magiſtratum ſint admittendi nec ne?*

CVm in magiſtratu eligendo ſit habenda ratio generis, primum omnium quæritur, *vtrum Spurii ad magiſtratum ſint admittendi nec ne?* Ac pro theſi quidem affirmante faciunt partim exempla, quæ de Spuriis ad Rempub. gubernandam admiſſis ex hiſtoriis tam ſacris quam profanis recenſet *Iunius in parte 1. quæſt. polit. quæſt. 16.* partim ratio, quia Spurii non minus ac legi- *Pro ſpuriis affir. Argum.* 1

timi ſæpe ſunt prudentes, probi, omnibuſq; bonis inſtructi, quæ in magiſtratu requiruntur. Ideoq; ſæpè etiam ſunt aptiores, ad gubernandā Rempub. quam legitimi.

Pro theſi neg. contra ſpurios. Argum.

Contra pro theſi negante adduci poſſunt hęc argumenta: 1, quia magiſtratus non eſt committendus niſi perſonis nulla macula & infamia
1 generis notatis. Tales autem nō ſunt ſpurii. 2, quia
2 libidini quaſi fax ſcortandi præfertur, ſi ſpurii ad
3 imperium ciuile admittantur. 3, quia ſpurii non ſunt alto & elato animo, ſed timido & depreſſo. Ideoq; omnia agunt timidè & trepidè, memores partim generis ſui adulterini, partim
4 peccatorum à parentib. perpetratorum: 4, quia Plato & Ariſtoteles ſpurios à Reipub. adminiſtratione excludēdos eſſe arbitrantur. Ille enim in *lib. 6. de legibus* vult vt cādidati magiſtratus alicuius eo tempore, quo comitia habentur in ara Iouis nomen ſuum & patris & gentis, & tribus in tabella ſcriptum deponant: atq; ita quaſi in teſtimonium Deo vocato profiteantur ſe legitimè natos eſſe. Et *Ariſtoteles in Politicis lib. 3. cap.* 11. non vult, vt ſpurius in regno ſuccedat.

Quæſtio deciditur per diſtinct.

Pro deciſione quæſtionis ſciendum eſt; 1, ſic-
1 ut ſimpliciter legitimi non ſunt admittendi ad
2 gubernationem Reipub. ſed eatenus quatenus ſunt idonei: ita ſpurios ſimpliciter non eſſe excludendos. 2, ſpurium probum & prudentem
3 præferendum eſſe legitimo improbo & imprudenti. 3, legitimum cæteris paribus ſemper præferendum eſſe ſpurio.

15 An

Digitized by Google

15 *An nobilis & illuſtris familiæ homines in electione magiſtratus ſint præferendi iis, qui ignobili & obſcuro loco nati ſunt?*

PRo theſi affirmante faciunt hæc argumenta: *Pro theſi affir. Argum.*
1, quia naturæ conſentaneum eſt, vt ſimiles 1
ſibi gignant ſimiles. 2, quia ad virtutes propenſiores ſunt & à vitiorum turpitudine alieniores illi, qui ex nobili & illuſtri familia oriuntur, quam qui ex ignobili & obſcuro. Cupiunt enim parentum, & maiorum ſuorum gloriam æmulari, & augere, neq; vitiis, eandem obſcurare, minuere & amittere. 3, quia magis metuunt offenſionem & reprehenſionem aliorum, quam cæteri: tum, quia ſciunt etiam leuia delicta in ipſis obſeruari & exprobrari: nõ ſecus ac verrucæ in facie magis dedecorant hominem, quam neui in aliis membris, quæ teguntur; tum, quia laudis & gloriæ magis ſunt cupidi. 4, quia maieſtatem & ſplendorem Reipub. conciliant nobilis & illuſtris familiæ homines, quando ad gubernacula ſedent. 5, quia maiorem apud ſubditos auctoritatem & reuerentiam conciliat magiſtratui generis nobilitas; ſicut contra contemtum parit generis obſcuritas. 6, quia mãſuetiores & leniores ſunt illi, qui ex nobili & illuſtri familia ſunt orti, quam reliqui. 7, quia apud Spartanos Athenienſes, & Corinthios vſitatum fuit vt ex certis familiis, & quidem nobilibus magiſtratus eligerentur.

At contra pro theſi negante afferri poſſunt

Digitized by Google

Protheſi neg. Argum hæc argumenta: 1, quia in electione magiſtratus exemplum Dei imitari debemus, qui homines
1 humili & obſcuro loco natos potius elegit, quã nobiles & illuſtres, vt teſtatur exemplum Ioſephi captiui, Gideonis frumentum triturantis, Danielis captiui, Mardochæi, Saulis, Dauidis, &
2 aliorum. 2, quia in magiſtratu eligendo virtutis ratio maximè eſt habenda. Illa autem in hominibus humili & obſcuro loco natis ſæpè maior reperitur, quam in iis, qui ex nobili & illuſtri
3 familia ſunt orti. 3, quia ſi tenuioris conditionis homines ob virtutem ad honores publicos promoueantur, excitatur in aliis magis magiſq; virtutis ſtudium. 4, quia homines ignobiles &
4 obſcuri omnem ſpem in ſeipſis habent eamq;
5 virtute & innocentia tutari coguntur. 5, quia illis, qui præter genus nihil virtutis & doctrinæ in ſe habent, non plus proſunt Reipub. quam obſoniorum fumus inanis ad corpus nutriendũ
6 prodeſt, qui tantum nares prouocat. 6, quia multi homines ex illuſtri & nobili familia orti, ſolent à parentum & maiorum ſuorum virtute degenerare & naturæ monſtra fieri, vt teſtantur exempla à Iunio allata, vnde etiam natum eſt vulgare illud adagium:

Heroum filij noxæ.

Quæſt. deciditur per theoremata. Pro deciſione quæſtionis ſciendum eſt, neq;
1 nobilis & illuſtris familiæ homines ſimpliciter eſſe ad magiſtratum admittendos, neq; ignobili & obſcuro loco natos ſimpliciter ab eo exclu-
2 dendos. 2, hominem ignobilem & obſcuro loco natum, ſi probus & prudens ſit, præferendũ eſſe homini nobilis & illuſtris familiæ, ſi ſit im-

pro-

Digitized by Google

probus & imprudens. 3, hominem nobili & illuſtri loco natum, cæteris paribus præferendũ eſſe homini ignobili & obſcuro loco nato. 3

16 *Vtrum in eligendo magiſtratu doctrinæ & eruditionis ſit habenda ratio?*

PRo theſi affirmante faciunt hæc argumenta: *Pro theſi affir. Argum.*
1, quia in magiſtratu requiritur ſcientia & prudentia benè adminiſtrandi Rempub. Illa 1
autem ſine doctrina vix aut difficulter homini ineſſe poteſt. 2, quia qui doctrina tincti nõ ſunt, 2
illi, vt *Seneca* docet *lib. 3. epiſt epiſt. 10.* non multum diſſimiles ſtatuis & coloſſis eſſe videntur, qui honeſtam præ ſe foris ſpeciem ferunt; intus autem pleni ſunt plumbo, lapide & terra. 3, quia 3
doctrina non ſolum ad vitam recte inſtituendã conducit, ſed etiam ad conſultandum eſt neceſſaria, quatenus conſilia Reipub. vtilia ſuppeditat. 4, quia doctrina eſt veræ laudis & gloriæ 4
fundamentum, fonſq; veræ felicitatis: ſicut cõtra inſcitia, omnium in Repub. miſeriarum ac calamitatum cauſa eſt. 5, quia doctrina perfi- 5
cit naturam eiuſq; ad virtutem propenſiones naturales. Hinc Poeta Græcus ait;

Διπλῶν ὁρῶσιν οἱ μαθόντες γράμματα.

Duplum vident, qui didicerunt literas. Contra

Ὁ γραμμάτων ἄπειρος οὐ βλέπει βλέπων,

Qui literarum expers eſt non videt videns.

6. quia indocti magiſtratus non tantum aliena 6
mente iudicant, atque ex alieno arbitrio pendent; ſed etiam benè iudicare non poſſunt de aliorum conſiliis, neq; iis, vti decet, obedire volunt. 7, quia Deus punire ſolet populum, quãdo 7

magiſtratum ſtolidū ac imperitum ei præficit.

Pro theſi neg. Argum. At contra pro theſi negante afferri ſolent hæc argumenta: 1, quia magiſtratus indoctus imbecillitate ſua agnita legibus ſimpliciter obtemperat, atque ex æquo & bono iudicat: Doctus verò ſæpè legibus ſapientior videri vult: ideoque ſuam in conſultationibus ſententiam prævalere cupit. 2, quia magiſtratus indoctus defectum eruditionis ſupplere poteſt per doctos conſiliarios. 3, quia hiſtorici teſtantur, non tātum indoctos complures Rempub. benè adminiſtraſſe, ſed etiam doctos multos Reipub. malè præfuiſſe, aut literis nimium deditos eandem neglexiſſe, vt probat prolixè *Iunius parte 1. quæſt. Polit. quæſt.* 18.

Quæſtio deciditur per theoremata. Pro deciſione quæſtionis notandum eſt; 1, in eligendo magiſtratu doctum, probum præferendum eſſe indocto tam probo, quam improbo. 2, Indoctum probum præferendum eſſe docto improbo; præſertim ſi indoctus multarū rerum experientia valeat.

17 *An ad magiſtratum ſuſcipiendum & gerendum aliquis ſit cogendus?*

REperiuntur nonnulli, qui magiſtratum legitimè oblatū reſpuunt & recuſant. In hoc igitur caſu non immeritò requiritur, vtrum ad magiſtratum ſuſcipiendum & gerēdum aliquis ſit cogendus.

Pro theſi neg. Argum. Ac pro theſi quidem negante afferri poſſunt hæc argumenta: 1, quia in magiſtratu tria primariò requiruntur, ſcientia, voluntas & facultas. Ei igitur qui voluntatem promptam Rempub. adminiſtrandi non habet, magiſtratus non eſt obtruden-

trudendus. 2, quia ſeruile & illiberale videtur cogi aliquẽ ad magiſtratum ſuſcipiendum & gerendũ. 3, quia nemo benè & diu id facit quod inuitus & coactus facit: cum ſtimulis ad res benè gerendas careat. Vnde Comicus ait: *Inuitos canes venatum ducere, id verò nihil eſt.* 4, quia qui magiſtratũ inuitus gerit, non benè affectus eſt erga Rempublicam, & facilè degenerat in tyrannũ. 5, quia in hiſtoriis multa leguntur exẽpla eorum qui magiſtratum oblatum deprecatione aliiſq; modis à ſe remouerunt, vt videre eſt apud *Iuniũ parte* 1. *quæſt. Polit. quæſt.* 8. 2 3 4 5

Pro theſi affir. Argum.

At pro theſi affirmante valent hęc argumenta; 1, quia publicum Reipub. bonum ſemper præferendum eſt priuato cuiuſq; bono. Ideoq; ad illud procurandum etiam cogendi ſunt homines; qui ſpõte id facere nolunt. 2, quia omnes ciues Reipublicæ ſicut nati ſunt tribus, Deo, patriæ & ſibi ipſis; ita etiam tribus illis obligati ſunt naturæ lege ad ſeruiendum. Ideoq; ſi digni magiſtratu iudicentur communibus omnium ſuffragiis, ad illum ſuſcipiendum ſunt cogendi, ſi ſponte in eum conſentire nolint. 3, quia viris probis & prudentibus inſignia virtutis debentur. Ideoque ſi illa ſine vlla graui & prægnante cauſa recuſent, ad illa accipienda ſunt cogendi; præſertim Reipublicæ neceſſitate id efflagitante. 4, quia bonorum & prudentum ea eſt natura & conditio, vt potius ocio priuato, quam negotiis publicis delectentur. Ideoq; ſi ſponte nolint ad publica negotia animum conuertere, ſunt cogendi. 5, quia ſi bonis & prudentibus viris licitum eſſet magiſtratus oblatos recuſare, 1 2 3 4 5

Digitized by Google

tandem malis & improbis cum magno Reipub.
6 detrimento committendi eſſent. 6, quia ſalus Reipublicæ conſiſtere non poteſt, ſi digni recuſarent eius adminiſtrationem. Ideoq; ne Reſpublica naufragium faciat ad gubernaculum illius ſuſcipiendum illi qui digni ſunt, ſi alia via
7 non ſupereſt, ſunt cogendi. 7, quia non tantum leges ciuiles approbant eiuſmodi coactionem; ſed etiam conſuetudines benè conſtitutarum Rerumpub. quæ eos, qui magiſtratus oblatos recuſant propter difficultatem iſtius muneris, quo nullum in terris magis eſt arduum, punire ſolent, vel capite, vt Athenienſes, vel libertate,
8 vt Romani, vel patria vt Spartani, vel pecunia vt aliæ Reſpub. 8, quia lex Naturæ idem præcipit. Hæc enim ſæpè cogit grauia præter naturalem ipſorum propenſionem ſurſum aſcendere, & leuia deorſum ad vitandum vacuum & conſeruandam corporum naturalium contiguitatem. Eadem ſæpè iubet vnam partem corporis ſectionem vel vſtionem pati, ne totum corpus pereat. Idcirco etiam viri boni qui partes ſunt ciuitatis, cogendi interdum ſunt ad arduũ & periculoſum magiſtratum ſuſcipiendum, ne totius Reipublicæ ſalus in diſcrimen veniat.

Quæſtio deciditur per theor.

Pro deciſione quæſtionis obſeruanda ſunt ſequentia theoremata:
1 1, melius eſſe argumentis ſuaſoriis aliquem impellere ad ſuſcipiendũ
2 & gerendum magiſtratum, quam inuitum cogere. 2, non temerè eſſe concedendum vt quis ex ciuibus magiſtratum oblatum à ſe remoueat, niſi grauiſſimam habeat excuſationem, cuiusmodi eſt ea quæ ab extrema ſenectute aut alia con-

continua corporis imbecillitate ſumitur. 3, bonos & prudentes viros ſi nimis difficiles & refractarios ſeſe præbeant incapeſſendo magiſtratu oblato, eſſe ad id cogendos: propterea quod hoc poſtulet partim neceſſitas Reipub. partim dignitas virtutis; partim vtilitas ciuitatis, quæ tum beata eſt, cum viri boni regnant; partim ſalus ciuium, qui bonorum exemplo meliores facti iuſtorum imperio facilè obſequuntur, partim deniq; conſtitutio legum. 4, malos & imprudentes non eſſe cogendos ad ſuſcipiendum magiſtratum, ſed planè non eſſe admittendos: 5, quemlibet teneri id præſtare patriæ quod poteſt. Ideoq; ad ſalutem illius promouendam & conſeruandam quemlibet extrema neceſſitate id poſtulante cogi poſſe, præſertim quando in eo eſt facultas.

3
4
5

15 *An illi qui vltrò ſeſe ingerunt & ambiunt magiſtratum ſint admittendi?*

SEntentia negatiua vulgò defendi ſolet his ar- *Protheſi neg.*
gumentis: 1, quia eiuſmodi homines plerū- *Argum.*
que ſunt leues, ambitioſi, auari, præfidentes, cō- 1
tentioſi, ocioq; priuato dediti. 2, quia ſunt infē- 2
lices in gubernatione Reipub. quatenus per iocum & ludum publica negotia tractant, eorūq; difficultatem tandem cum dolore & dedecore
experiuntur. 3, quia ſimiles ſunt hiſtrionibus, 3
qui ad theatrum ſeſe componunt; cum interim maxima incommoda, ſeruitutem nimirum & offenſiones plurimas ſentiant. 4, quia propter 4
imperandi cupiditatem multa iniuſtè agunt, vt teſtantur exempla à Iunio ex ſacris & profanis

Digitized by Google

5 hiſtoriis allata. 5, quia quo quis magiſtratum appetit auidius, eo magis à populo contemnitur, ſeq; ipſum commendare neceſſe habet. 6, quia qui ſe vltrò ingerit ſuſpectus eſt, quod non cõmune Reipublicæ commodum, ſed ſuum proprium quærat. 7, quia non tantum leges ciuiles ambitum damnant; ſed etiam *Plato lib. 1. & 7. de Repub. & Ariſtoteles lib. 3. Polit. cap. 7.*

6

7

Quæſtio deciditur. At videtur hæc ſententia ſimpliciter non eſſe approbanda: propterea quod interdum contingat, vt ii qui viri boni ſunt & ad gerendum magiſtratum idonei, vltrò ſuam operã offerant, non ex leuitate aliqua vel præſidentia, neq; ex ambitione aut auaritia; ſed eo fine, vt in noticiã aliorum veniant, aliiſq; animum & voluntatem ſuam promptam patefaciant ac declarent. Atq; in hoc caſu non ſunt reiiciendi, neq; à magiſtratu, quem ambiunt, excludendi: ſi modo idonei & habiles eſſe deprehendãtur ab iis, penes quos eſt eligendi & conſtituendi poteſtas.

19 *An melius ſit ſenſim & gradatim, quam ſubitò ad ſummos in Repub. honores aſcendere?*

Pro theſi affir. Argum. PRo theſi affirmante faciunt hęc argumẽta: 1, quia tutius & diuturnius eſt ſenſim & gradatim, quàm ſubitò ad ſummos in Repub. honores aſcẽdere. Sicut enim id quod ſubitò fit, ſubitò etiam perire ſolet: Ita etiam quod tardius fit, diutius etiam durat. 2, quia in paruis honorib. timor & lapſus eſt exiguus; in magnis verò, magnus; nõ ſecus ac morbi acuti periculoſiores quam lenti eſſe ſolent corpori viuenti. 3, quia Natura ipſa iubet, vt ab imperfectioribus ad

1

2

3

ad perfectiora fiat progreſſus: ſiquidem illa nihil perfectum ſubitò producit. 4, quia leges ci- 4
uiles iubent, vt gradatim honores deferantur, 5
& à minoribus ad maiores perueniatur. 5, quia
apud Romanos olim non licebat abſq; mediis,
honorum gradibus, cuiuſmodi erant tribunatus plebis, prætura, ædilitas, ad conſulatum ſta- 6
tim tendere. 6, quia in hiſtoriis multa exempla
leguntur virorum magnorum, qui gradatim ad
honores aſcenderunt, vt videre eſt apud *Iunium
parte* 1. *quaeſt. Polit. quaeſt.* 10.

Contra pro theſi negante afferri ſolent hæc *Pro theſi neg.*
argumenta: 1, quia iuxta Pindari ſententiam, *Argum.*
ἀρχομένῳ ἔργῳ πρόσωπον χρὴ θέμεν τηλαυγές, hoc eſt, *operis* 1
praeclari initium cõſtituendum eſt praeclarum. 2, quia 2
vulgus magis admiratur eos, quia ſubitò, quam
qui gradatim ad ſummos in Repub. honores aſcendunt. 3, quia minus inuidiæ obnoxii ſunt, 3
qui ſubitò quam qui gradatim inclareſcunt.
Sicut enim ignis ſi ſubitò ardeat, & effulgeat,
fumum non gignit; eundem verò excitat, cum
paulatim & tardè exoritur: Ita etiam gloria ſi
ſubitò oriatur, inuidiam non parit: ſi verò tardè
& gradatim, excitat inuidiam. 4, quia multa 4
habentur exempla in hiſtoriis eorum, qui ſubitò ad ſummos in Repub. honores aſcenderunt.

Etſi verò hæc quæſtio pro vtraq; parte argu- *Quaeſtio de-*
menta habet ſatis probabilia: tamen inſtituta *ciditur.*
illorum inter ſe comparatione, videtur theſis affirmatiua potius eſſe probanda, quam negatiua.

20. An

Digitized by Google

20 *An vni homini plures magiſtratus ſint committendi?*

Pro ſententia neg. Argum.

PRo theſi negante faciunt hæc argumenta: 1
1 quia tanta eſt imbecillitas hominis, vt vix
2 vno magiſtratu benè defungi poſſit. 2, quia tan-
ta eſt gerendi magiſtratus difficultas, vt eius
3 functio totum hominem requirat. 3, quia di-
uerſa officia à diuerſis hominibus rectius & me-
lius quam ab vno ſuſtineri poſſunt: ſicut contra
vnum ab vno rectius perfici poteſt, vt docet *A-*
4 *riſtoteles lib. 2. Polit. cap. 9.* 4, quia qui plures ma-
giſtratus ſimul gerit, ſolet eſſe negligens, in il-
lorum functione, multosq; vicarios introduce-
5 re, qui peſtes ſunt Reipub. 5, quia Naturæ ex-
emplum eſt imitandum, quę non vni omnia; ſed
ſingulis diſtincta dat officia, adeoq; diſtinctis
6 operibus diſtincta aſſignauit inſtrumenta. 6,
quia leges ciuiles prohibent ne vni plura officia
7 committantur. 7, quia feneſtra aperitur πολυ-
πραγμοσύνῃ, viaq; ad honores conſcendendi præ-
cluditur aliis idoneis perſonis, ſi vnus plurium
8 vices & honores occupet. 8, quia æquum eſt ad
vitandam periculoſam magiſtratuum confuſio-
nem, vt diſtincta officia, diſtinctis perſonis cō-
9 mittantur. 9, quia iniquum eſt vni plura onera
imponere. Cui autem honor datur, ei & onus
10 imponitur. 10, quia ſicut duobus gregibus nō
expedit habere vnum paſtorem: ita neq; dua-
11 bus Rebuspublicis habere vnum regem. 11, quia
ſicut ventriculus plures & diuerſos cibos benè
concoquere non poteſt, præſertim ſi per natu-
ram ſit imbecillis: ita etiam vnus homo plura
& diſtincta officia rectè curare & obire non po-
teſt:

eſt: ſed neceſſe habet alterum negligere ſi alteri, vti decet, pro viribus ſeriò ac diligenter attendere velit. Idcirco etiam *Bodinus lib. 4. de Repub. cap. 4.* ait: *Singulis ſingula munera rectè curare difficile eſt: plura, nemo poteſt.*

At contra pro theſi affirmante afferri ſolent hæc argumenta: 1, quia magiſtratus quidam reperiuntur, quorum functio eſt facilis, ita vt totum hominem non requirant. Ideoq; fieri poteſt, vt illorum duo vel plures ab vno optimè adminiſtrentur. 2, quia neceſſitas interdum poſtulat, vt vni plures magiſtratus committantur, partim propter penuriam perſonarum idonearum, partim ne obſtipendia multa ærarium publicum oneretur. 3, quia ſummus magiſtratus inferiores ſub ſe cõplectitur. Ergò ſi ſummꝰ magiſtratus vni cõmitti poteſt ſine detrimẽto Reipub. ſequitur etiam ex inferioribus magiſtratibus plures vni poſſe committi. 4, quia iuſtitia poſtulat vt honores publici pro dignitate meritorum inter ciues diſtribuantur. Ergò cum multi ſæpè plures magiſtratus mereantur, ſequitur non iniquum eſſe, ſi vni plures committantur.

Pro ſententia affir. Arg. 1 2 3 4

Pro deciſione quæſtionis notandum eſt: 1, ex magiſtratibus, quorum functio eſt difficilis ac laborioſa, quęq; multum inter ſe diſſentiunt, non licitum eſſe vni plures committere. 2, propter defectum perſonarum, quę idoneæ ſunt ad gerendum magiſtratum, neceſſe ſæpenumero eſſe, vni plures magiſtratus committere. 3, ſummum magiſtratum inferiores magiſtratus ſub ſe continere non explicitè, ſed implicitè. Ideoq; ſine inferioribus magiſtratibus Rempub. ab illo ſolo benè adminiſtrari non poſſe. 4, honores

Quæſtio deciditur per theor. 1 2 3 4

publicos pro dignitate meritorum inter ciues diſtribuendos eſſe; ita tamen vt in Repub. ordo obſeruetur, omniſq; confuſio vitetur.

22 *An temporales potius in Repub. quam perpetui magiſtratus ſint conſtituendi?*

Argum. Pro theſi affir. PRo theſi affirmante faciunt hæc argumẽta: 1, quia iniuſtum eſt vni ſoli onus ſpoliticum ſemper imponere præteritis aliis. 2, quia imperandi parendiq; viciſſitudo reprimit ingenia faſtuoſa, nec inebriari nimia licentia ſinit ad res nouas moliendas. 3, quia intereſt Reipub. eius ſtatum & conditionem non vni tantum, ſed pluribus ciuibus eſſe cognitam & perſpectam. 4, quia nihil magis inter ciues virtutis ſtudium acuit, pacem ac concordiam conſeruat, ſeditionum & diſcordiarum ciuilium fibras euellit, quam ſi æqualitas in honoribus, tanquam virtutis præmiis diſtribuendis obſeruetur. 5, quia rei familiari damnum infert, ſi vnus ſemper magiſtratum gerat. Dum enim publica negotia ſedulo & fideliter curat, ſua negligere cogitur. 6, quia magiſtratus perpetuatio non tantum inuidiam parit apud alios, dum vnus duntaxat dignus iudicatur hoc officio; reliqui verò omnes indigni; ſed etiam virtutis præmia tollit, eiuſq; ſtudium imminuit, ciuilium bellorum ſemina propagat & ſupplicia magiſtratibus delinquentibus eripit, quatenus nemo audet perpetuos magiſtratus accuſare aut damnare.

Pro theſi neg. Argum. At pro theſi negante hæc argumenta afferri ſolent: 1, quia omnis mutatio in Repub. ſolet eſſe pernicioſa, non ſecus ac in corporibus hu-

manis

manis mutatio diætæ. Ergò etiam magiſtratus
mutatio. Hinc Xenophon: Πᾶσαι μεταβολαὶ πολι-
τειῶν θανατήφοροι. 2, quia viciſſitudo magiſtratus fa-
cit, vt imperiti, peritis, mali, bonis, plebei nobili- 2
bus, in Repub. ſurrogentur. 3, quia noui ma- 3
giſtratus bonorum publicorum ſunt auidiores,
quam veteres & perpetui: non ſecus ac hirudi-
nes famelicæ acrius mordent ſanguinemque ex
corporibus eliciunt, quam ſatiatæ. Hinc vul-
gò dici ſolet: *Non parcit populis regnum breue.* Et
Tiberius Imperator, cum amici quererentur,
illum poteſtates ac imperia perpetua feciſſe, re-
poſuit illud: *Hirudines, quæ multo ſanguine hau-
ſto rumpuntur, quieſcere: recentium morſus eſſe a-
cerrimos: Sic nouos magiſtratus, quicquid ſangui-
nis eſt & medullarum auiditate ſumma haurire.* 4, 4
quia neq; cum autoritate & maieſtate impera-
re poteſt, qui breui ſe priuatum fore metuit: ne-
que populus ei cum obſequio & metu parere
cupit. 5, quia ſicut malè agitur cum familia 5
quæ ſeruorum mutatione delectatur: ita etiam
malè agitur cum Repub. quæ magiſtratuum no-
uitate & varietate paſcitur. 6, quia nihil tam bre- 6
ui ſpaciò, id eſt, annuo rectè geri poteſt. Prius e-
nim imperium deponere neceſſe eſt, quam
quid gerendum ſit intelligatur: aut rebus per-
ceptis & cognitis, cum operi manus admo-
uere cœperis; repente nouus magiſtratus ade-
rit, qui manum de tabula, tum huic alius, at-
que alius identidem ſubſtituetur: noui o-
mnes. Ita Reſpublica magiſtratibus re-
rum gerendarum vſu peritis ſemper caritura
eſt. 7, quia viciſſitudo magiſtratus publicas 7

Digitized by Google

æquè ac priuatas actiones conturbat, iudicia cœ-
pta interrumpit, accuſationes improborum ab-
8 olet, ſupplicia differt. 8, quia à magiſtratibus
nouis noua conſilia, nouæ leges, noui mores,
noua inſtituta, edicta, iudicia, noua deniq; o-
mnium rerum facies ad Rempub. promanare
ſolent: vnde, veterum legum, & morum con-
temptus ſequitur. Vnde vulgo dici ſolet: *No-
uus Rex, noua Lex.* Quod non tam de lege ſcri-
pta, quam de Principum moribus intelligi po-
teſt, qui ſæpè efficacius mouent, animos ſubdi-
torum, quam leges ipſæ, iuxta illud Claudiani.

——— *Non ſic inflectere ſenſus*
Humanos edicta valent, vt vita regentum.

9 9, quia Deus ipſe magiſtratus ac iudices per-
petuos conſtituit: & eoſdem Plato in Repub.
10 ſua requirebat. 10, quia inter pœnas peccatorũ
generis humani recenſetur crebra imperiorum
& magiſtratuum mutatio, per quam alii alios
pellunt, & nulli diu regnant. Proinde præſtat
eſſe magiſtratus perpetuos quam annuos.

Quæſtio deciditur per diſtinct.

Pro deciſione quæſtionis diſtinguendum eſt
inter magiſtratum ſummum, & intermedium;
ſeu inferiorem. De illo enim rectè ſtatui vide-
tur quod debeat eſſe perpetuus: De hoc verò,
non item; niſi certum ſit & præuiſum, mutatio-
nem non in melius, ſed in peius fore. Hinc re-
ctè *Piccolomineus gradu 10. ciuilis Philoſophiæ cap.
19.* ait: Expedit vt magiſtratus primus, qui eſt
fundamentum & firmamentum totius imperii,
à quo vt à corde virtus effunditur in alios, mi-
nus cæteris varietur, firmuſq; vel totus, vel pars
pro facultate ſeruetur. Ex eius enim conſpi-
cua

cua permutatione magna in Repub. permutatio redundat. Mutato enim principio mutantur ea, quæ à principio pendent.

CAPVT III.

De ſucceſſione & inauguratione magiſtratus.

PRÆCEPTA.

1 *Fuit conſtitutio electiua. Sequitur* conſtitutio hæreditaria, *ſeu ſucceſſio, qui eſt actus publicus per quem defuncto magiſtratu imperium ad alium iure vel hæreditatis, vel proximitatis deuoluitur.*

2 *In ea conſideranda veniunt cauſa efficiens & ſubiectum recipiens.*

3 *Cauſa efficiens vel eſt diuina, vel humana.*

4 *Diuina, eſt prouidentia Dei, omnia pro libera ſua voluntate diſponentis ac dirigentis.*

5 *Humana eſt partim libera voluntas, vel ipſius teſtatoris, vel populi: partim lex & conſuetudo diu recepta & approbata.*

6 *Subiectum recipiens vel ſunt hæredes, vel proximi agnati.*

7 *Ac ex hæredibus quidem anteceſſoris primogenitus legitimo matrimonio natus, cæteris omnibus fratribus præfertur; ſic tamen vt teneatur fratribus iſtis attribuere & aſſignare tantum redituum, vnde ſtatum ſuum poſſint cum decoro tueri.*

Digitized by Google

8 *Reſtat mixta conſtitutio ordinaria magiſtratus, per quam fit ſucceſſio quidem in imperio iure hæreditario, ſed maioris fauoris cauſa additur electio & approbatio ſubditorum.*

9 *Porrò conſtitutionem ordinariam magiſtratus ſequitur inauguratio, qua eſt actus publicus & ſolennis, in quo magiſtratus recens creatus ſubditis coram ſiſtitur, eique certis adhibitis ritibus imperium traditur & committitur.*

10 *Eius tum finis, tum effectum eſt expendendum.*

11 *Finis eſt partim conciliare nouo magiſtratui maiorem apud ſubditos auctoritatem; partim ipſum & ſubditos ſui officii admonere, vel expreſſis verbis, vel ritibus certis.*

12 *Effectum eſt publica magiſtratus ad benè imperandum, & ſubditorum ad benè parendum obligatio.*

1 *An omnes filij in principatu ſuccedere debeant: an verò vnus tantum; & quis ex illis?*

Pro ſucceſſione vnius, & quidem primogeniti.

PEtrus Gregorius *lib. 7. de Repub. cap. 5.* ſtatuit vnum filium debere ſuccedere, eumque primogenitum, niſi mos cõtrarius receptus aut lex alia regni obſtet.

Ratio.

Rationes ipſius ſunt: 1, quia experientia comprobauit nec tutam nec longam fuiſſe ſocietatem in regno. 2, quia duo domini eiuſdem rei

rei inſolidum eſſe non poſſunt. 3, quia communitas imperii mater eſt diſcordiarum. 4, quia quod communiter poſſidetur, contemnitur. 5, quia ex conſuetudine ferè iuris gentium principatus ad vnum deuolui ſolet. 6, quia magis Reipub. paci & tranquillitati ſubditorum expedit, ſi vnus ſuccedat, quam ſi plures. 7, quia conſuetudo iam regulariter obſeruat, vt principatus non diuidatur, ſed primogenito, vel proximiori deferantur. Sic enim conſeruatur dignitas & ſplendor familiarum; cum contra diuiſio tituli vilem reddat dignitatem. 8, quia apud veteres ſummus ſemper honor erat primogenituræ. Et propterea Deus in veteri teſtamento primogenitum, reliquis filiis prætulit, etiam in ipſa hæreditate, vt videre eſt *Deuter. 21. v. 15.* & ſequentibus. 9, quia iure gentium minor frater ſemper cedere debet maiori. 10, quia multa mala oriuntur ex mutatione ſucceſſionis primogeniti, quando nimirum minor natu vult maiori regnum præripere.

3 4 5 6 7 8 9 10

Contra ſucceſſionem primogeniti. Obiectio.

Sed contra primogeniti ſucceſſionem ab aliis obiici ſolet exemplum Ptolomæi regis Ægypti, qui Lagi fuit filius; & Dauidis, quorum vterque minimo natu ex filiis ante mortem regnum tradidit. 2, ratio ſumpta ab inhabilitate primogeniti. Fieri enim poteſt, vt is ſit vel mutus, vel ſurdus, vel cæcus, vel mente captus, vel alio modo ad imperandum ineptus. Et in hoc caſu videtur ille in principatu ſuccedere non debere.

1 2

Reſpondetur ad obiectiones.

Reſponderi autem ſolet: 1, eiuſmodi exempla peculiaria nihil detrahere cõmuni iuri. 2, inhabilitatẽ primogeniti ſiue naturalem, ſiue ad-

1 2

uentitiam ius, ſucceſſionis ei non adimere; non minus ac patrimonium paternum. Licet enim ipſe commode Rempub. adminiſtrare non poſſit: tamen poteſt per ſuos vicarios, ſeu curatores.

2 An ſpurii in principatu ſuccedere debeant?

Contra ſpurios. Ratio.

SEntentiam negantem defendit *Petrus Gregorius lib. 7. de Repub. cap. 8.* Rationes ipſius ſunt:
1 1, quia periculoſa eſt ſucceſſio ſpuriorum; cum illi plerunq; ſint audaces & ad vitia paterna aut etiam materna procliues: nec rarò ad aſſerendum ſibi principatum legitimos filios è medio tollere audeant, vt hiſtoria ſacra & profana te-
2 ſtatur. 2, quia contra leges Dei & gentium, quibus matrimonium ſancitur, eſt, ſpurios in
3 ſucceſſione legitimis præferri. 3, quia non cõuenit maieſtati regni, aut dignitati principatus, nec populorum exemplo ad benè viuendum idoneo; cum ſæpè ſpurii matrem adeò ignobilem & vilem habeant, vt eam vel nominare pu-
4 deat. 4, quia occaſionem præbet fœminis ad ſcortationem cum Principibus frequenter exercendam, quatenus ſperant filios ſuos inde natos ad principatum promoueri poſſe: & ſic in
5 Rempub. introducit confuſionem, Dei contẽptum & iram, & tandem interitum. 5, quia non poſſet haberi maieſtatis diſcretio in imperio, vbi imperaret turpitudinis perpetuum exemplum, & in ſpurio regnante impudicitiæ regis
6 perpetua & continuata memoria. 6, quia ſpuriorum admiſſio repugnat ſucceſſioni regnorum, quæ deferuntur iis, qui ex ſtirpe regia ſunt proximiores. Nemo autem dixerit ſpurios eſſe

ex ſtirpe regia. 7, quia nulla coniectura eſt, ex qua poſſimus colligere mentem fuiſſe inſtituẽtium principatum, vt ſpurii, qui opprobrio eſſe ſolent omnibus aliis, imperarent iure agnationis, quæ nulla eſt ſpuriis cum cognatis patris. 8, quia in hiſtoriis exempla leguntur eorum, qui in ſucceſſione regnorum & principatuum reiecti ſunt, quod ſpurii fuerint.

Pro ſpuriis obiectio.

Sed in contrariam partem obiici poteſt: 1, in hiſtoriis inueniri multa exempla eorum, qui ſpurii fuerunt, & tamẽ ad ſucceſſionem in principatu admiſſi fuerunt. 1 2, principem ea poteſtate pollere, vt aſſertione ſua paterna poſſit ex ſpurio facere legitimum. 2

Reſponſio ad obiect.

Reſponderi autem poteſt. 1; exempla pauca nihil præiudicare veritati & æquitati; cum contra in hiſtoriis, vt antea dictum fuit, non pauca exempla legantur eorum, qui à ſucceſſione in regnum & principatum reiecti ſunt, quod ſpurii fuerint. 1 2, aſſertionem paternam non poſſe facere id, quod non eſt, neque principem poſſe mutare ea, quæ ſunt iuris gentium, aut iuris diuini, nempe vt illegitima coniunctio ſit legitima; & ſpurii ſint legitimi. 2

3 *An ſi Principi natus ſit filius primogenitus ante principatus adeptionem, & alius poſt; poſterior præferri debeat priori in ſucceſſione?*

SEntentiam negantem defendit *Petrus Gregorius lib. 7. de repub. cap. 9.* quatenus quæſtio intelligitur de principatu, qui in vim & naturam proprii patrimonii transfertur in acquirentem, & efficitur ex bonis eius.

Digitized by Google

Prothesineg. Ratio. Rationes ſunt; 1, quia iniquum eſt & cont
ius naturale, diuinum & humanum, vt filius po
1 adeptionem principatus natus, á ſucceſſione e
2. cludat primogenitum. 2, quia principatus
dignitas accidentalis, cuius reſpectu ius genti
diuinum, & naturæ non admittit differentia
inter liberos. Ideoq; non licet principi ea viol
re: cum non minus illis ſit obnoxius ac priuati
3 3, quia in aliorum bonorum hęreditatibus nu
quam controuerſia moueri ſolet, vtrum bo
ante liberorum ſuſceptionem, an poſt, acquiſi
fuerint: ſiquidem liberi ſuccedunt eo ſolo tit
lo, quia liberi ſunt. Ergò etiam in principat
non habenda eſt ratio temporis acquiſitioni
ſed filius primogenitus eo reſpectu, quo eſt t
4 lis, ſuccedere debet. 4, quia filii nati ante d
gnitatem paternam non minus eius dignitat
titulis gaudent. Hinc Vlpianus cum Senator
filium definiiſſet natum ex Senatore, ſubiic
hæc verba: *Neque intereſt iam in Senatorem con*
ſtitutus eum ſuſceperit, an ante dignitatem Senato
5 *riam* 5, quia principatus Patri acquiritur vel ra
tione virtutis & proprii meriti, vel ratione pro
ximitatis defuncti. Vtroque autem modo pa
ius eſt ratione acquiſitionis filiis prioribus, ſal
tem cum ſequentibus, quanquam etiam potiu
verè ſit illis: ſiquidem & ante & poſt dignita
tem editi ſunt eiuſdem patris filii, nec alius pa-
ter ſubſtantia, aut virtute ante dignitatem
quam poſtea: neque minus filius, qui an-
te, quam qui poſt geni-
tus eſt.

4 *An*

4 *An ſi princeps defunctus relinquat ex filio primogenito præmortuo nepotem, & alium filium ſuperſtitem, præferendus ſit, in ſucceſſione nepos patruo?*

HAnc quæſtionem tractat *Petrus Gregorius lib. 7. de Repub. c. 10.* Sed in initio proteſtatur ſe nō agere de principatu electiuo, ſed ſucceſſiuo, neq; de principatu diuiſibili, ſed indiuiſibili: neq; de eo, qui iam certam legem habet ſuccedendi, vel conſuetudinem antiquam obſeruatam. Deinde, duas recenſet de hac quæſtione ſententias; vnam, quæ nepotem ex primogenito præfert patruo: alteram, quæ patruum præfert nepoti.

Pro prærogatiua Nepotis ex primogenito.

Argumenta pro priore ſententia hęc profert: 1, quia pater & filius tantam habent inter ſe naturæ, affinitatem & ſubſtantiæ vnius participationem vt pro eadem ferè perſona habeantur. *Argum.*
Ius igitur quod pater habet, filio non poteſt adimi. 1
2, quia nepos in bonis aui eandem portionē habet, quā habiturus eſſet pater eius ſi viueret. 2
3, quia filius primogeniti, teſte Panormitano, poteſt dici primogenitus ſecundum quid verè: cum in eo ſit ſubſtantia & caro & pars primogeniti. 3
4. quia quod alienabile eſt, id etiam eſt trāſmiſſibile in filios. Iam autem iure diuino ius primogenituræ ad ſingularem perſonam, & ad ſingularem ſucceſſorem transmitti poteſt, vt reſtatur exemplum Eſaui & Iacobi. Ergò multò magis in hæredē, & maximè in filium trāsmitti poteſt: cū perſona patris dicatur per filium repræſentari. 4
5, quia multa exēpla in hiſtoriis reperiūtur, vbi nepos primogeniti patruo ſuo fuit præpoſitus. 5

Pro prærogatiua patrui. Argum.

1 Argumenta pro poſteriore ſententia hæc adduco: 1, quia filius ſuperſtes proximior eſt defuncto quam nepos ex filio primogenito ante patrem mortuo: cum ille ſit in primo gradu, hic verò in vlteriore. Cum igitur is, qui gradu eſt proximior, defuncto ſuccedere debeat: ſequitur filium ſuperſtitem preferendum eſſe nepoti, ex filio primogeniti defuncti.
2 2, quia qui natus eſt ex patre facto incapace, etiam incapax dici poteſt ſucceſſionis quæ debebatur patri vt primogenito. Iam autem pater, cum moritur factus cenſetur incapax; quia quo tempore ſuccedendum eſt auo, filius non eſt, & non entis nullæ ſunt qualitates. Proinde videtur à ſucceſſione excludendus filius ex perſona patris, quæ nõ
3 exſtat. 3, quia ius primogenituræ eſt perſonale, quod cum perſona extinguitur: Ideoq; ad hæ-
4 redem transmitti non poteſt. 4, quia ius ſuccedendi non competit filio primogenito, quam diu pater viuit: cum hæreditas non dicatur viuentis, ſed mortui. Ideoq; neq; nepos poteſt accipere principatum ex perſona patris, qui mortuus eſt, antequam pater eius, nempe, auus nepotis moreretur: neq; potuit primogenitus moriens ante patrem, quod non habebat, nempe ſucceſſionem patris in filium transferre, iuxta regulam vulgatam Iureconſultorum: *Nemo plus iuris in alium transferre poteſt, quam ipſe habet.*
5 5, quia ius tutelæ & ſucceſſionis eodem modo metiendum eſt. Ac quando concurrunt ad tutelam patruus & nepos, præfertur patruus apud
6 Vlpianum. Ergo etiam in ſucceſſione. 6, quia filius deterioris conditionis eſſe non debet quã nepos.

Digitized by Google

nepos. 7, quia nepos non poteſt dici primoge- 7
nitus aui, de cuius bonis agitur, ſiquidem nepos
poſt patrem natus auo. Ideoq; cum non con-
ueniant ei verba legis, quæ de primogenito lo-
quitur, neq; conuenit diſpoſitio legis. 8, quia fi- 8
lius poſt mortem patris non repræſentat patrē
in iure, quod dum mortuus eſt pater, non ei
competebat.

Cæterum ex his duabus contrariis ſententiis *Prior ſententia à P. Greg. approbatur. Et ſimul ad argum. pro cont. ſent. reſpondetur.*
priorem approbat *Petrus Gregorius* reiecta po-
ſteriore: Ideoq; ad rationes allatas ſic ordine
reſpondet: 1, nepotem iure repræſentationis
tenere in ſucceſſione locum patris, cum & na-
tura pater & filius eadem penè perſona eſſe in-
telligatur. 2, in iis, quæ à natura vel genere de- 1
feruntur deſcendentibus, ſublato etiam de me- 2
dio patre, vel eo incapace, non cenſeri filios id-
eo incapaces, niſi quatenus conſtitutiones & i-
pſos filios delinquentium expreſsè ſubmouent.
3, ius, quod alicui competit ex beneficio iuris 3
communis, aut legis ſpecialis, quale eſt ius pri-
mogenituræ, transferri ad hæredes poſſe. 4, pri- 4
mogenito filio ius primogenituræ quæſitum nō
tantum ante mortem patris, ſed etiam ſtatim ac
natus eſt. Ideoq; ab eo in filium transferri poſ-
ſe. 5, Inter ius tutelæ & ſucceſſionis non eſſe ab- 5
ſolutam paritatem. 6, filium non debere eſſe 6
deterioris conditionis nepote, quando iura pa-
ria ſunt & concurrunt. At iure progenituræ fi-
lius non eſt nepoti par: ſiquidem illud non cō-
municatur aliis filiis, ſed à primogenito tranſit
tantum in eius filium. 7, nepotem iure repræ- 7
ſentationis ſuccedere in locum primogeniti.

Digitized by Google

8 8, primogenito ius primogenituræ competere ſtatim vbi natus eſt: Ideoq; ad hæredem tranſmitti poſſe.

5 An inauguratio magiſtratus recens creati ſit neceſſaria & vtilis?

Pro theſi affir. Ratio. STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt:
1 1, quia inauguratio magiſtratus iure gentium
2 eſt recepta. 2, quia iure diuino eſt inſtituta & approbata vt videre eſt *Num. 27. 2. Regum 5. 3. Reg. 1. 4. Reg. 9.* In illis enim locis narratur, quomodo
3 Ioſua, Saul, Salomon, Iehu inaugurati fuerint. 3, quia eo fine inſtituitur inauguratio, vt partim magiſtratui recens creato auctoritas concilietur: partim vt ipſe vna cum ſubditis ſui officii ad-
4 moneatur. 4, quia in actu inaugurationis magiſtratus & ſubditi publicè ſeſe mutuò obligant: ille quidem ad benè imperandum: hi ad benè
5 parendum ſeu obediendum. 5, quia forma inaugurationis in eo principaliter conſiſtit, quod primum magiſtratus recens creatus in publico ſiſtitur & proclamatur: Deinde, quod inſignia imperii ei traduntur, atque ſic in poſſeſſionem illius actu immittitur: Deniq;, quod fauſta & publica fit acclamatio & congratulatio.

CAPVT IV.

De extraordinaria conſtitutione magiſtratus.

1 ***Tantum de ordinaria conſtitutione magiſtratus, per electionem & ſucceſſionem. Sequitur***

tur extraordinaria, qua magiſtratus ſine electione & ſucceſſione ordinaria conſtituitur.
2 Eaq; vel eſt legitima, vel illegitima.
3 Legitima eſt, quæ fit modis licitis.
4 Eſtq; vel bellica, vel pactitia.
5 Bellica eſt, quæ fit iure belli.
6 Eius modi ſunt tres principales.
7 Primus eſt, cum barbari homines, qui ſine imperio licentioſè viuunt, imperio alterius armorum vi ſubiiciuntur eo fine, vt à vitæ morumq; immanitate & prauitate ad humanitatem, probitatem & pietatem reducantur.
8 Alter modus eſt, cum tempore belli nouus magiſtratus in aliqua ciuitate à victore extra ordinem iuſta de cauſa conſtituitur, priore imperio abdicato.
9 Tertius modus eſt, cum vnus princeps alterum iuſto bello imperio excutit, idque ſibi vendicat.
10 Pactitia eſt, quæ fit iure contractus.
11 Eiusmodi ſunt tres principales.
12 Primus eſt, cum quis principatum iure dotis ſibi acquirit.
13 Alter eſt, cum quis principatum accipit iure confœderationis.
14 Tertius eſt, cum quis principatum conſequitur iure emptionis legitimæ.

15 *Illegitima eſt, quæ fit modis illicitis, cuiuſmodi ſunt cum quis magiſtratum iniuſtè acquirit vel bello, vel contractu, vel pretio, vel dolo & cæde, & id genus aliis modis.*

1 *An licitum ſit quouis modo affectare imperium?*

Protheſis neg. Ratio.

STatuitur theſis negatiua. Rationes ſunt: 1, quia ambitio eſt vitium morale non modò valde turpe; ſed etiam Reipub. inprimis pernitioſum: quemadmodum teſtatur Bernhardus in ſermone quadrageſimæ, cum inquit: *Ambitio eſt ſubtile malum, ſecretum virus, peſtis occulta, doli artifex, mater hypocriſis, liuoris parens: vitiorum enim origo, tinea ſanctitatis, excæcatrix cordium, ex remediis morbos creans, ex medicina languorem generans.* Illa autem ambitio ſub ſe complectitur immoderatam cupiditatem imperandi ſeu regnandi.

2 2, quia ambitio regnandi eſt fons variorum malorum. Illa enim homines inſtigat ad iniuriam aliis inferendam: Illa excitat bella inteſtina & externa, Rempub. vaſtat & perdit: Illa omnia iura naturæ gentium, diuina & humana violat, deniq; ſacra & profana confundit: Illa ambitioſos vitæ periculis exponit & inuoluit. Hinc ortum eſt illud effatum nefandum, quod beſtias magis, quam homines decet: *Si violandum eſt ius, imperij gratia violandum eſt: aliis rebus pietatẽ colas.* Quod Iulius Cæſar ex Euripide olim teſte Suetonio, vſurpaſſe dicitur, cuius verba in Phæniſſis hæc ſunt:

Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι
Κάλλιστον ἀδικεῖν, τ' ἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών.

Siquidem enim iniuſte agere oportet imperii gratia opti-

Digitized by Google

optimum eſt iniuſtè agere; in alijs vero rebus pietatē colere oportet. Cui dicto non eſt abſimile illud, quod poſt mortem Alexandri Magni inter eius ſucceſſores frequentatum fuit: *Fratrum cædes ad ſecuritatem regni eſſe.* Item Lyſandri illud: *Pueros taxillis, homines iuramentis fallendos*: & *vbi leonina pellis non ſufficit, ibi aſſumendam eſſe vulpinam.* 3, quia omnis modus inhoneſtus & iniuſtus affectandi imperium eſt prohibitus: ſolus autem honeſtus, & iuſtus eſt conceſſus. Proinde non licitum eſt quouis modo affectare imperium. 3

2 *An liceat imperium ſibi bello acquirere?*

SVnt nonnulli, qui ſimpliciter iniuſtum eſſe arbitrantur imperium ſibi bello acquirere, quod iuri naturali, diuino & humano repugnet inuadere per vim alterius imperium, aut populum liberum violento imperio ſubiicere. Sed hæc opinio videtur ſimpliciter, propter ſequētes rationes non eſſe admittenda; 1, quia licitū eſt barbararum nationum populos, qui diſſolutam & ab omni humanitate alienam vitam agunt debellare, eoſq; iuſto imperio ſubiicere, & ſic ad honeſtæ ciuiliſq; vitæ ſtudium vi compellere: præſertim ſi hactenus aut plane ſine vllo, aut ſaltem iuſto imperio vixerint. Hoc enim nihil aliud eſt, quam licentiam iniquitatis eiuſmodi hominibus eripere, eoſq; cogere, vt iura naturalia, diuina & humana, quæ hactenus impunè violarunt, deinceps ſeruent. 2, quia licitum eſt tyrannos, qui contra iura naturalia, diuina & humana non tantum ſubditos ſuos crudeliter & nefariè tractant ac opprimunt: ſed etiam aliorū principatus per vim occupant, armis

Pro theſi aſſir. Ratio. 1

2

Digitized by Google

inuadere,eoſq; imperio exuere. Illi enim cum in Deum & naturam peccent,imperio indignos ſeſe reddiderunt. 3,quia Deus ipſe in veteri teſtamento iuſſit,vt Iſraelitæ contra impios & idololatricos Cananæos bellum ſuſcipere,iiſque victis, profligatis & exſtirpatis terram illorum occupare.

Quæſtio deciditur per diſtinct.

Proinde vt quæſtio breuiter adhibita belli diſtinctione decidatur,ſtatuendum eſt, licitum eſſe ſibi imperium acquirere bello,ſed iuſto, nõ iniuſto.Quod autem bellum ſit iuſtum, vel iniuſtum,id infra in doctrina de bello declarabitur.

3 *An liceat magiſtratum vendere aut emere?*

Pro theſi neg. Argum.

PRo theſi negante faciunt hæc argumenta: 1,
1 quia magiſtratus eſt publica dignitas, quæ non pecunia ſed virtute eſt acquirenda. 2,quia
2 ſignum eſt malè conſtitutæ & adminiſtratæ Reipub. cum magiſtratus ſunt venales, vt docet
3 *Plato libro 8.de Repub.* 3,quia venditio & emptio magiſtratus efficit vt diuitiæ & opes in maiore pretio habeantur,quam virtus;&ita tota ciuitas
4 immoderato pecuniæ ſtudio ſit dedita. 4,quia magiſtratum in quæſtum ſordidum & illicitum
5 conuertit. 5, quia magiſtratum aliorum contemptui & ludiorio exponit ob vilitatem pretii,
6 quo venalis proſtat.6,quia honeſtam pauperta-
7 tem,ab omni dignitate publica excludit.7,quia
8 tribunal iuſtitiæ pecunia corrumpit. 8,quia magiſtratuum nundinationes iure ciuili ſunt pro-
9 hibitæ.9,quia Ariſtoteles vt aliis de cauſis Rempub.Carthaginenſium commendat,ita propter venales magiſtratus reprehendit *lib.2. Polit. c.9.*

expo-

Digitized by Google

expoſitis incommodis quæ inde oriri ſolent. 10, 10
quia venalitas magiſtratuum efficit vt indigni per largitiones ad dignitates prorumpant: digni verò ob paupertatem ab iis excludantur; cũ non habeant vnde poſſint mercari munus aliquod publicum. 11, quia eadem efficit, vt aut 11
nemo aut pauci virtuti ſtudeant, cum ſciant nõ virtute, ſed pretio promotionem ad dignitates fieri: atq; ita vileſcunt ſtudia, viloſcunt leges, quæ ab ignaris & mercatoribus officiorum pro modo ignorantiæ polluuntur. 12, quia Octa- 12
uianus Cęſar iuxta antiquas de ambitione leges, olim edictum propoſuit, vt qui largitionibus factis magiſtratum aliquem ambiiſſet, per quinquennium ab his arceretur. Hinc etiam Martianus Illyricus genere cum eſſet in bello ſtrenuus Imperator ab omni exercitu creatus, initium reformationis Reipub. ex ea parte incepit, & confeſtim decreuit, nemini per pecuniam cõferendum eſſe magiſtratum. Idipſum fecit Anaſtaſius quoq; Imperator, vt ſcribit Theodorus Lector. Is enim magiſtratus antea venales gratis contulit. Idcirco etiam Cicero ait, non modo turpe eſſe, ſed etiam ſceleratum & inſanum habere quæſtui Rempub. Et *Caſus lib. 2. Sphæra ciuitatis, cap. 9. quæſt. vltima.* Ciuitatem, inquit, ad haſtam figere, eſt immane ſcelus.

Contra pro theſi affirmante afferri poſſunt hæc argumenta: 1, quia nundinationes magiſtratuum ciuitatem reddunt potentem & opulentam: præſertim ſi pretia emen- *Pro theſi aſſir. Argum.* 1

2 tium in theſaurum publicum referantur. 2, quia apud Carthaginenſes laudabile fuit emere magiſtratus. 3 3, quia multi magiſtratus ſic dantur, vt vim iuris hæreditarii habeant. Proinde licet eos 4 emere. 4, quia in hiſtoriis exempla leguntur magnorum & clarorum virorum, qui magiſtratus vendiderunt & emerunt.

Quæſtio deciditur per diſtinct. Pro deciſione quæſtionis diſtinguendum inter venditionem & emptionem magiſtratus legitimam & illegitimam. Illa eſt cum quis proprium & hæreditarium bonum, in quod imperium ciuile habet, alteri certo pretio vendit. Hæc eſt cum quis alienum & publicum bonum ciuitatis certo pretio alteri vendit. Ex quibus prior eſt licita; poſterior autem illicita; & de hac intelligenda eſt quæſtio propoſita.

Argum. pro theſi affirmante refutantur. Proinde theſis eius affirmatiua eſt falſa & abſurda. Nec valent argumenta allata: 1, quia non omne quod potentem & opulentam ciuitatem reddit eſt licitum, niſi iure fiat. 2, quia vnum atq; alterum exemplum particulare non habet vim probandi theſin vniuerſalem: cum multa fiant à multis quæ non ſunt licita. 3, quia non omnia quæ vim iuris hæreditarii habent licet vendere; præſertim ſi non eo fine ſit datum, vt vendatur, ſed vt virtutes eius, cui datum eſt, in poſteris magis eluceant.

1

2

3

4 *An magiſtratus vitioſè & illegitimè creatus pro magiſtratu ſit habendus?*

Pro theſi neg. Argum. PRo theſi negante faciunt hæc argumenta: 1, quia nemo pro magiſtratu eſt habendus, ni-
1 ſi qui legitimo modo ad hoc officium eſt vocatu

tus & conſtitutus. Eſt enim magiſtratus perſona, cui vel tota Reſpub. vel pars eius aliqua domi foriſq; quoad res humanas, gerenda & adminiſtranda cum dignitate & poteſtate publica & legitimè data vel demandata eſt, vt definit Danæus lib 6. Polit. Chriſtianæ, cap. 1. Cum qua definitione conſentit ea, quam Thomas Aquinas tradit, cum inquit: *Magiſtratus eſt is, qui legitimè inſtitutus eſt in rebus humanis ad vtilitatem populi.* 2, Si magiſtratus vitioſè & illegitimè creatus, pro magiſtratu eſt habendus: ſequitur magiſtratum non opus habere legitima conſtitutione. Sed conſequens eſt abſurdum. Ergo & antecedens. 2

At contra pro theſi affirmante adduci poteſt; 1, teſtimonium Varronis, qui libro 5. de lingua Latina generaliter reſpondet magiſtratum vitio creatum nihilo ſecius eſſe magiſtratum. 2, teſtimonium Pomponii Iurisconſulti, qui idem reſpondet, vt apparet in lege Barbarius Philippus. Digeſt. de officio Prætoris. 3, exemplum M. Perpennæ, qui cum Romæ vitioſè creatus eſſet conſul, vtpote prius conſul, quam ciuis Romanus: tamen quæ in eo magiſtratu geſſit, rata, firmaq; habita ſunt à Senatu Romano, quamuis ipſe lege Papia fuerit damnatus, vt Valerius Maximus lib. 3. cap. 3. tradit. 4, ratio, quia quamdiu vel populus, vel is qui magiſtratum creare potuit vel ſciens, vel ignorans vitium in creando adhibitum, in eum conſentit, pro magiſtratu habendus eſt; ac propterea illi à ciuibus & ſubditis eſt parendum, nec eius decreta ſine ma-

Pro theſi affir. Argum. 1 2 3 4

Digitized by Google

gna confuſione Reipub. ſubditorumque detri-
mento reuocari, irritaq; fieri poſſunt.

CAPVT V.

De abdicatione magiſtratus.

PRÆCEPTA.

1 *Adhuc de conſtitutione magiſtratus: cui cõ-traria eſt eiuſdem abdicatio, quæ eſt depoſiti-legitima magiſtratus de ſuo officio.*

2 *Eaq́; vel eſt temporalis, vel perpetua.*

3 *Temporalis abdicatio eſt, quæ fit ad certum tempus.*

4 *Eius cauſa eſt vel permutatio ordinari- magiſtratus in Repub. recepta & vſitata, qu- ſtatis temporibus nouus magiſtratus in alteri- us locum ſurrogatur, vel culpa aliqua leuior.*

5 *Perpetua abdicatio eſt, quæ vſque in finem vitæ durat.*

6 *Eius cauſa eſt vel ineptitudo hominis, ſiue naturalis ſiue aduentitia ad gerendum magi-ſtratum: vel culpa aliqua grauior, cuiusmodi eſt aut intolerabilis tyrannis, aut depulſio ſub-ditorum à vera religione, eorumq́; ad idolola-triam violenta compulſio, aut libido fœda & horrenda, aut deniq́; alia ſcelera nefanda Rem-pub. ſubuertere ſolita.*

7 *Sed hæc abdicatio non debet fieri niſi omnib. aliis mediis tentatis, quibus in ordinem cogi magiſtratus poteſt, nec niſi ex præſcripto legum Reipub.*

1 An

1 *An magiſtratus temerè ſit abdicandus?*

STatuitur theſis negatiua. Rationes ſunt: quia omnis mutatio in Repub. eſt periculoſa; præſertim verò magiſtratus: cum facilè fieri poſſit, vt bonum malo & melius deteriori permutetur. 2, quia prudens deliberatio præcedere debet abdicationem magiſtratus: neq; prius hæc tentanda eſt, quam iuſtæ & graues cauſæ illud ſuadeant, cuiuſmodi eſt inprimis vel ordo Reipub. eiuſdemq; ſalus & conſeruatio & declinatio malorum, quibus Reſpub. labefactari ſeu euerti poteſt. 3, quia temeraria abdicatio magiſtratus eſt fons multorum malorum, quatenus efficit, vt in adminiſtratione Reipub, imperiti peritis, imprudentes prudentibus, improbi probis, deniq; indigni dignis præferantur.

Pro theſi neg. *Ratio.* 1 2 3

2 *An liceat ante tempus ſuſceptum magiſtratum pro arbitrio deſerere?*

STatuitur theſis negatiua. Rationes ſunt: 1, quia interregnum ſeu vacuitas magiſtratus Reipub. eſt pernitioſa. Ideoque non permittenda, ne Reſpub. ſit veluti corpus capite & anima deſtitutum. 2, quia nulla ordinis perturbatio in Repub. probè inſtituta admitti debet: quippe qua nihil in quieto ciuitatis ſtatu funeſtius. Illa autem ſequitur ex ſpontanea magiſtratus ante tempus legitimum abdicatione. 3, quia illud fugiendum eſt in Repub. quod ſceleris ſuſpicionem arguit, magiſtratumq; in odium trahit. Id autem facit ſpontanea magiſtratus ante tempus abdicatio. 4, quia nihil in Repub. fieri debet, quod ad tumultũ ac ſeditionẽ tẽdit.

Pro theſi neg. *Ratio.* 1 2 3 4

Digitized by Google

Sed iſtiusmodi magiſtratus mutatio ad tumultum & ſeditionem tendit. Deficiente enim magiſtratu ciues non aliter, ac oues lupis voracibus relinquuntur. 5, quia miſera & infelix eſt non tantum illa Reſpub. in qua magiſtratus ſine lege regnat: ſed etiam illa in qua lex ſine magiſtratu regnat. Vt enim ſublata lege magiſtratus eſt Lesbia quaſi regula: ita ſublato magiſtratu lex muta eſt & incerta.

Quæſtio deciditur. Interim tamen non negamus licitum eſſe, ſuſceptum magiſtratum ante tempus deponere, ſi id fiat cum conſenſu totius populi, grauesque cauſæ id ſuadeant, cuiuſmodi ſunt ætas decrepita, publica infamia, ingenii, conſilii; defectio & id genus aliæ.

3 *An ad officii rationem reddendam magiſtratus ſit impellendus?*

Pro theſi affir. Ratio Statuitur theſis affirmatiua, præſertim ſi de inferiore magiſtratu intelligatur. Rationes ſunt: 1, quia neceſſitas & ſolicitudo reddendæ rationis excitat magiſtratum ad maiorem fidelitatem & diligentiam in ſuo officio adhibendam. 2, quia eundem non tantum retrahit à praua ſui officii functione: ſed etiam ab aliis peccatis aduerſus Rempublicam committendis deterret. 3, quia notum facit, qui magiſtratus hactenus benè vel malè officio ſuo & Reipub. præfuerit. 4, quia laudem & præmium parit bonis magiſtratibus: vituperium vero & pœnam, malis. 5, quia ambitionis feruorem in appetendo magiſtratu mitigat ſeu reſtinguit, quatenus ciues intelligunt ſibi ali-

aliquando officii ſui ſuſcepti & geſti rationem reddendam eſſe. 6, quia ſic melior & beatior ſit Reipub. adminiſtratio. 7, quia leges & conſuetudo maiorum iubet vt hoc fiat.

Sed obiici poteſt contra hanc ſententiam; *Obiectio.* 1, impelli ad reddendam officii rationem eſſe nimis ſeruile, auctoritatiſque contemptum parere. Ideoque, cum magiſtratus non ſit ſeruus: non rectè illum ad hoc cogi poſſe. 2, magiſtratum eſſe legis moderatorem & executorem. Ideoq; legi ſubiici non debere.

Reſpondeo; 1, aliud eſſe lege, vt magiſtratum: aliud vi, vt ſeruum, ad officii rationem reddendam cogi. *Reſponſio ad obiect.* Magiſtratum enim eſſe publicam perſonam ciuitatis, quæ ex lege publicorum bonorum rationem reddere debet ciuitati. 2, magiſtratum eſſe quidem legis moderatorem & executorem: ſed ita vt ipſi ſine lege viuere non liceat; ac proinde rationem ſui officii reddere debere.

Finis libri II.

Digitized by Google

POLITICÆ

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

De recta officii magiſtratus functione in genere; eiuſque cauſa efficiente partim principali, partim inſtrumentali inanimata.

PRÆCEPTA.

1 *Conſtitutionem magiſtratus ſequitur recta officii magiſtratus functio, quæ eſt iuſta & debita imperii ſuſcepti geſtio & vſurpatio.*

2 *In illa conſideranda veniunt, tum cauſa efficiens, tum partes.*

3 *Cauſa efficiens, à qua pēdet recta officii functio, alia eſt principalis, alia inſtrumentalis.*

4 *Principalis eſt ipſe magiſtratus, cui officium illud eſt commiſſum.*

5 *Inſtrumentalis eſt, quæ magiſtratui inſeruit.*

6 *Eſtq; vel inanimata, vel animata.*

7 *Inanimata vel eſt primaria, vel ſecundaria.*

8 *Primaria inanimata, alia eſt interna, alia externa.*

9 *Interna, partim ſunt virtutes, partim vires corporis.* 10 *Vir-*

10 *Virtutes ſunt bona animi, quibus magiſtratus diſponitur ad benè agendum.*

11 *Suntque aliæ intellectuales, aliæ morales.*

12 *Intellectuales virtutes ſunt, quæ intellectum magiſtratus perficiunt.*

13 *Suntque ſapientia, prudentia & eloquentia: quarum prima magiſtratum aptum reddit ad benè intelligendum: altera ad benè conſultandum: tertia ad benè animi ſenſa eloquendum.*

14 *Morales virtutes ſunt quæ voluntatem & vitam magiſtratus perficiunt.*

15 *Suntq. aliæ generales aliæ ſpeciales.*

16 *Generales ſunt pietas & probitas: quarum illa reddit magiſtratum pium & religioſum erga Deum: hæc probum erga ſe, alioſq. homines, præſertim ſubditos.*

17 *Speciales quæ principaliter in magiſtratu requiruntur ſunt triplicis generis.*

18 *Primi generis ſunt iuſtitia & clementia, quarum illa magiſtratum ad iuſtè agendum: hæc ad leniter agendum promptum reddit.*

19 *Secundi generis ſunt fortitudo & liberalitas: quarum illa magiſtratum ad res arduas & præclaras animosè ſuſcipiendum & ſuſtinendum: hæc ad benefaciendum aliis promptum reddit.*

Digitized by Google

20 *Tertii generis ſunt temperantia & humilitas, quarum illa ad ſobriè caſteque; hæc ad humiliter viuendum magiſtratum promptum reddit.*

21 *Vires corporis ſunt bona naturæ quæ magiſtratum robuſtum reddunt ad ſuſtinendum labores, ſuaque munia expedienda: cuiusmodi inprimis eſt bona & firma valetudo corporis.*

22 *Externa ſunt partim leges partim diuitiæ.*

23 *Leges ſunt norma benè adminiſtrandi Rempublicam.*

24 *Diuitiæ ſunt bona fortunæ quæ expeditam facilitatem magiſtratui ad res benè gerendas ſuppeditant.*

1 *An vllum imperium ciuile ſine virtute rectè geri poſſit?*

Protheſis neg.
Ratio.

HÆc quæſtio videtur non multum diſcre-
1 pare ab ea, quam Ioannes Caſus in præfa-
tione Sphæræ ſuæ ciuitatis præfixa tractat, an vl-
la ſit efficax & vera Politia ſine virtute? Statui-
tur autem in illa theſis negatiua propter ſequē-
tes rationes; 1, quia virtus eſt vnica norma be-
2 nè imperandi. 2, quia Deus qui prima eſt cau-
ſa imperiorum, virtutem in illorum geſtione
requirit; nec vllus magiſtratus Deo aſſimilari
3 poteſt in imperando niſi per virtutem. 3, quia
natura, quæ mater eſt & nutrix omnis ſocieta-
tis tam domeſticæ, quam ciuilis ſine virtute,
4 conſeruari non poteſt. Ergo neq; Reſpub. 4, quia

quod

quod monſtrum eſt in natura; id in Repub. eſt
vitium. Sed monſtrum eſt error & defectus
naturæ, ergo etiam vitium eſt error & defectus 5
Reipub. 5, quia imperii ciuilis finis eſt, vt non
tantum ciues per rectas leges ad virtutem inſti-
tuantur: ſed etiam vt tota Reſpub. ſit felix &
beata. Ille autem finis obtineri non poteſt ſine 6
virtute. 6, quia veteres ſapientes, qui de Re-
pub. ſcripſerunt, aut leges in Repub. ſanxerunt,
illi omnia ſua præcepta ad virtutem tanquam
ſcopum direxerunt, quod non feciſſent ſi iudi-
caſſent, vllum imperium ciuile rectè geri aut
Rempub. benè adminiſtrari poſſe ſine virtute.
Hinc Ariſtoteles lib. 3. Polit. ait *oportere optimam* 7
ciuitatem de virtute maximè eſſe ſolicitam. 7, quia
nulla capitalior peſtis eſt in Repub. quam im-
probitas & morum licentia: quemadmodum
teſtantur ruinæ & quaſi proiecta cadauera mul-
tarum ciuitatum, gentium, nationum ac impe-
riorum, quæ reciſis virtutis ac pietatis fibris in- 8
terierunt. 8, quia ſine virtute princeps non eſt
princeps, ſed tyrannus: neq; ciuitas eſt ciuitas,
ſed furioſa facinoroſorum hominum multitu-
do: neque Reſpublica eſt Reſpublica, ſed hor- 9
renda confuſio; 9, quia omnis politia ſine ſtu-
dio virtutis eſt quaſi plumbea regula ſine manu
artificis.

2 *An prudentia magiſtratui ſit neceſſaria ad rectam officii ſui functionem?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, *Pro theſi affir. Ratio.*
quia prudentia eſt intellectus & delectus re- 1
rum quæ publicè priuatimq; fugiendæ & appe-
tendæ. Ideoq; non ineptè oculus animæ dici-

Digitized by Google

2 tur. 2, quia prudentia non tantum eſt dux & rector vitæ ciuilis, ſed etiam ipſius virtutis. Ac vt Architectis nullum opus rectè procedit ſine libella & linea: ita neque magiſtratui ſine norma hac directrice. 3, quia magiſtratus eſt oculus
3 ciuitatis vt docet Ariſtoteles lib. 3. Polit. cap. 3. Ideoque ſicut obſcuratis oculis partes reliquæ corporis non vident, nec ritè fungi ſuis officiis poſſunt. Ita ſubditi non benè viuunt, quando
4 ſtulto & imprudente magiſtratu vtuntur. 4, quia nullum animal moroſius eſt, nullum maiore arte tractandum quam homo, vt teſtatur Seneca. Cui etiam aſtipulatur Xenophon in Pædia Cyri, cum ait, *omnibus animalibus facilius eſſe, quam hominibus imperitare.* Ideoq; ſine prudentia regi non poteſt: ſicut neque cætera animalia ſine tractatione quadam & arte domari
5 poſſunt. 5, quia magiſtratui neceſſaria eſt exacta cognitio non ſolum finis Reipub. in quem cuncta dirigi debent: ſed etiam mediorum ad finem aſſequendum idoneorum. Illa autem ſi-
6 ne prudentia obtineri non poteſt. 6, quia magiſtratus accuratè noſcere & obſeruare debet mores & ingenia ſubditorum, quibus præeſt, iiſque ſeſe accommodare: cumque in his aliquid aut mutandum aut formandum aliter, nō temerè hoc ſubitoque facere debet: ſed imitari vinum, quod non illico primoque hauſtu hominem inebriat, aut eius mores mutat: verum ſenſim ac paulatim ſitim ſedat; poſt inducit & conformat alios & varios mores. Hæc autem o-
7 mnia præſtare non poteſt ſine prudentia. 7, quia ſicut ad proſperam nauigationem gubernatore bono

bono ac prudente opus eſt; ita prudentem o-
portet magiſtratum eſſe, vt benè cõſtitutæ Rei-
pub. tranquillitas ſeruetur, vt monet Philo Iu-
dæus in lib. de caritate. 8, quia bona conſilia
ſunt neceſſaria magiſtratui. Illa autem ſunt effe- 8
cta prudentiæ: ſiquidem hæc præſentia ordi-
nat, futura prouidet, præterita recordatur. 9, 9
quia homines libenter obediunt iis, quos ſciunt
eſſe prudentes & ſibi recta conſulere. 10, quia 10
prudentia imperantis propria eſt virtus, vt teſta-
tur Ariſtoteles lib. 3. Polit. Licet enim ad omnes
res humanas vtilis ſit prudentia: tamen ad im-
perium maximè conducit, cum illud non ſolum
ſine ea infirmum ſit: ſed nullum vt teſtatur Li-
pſius lib. 3. Polit. cap. 3. *11*, quia ſicut nauem ne- 11
mo dirigere poteſt ſine ferro quod affricuit ſi-
derites: ſic nemo Rempub. ſine mente, quam
afflauit illa Diua, nempe prudentia. *12*, quia o- 12
mnium temporum euentus docent, plura in
ſumma fortuna, auſpiciis & conſiliis, quam te-
lis & armis geri, vt ait Tacitus lib. *13*. annalium.
Hinc rectè Euripedes: σοφὸν ἓν βούλευμα τὰς πολλὰς
χεῖρας νικᾷ, *Vnum ſapiẽs conſilium multas manus vin-
cit.* Item Liuius. *Multa quæ natura impedita ſunt,
conſilio experiri licet.* *13*, quia qualis eſt Poetarum 13
ille Cyclops amiſſo oculo: talis eſt princeps,
cui abeſt lumen frontis, nempe prudentia. *14*, 14
quia omnia regna, ciuitates & nationes eò vſq;
proſperum imperium habuerũt, dum apud eas,
vera conſilia valuerunt, vt teſtatur Saluſtius in
fragmentis. *15*, quia imprudentia eſt fons mul- 15
torum malorum quibus Reſpub. labefactari

Digitized by Google

16 & euerti poteſt. 16, quia ſacra Scriptura nos hortatur ad prudentiam in omnibus rebus acquirẽdam, Prouerb. 4. & ſapientiam, populi ſtabilimentum eſſe ait Sapientiæ 6. Contra ſtultum magiſtratum aſſerit prodere populum ſuum: ac magnum ſub ſole malum eſſe, ſtultum poſitum eſſe in ſublimi dignitate, Eccleſ. 10. Hinc etiam Salomon prudentiam in regendo populo vnicè præ omnibus diuitiis à Deo petiit, lib. 3. Reg. cap. 3.

8 An doctrina & eruditio neceſſaria ſit magiſtratus ad rectam officij ſui functionem?

Pro theſi affir. Ratio. STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia doctrina multum momenti affert tum

1 ad prudentiam, tum ad virtutem. Vnde etiam à Lipſio lib. 1. Politicæ cap. 10. *vtriuſq; adiutor* nuncupatur. Et Seneca epiſt. 91. aſſerit *non plene ſatis contingere prudentiam niſi animo inſtituto & e-*

2 *docto*. 2, quia nemo poteſt feliciter imperare qui naturam regionis ac gentis, cui imperat, nõ probè perſpectam habet. Hanc autem noticiam ſine doctrina ſibi comparare benè non poteſt. Idcireo Xenophon lib. 1. de inſtit. Cyri rectè ait: *Omni animali facilius imperabis quam homini: ideoq; ſapientiſſimum eum eſſe oportet, qui hominem regere velit.* Et Chryſoſtomus ait, *imperij artem eſſe maximam quæ ſine doctrina exerceri non poſſit.*

3 3, quia ad magiſtratus principis munus pertinet ſcholas in Republica fundare, gubernare & cõſeruare: atq; adeò viros doctos vocare, eoſque debito honore afficere. Id autem præſtare non poteſt, niſi de doctrina iudicare poſſit. 4, quia

vt

Digitized by Google

vt Plato dialog. 5. de Repub. ait, ἐὰν μὴ οἱ φιλόσοφοι βασιλεύσωσιν ἐν ταῖς πόλεσιν, ἢ οἱ βασιλῆς τε νῦν καὶ δυνάσται λεγόμενοι φιλοσοφήσωσιν, οὐκ ἔστι κακῶν παῦλα ταῖς πόλεσιν.
5, quia Regibus Perſicis regnare non licuit niſi familiariter cum Magis verſati fuiſſent & ab iis inſtituti, vt Philo refert in explicatione decalogi ad ſextum & ſeptimum præceptum. 6, quia *Princeps illiteratus eſt aſinus coronatus*, vt ait *Chaſſanæus parte 5 de gloria mundi, conſider. 10.* Hinc Alphonſus Arragoniæ rex audiens literas in Principe improbatas eſſe à Rege Hiſpaniarum, dixit, *Bonis iſtam eſſe vocem, non hominis.* Et Carolus IV. Imperator in aurea bulla præcipit, vt Electorum filii in variis linguis & diſciplinis inſtituantur, antequam ad gubernacula veniant. *Admonitio.* Interim tamen magiſtratui præſertim ſummo opera danda eſt, ne in ſtudiis ſcholaſticis conſeneſcat, iiſque ſe totum mancipet ita, vt nullam imperii curam habeat. Itaque doctrina auidè quidem illi haurienda eſt, vt vult Lipſius lib. 1. ciuilis doctrinæ cap. 10. ſed ad vſum; neque ad pompam aut ſpeciem: ſed ad commodum Reipublicæ: neq; ſine modo, ſed cum modo. Nam plus ſcire velle quam ſatis eſt, intemperantiæ genus eſt, teſte Seneca. Et vt Æſchylus ait: ὁ χρήσιμ' εἰδὼς οὐχ ὁ πολλ' εἰδὼς σοφός· *Qui fructuoſa non qui multa ſcit, ſapit.*

4 *An eloquentia magiſtratui ſit vtilis ad rectam officij functionem.*

Statuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt; *Pro theſi affir. Ratio.*
1, quia magiſtratus iubere & mandare aliis debet quid faciendum aut omittendum. Id autem ſine eloquentia non benè præſtari poteſt. 2,

quia magiſtratus tractat populum ſæpè inſolen-
té, delicatum, contumacem& rebellem. Ideo-
que neceſſe habet verbis & oratione multa fin-
gere & conformare; non pauca, quæ impedi-
mento ſunt, velut nodos quoſdam in ligno, aut
3 abſceſſus in ferro mollire&læuigare. 3, quia non
melius tractari populus & in officio contineri
poteſt, quam eloquentia cum auribus ducatur,
4 hoc eſt oratione diſerta auribus percepta. 4,
quia magna vis & efficacia eſt eloquentiæ. Hæc
enim veritatem & iuſtitiam defendit, leges, iu-
dicia, iura deſcribit, hominumq; cœtus tenet,
mentes allicit, voluntates, quo vult impellit, lã-
guentem populum incitat, effrenatum regit ac
moderatur, ſeditiones aut anteuertit, aut ſedat
5 ác tollit. 5, quia in hiſtoriis multa exempla ma-
giſtratuum leguntur, qui eloquentes fuerunt,
ſuaq; eloquentia præclara & admiranda effece-
6 runt. 6, quia valde indigna res eſt, ſi princeps
ſplendidis veſtibus ſe ornet præ aliis homini-
bus; & interim non cogitet de ornatu orationis
quæ magis propria eſt homini quam vlla veſtis,
vt docet Ariſtoteles cap. 1. Rhetoricæ ad Ale-
xandrum.

Pro contraria ſententia. Obiectio.

At pro contraria ſententia obiici poſſunt hęc
argumenta: 1, quia mores dicentis perſuadere
ſolent, non oratio. Ideoq; eloquentia videtur
1 magiſtratui præſertim probo eſſe inutilis & ſu-
2 peruacanea. 2, quia oratio, quò magis ad orna-
tum & oſtentationem eſt compoſita, eò à veri-
tate longius abeſſe putatur, teſte Platone in A-
3 xiocho. 3, quia Eloquentia plura detrimenta
Reipub. quam adiumenta importat, quatenus
ſcele-

Digitized by Google

ſceleratos pœniseripit, bonos dãnat, in peius cõſilia ducit, ſeditiones populares & bella excitat, deniq; ea ſuadet, quæ Reipub. ſunt noxia, & diſſuadet, quæ prodeſſent. 4, quia ſecundũ vulgatũ 4
adagium Reges oportet eſſe monoſyllabos. Itẽ, Rex lex iubeant, non diſputent. 5, quia in hiſto- 5
riis leguntur non pauca exẽpla eorum qui eloquentia ſua nocuerũt Reipub. 6, quia multæ be- 6
nè conſtitutæ Reſpub. leguntur olim homines eloquentes, ipſamq; eloquentiã auerſatæ fuiſſe cuiusmodi in primis fuerunt Spartana & Athenienſis: quarũ illa iubebat pueros oratione vti, quæ ſal conditum venuſtate haberet, & multũ ſenſus in paucis verbis. hæc verò oratores iubebat, ἄνευ προοιμίων καὶ παθῶν dicere.

Reſpondendum autem videtur ad hæc argu- *Soluuntur*
menta: 1, verã & germanam eloqũẽtiam mores *obiectiones.*
dicentis non excludere, ſed includere: nec o- 1
ratoris titulo dignum eſſe eum, qui non ſit vir 2
bonus. 2, orationem ad oſtentationem compoſitam non probandam eſſe: præſertim ſi à ve- 3
ritate recedat. 3, eloquentiam eſſe pernitioſam Reipub. non per ſe, ſed per accidens, propter abuſum, qui tamen verum illius vſum non poteſt tollere.

4, In eloquentia cauendũ eſſe ne oratio par- 4
tim ſit iuuenilis & luxurians, partim ad pompã & oſtentationem comparata; partim lucernam redoleat, hoc eſt, nimis ſit accurata & exquiſita, neque ad laudem captandam accommodata: neque fictos & ſimulatos mores repræſentet, ſed veros & apertos: neque ſit temeraria, inanis, inepta, abſurda, ridicula & prolixa. 5, In Principibus non Aſiaticam ſed Laconi- 5

Digitized by Google

cam orationem commendari; vt paucis verbis multa comprehendant; & ſic videantur plus intelligere, quàm loqui velle.

5 *An virtus moralis ſit neceſſaria magiſtratui ad rectam officij ſui functionem?*

Pro theſi af-fir. Ratio.
STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt;
1 1, quia ſine virtute nullum imperium ciuile
2 rectè geri poteſt, vt patet ex quæſtione prima
huius capitis. 2, quia virtus moralis mediocri-
tatem in omnibus rebus obſeruandam magi-
ſtratui præſcribit, neq; concedit, vt vel ad nimi-
3 um, vel ad parum deflectat. 3, quia virtus mo-
ralis rectum omnium rerum vſum magiſtratui
4 monſtrat, profligato abuſu. 4, quia virtus mo-
ralis eſt rector vitæ ciuilis, & ſine ea prudentia,
calliditas & malitia potius, quam prudentia eſt
5 appellanda. 5, quia decorum eſt, vt probitate
6 emineat, qui dignitate. 6, quia malitia peruer-
tit intellectum. Et vt oculus vitio aliquo labo-
rans perperam cernit: ita malè imperat anima,
quæ mala eſt teſte Platone lib. 1. de Repub. 7,
quia principum vitiis tota ciuitas infici ſolet.
Quales enim in Repub. principes ſunt; tales re-
8 liqui ſolent eſſe ciues. 8, quia fieri non poteſt,
vt magiſtratus ſi ipſe officium non faciat viri bo-
ni, ad præclara ac honeſta agenda alios excitet.
9, quia magiſtratus commodè punire non po-
teſt illa flagitia, quibus ſe quóq; affinem nouit:
ſed iſtud audire cogitur: Medice cura teipſum.
Item illud: Aliorum medicus vlceribus ipſe ſca-
10 tes. 10, quia qui multorum cuſtodem ſe profi-
tetur, eum ſapientes ſui primum capitis eſſe cu-
ſtodem

ſtodem oportere ſtatuunt. 11,quia magiſtratus 11
non ſingula tantum verba aut res publicè geſtæ animaduertuntur: ſed etiam ioci ſimul ac ſeria. Quin etiam minima eius errata amplificantur, & pro magnis habentur: quemadmodum maculæ, cicatrices & næui maius dedecus in facie afferunt, pluſq; hominem quam reliquo in corpore, deformant. Proinde eò magis opus habet virtute in officio benè gerendo. *12*, quia magi- 12
ſtratus Deo ſimilis eſſe debet in imperando. Id autem fieri non poteſt ſine virtute *13*,quia tutiſ- 13
ſima magiſtratus cuſtodia eſt innocentia: ſiquidem optimè ſibi cauet,qui optimè viuit.14,quia 14
nemo poteſt aliis imperare,qui ſuis prauis cupiditatibus & affectibus non poteſt imperare,teſte Cicerone in Paradoxo quinto. 15,quia Plato 15
libro 3. de Repub. iubet quærere magiſtratus, qui teſtimonium probitatis per ſingulas ætates habeant. Idem in Alcibiade 1. ait: αὐτῷ τοι πρῶτον κτητέον ἀρετὴν καὶ ἄλλῳ ὃς μέλλοι μὴ ἴδια μόνον αὐτοῦ τι ϗ τῶν αὐτοῦ ἄρξειν, καὶ ἐπιμελήσεσθαι, ἀλλὰ πόλεως ϗ τῶν τῆς πόλεως. *Ipſi tibi primùm acquirenda eſt virtus & alij, qui non tantum propria, ipſumq; & quæ ſunt ipſius, gubernaturus & curaturus eſt, ſed ciuitatem & quæ ſunt ciuitatis.* Hinc inter Romanas leges de magiſtratu olim hæc quoq; lex erat: Hic ordo vitiis careto: cæteris ſpecimen eſto, vt tradit Cicero lib. 3. de legibus. Et Polybius lib. 4. rectè ait: *Ille Reipublicæ ſtatus optabilis & firmus eſt, in quo & priuatim ſanctè innoxieq; viuitur, & publicè iuſtitia ac clementia vigent.* Nec illepidè canit Auſonius:

Qui rectè faciet, non qui dominatur, erit Rex.

16, quia non regnant, ſed ſæuiunt qui mali ſunt. 16

by Google

vt teſtatur, *Auguſtinus lib. 5. de ciuitate Dei*. Hinc Plato lib. 1. de Repub. *mala anima, male imperat.*

Pro theſi neg. argum. At pro theſi negante afferri poſſunt hæc argumenta: 1, quia poteſt aliquis eſſe bonus magiſtratus; etiamſi non ſit vir bonus, vt teſtatur exemplum Lucii Syllæ & Hannibalis, quorum vterq; imperator fuit laudatus & felix; & tamen improbus. 2, quia ingenia magna magni quoq; vitiis non carent; quæ propterea non magis ſunt reiicienda, ac locus denſa obſitus ſylua plantiſq; agralibus & luto repletus ab agricolis reiicitur: cum bonitatem ſoli indicet. 3, quia in hiſtoriis multa leguntur exempla ſummorum virorum, quorum cum adoleſcentiæ cupiditates deferbuiſſent, virtutes eximiæ firmata iam ætate extiterunt. 4, quia princeps, qui ſaluum imperiū velit eſſe, cogitur nonnunquam eſſe nō bonus, vt docet Machiauellus cap. 15. de Principe, cum inquit: *Qui ſe virum* bonum *omnibus partibus profiteri ſtudet, eum certè inter tot non bonos periclitari neceſſe eſt.* Neceſſarium eſt itaq; principi, vt perceptum habeat (ſi ſe ſaluum velit) qua ratione poſſit eſſe non bonus, idque pro rei neceſſitate in ſuum conuertat vel non conuertat vſum. Et paulo poſt: *Princeps eorum vitiorum infamiam fugiat, quibus illi imperium adimi poſſit. Nec multum laboret ſi in eorum vitiorum infamiam incurrat, ſine quibus dominatum non facilè tueri poſſit.* 5, quia fieri non poteſt, vt ſemper Reſpub. à bonis magiſtratibus adminiſtretur: cum magna ſit eorum raritas, & ſecundum tritum Prouerbium, Vno in annulo principes boni omnes ſculpi poſſint. Ideoq; neceſſe eſt, vt malis interdum

im-

imperium tradatur. 6, quia multæ cauſæ ſunt, quæ principes malos faciant; & inter illas ſeptē præcipuè, nempè nimia licentia, omnium rerum copia, atq; abundantia, amicorum improbitas, ſatellitum ac miniſtrorum nequitia, aulicorum ſtultitia, rerumpub. ignorantia, denique benè imperandi difficultas. 7, quia impoſſibile eſt, vt vitia penitus in hac vita exſtirpentur. Ideoque tam diu erunt vitia, quam diu homines. 6 7

Cęterum reſponderi poteſt in genere, illa argumenta omnia laborare vitio, partim petitionis principii, partim inconſequentiæ. Falſum enim eſt, & abſurdū: 1, quod magiſtratus bonus poſſit eſſe, qui vir bonus non eſt. 2, quod magiſtratus nonnunquam debeat ſeu cogatur non eſſe bonus. 3, quod impoſſibile ſit vitia penitus in hac vita exſtirpari: præſertim ſi id dictum intelligatur de omni homine. Reliqua verò argumenta licet vera eſſe concedantur, inde tamen non ſequitur virtutem moralem magiſtratui ad rectam officii ſui functionem non eſſe neceſſariam. Proinde ſemper magiſtratus in eam curam incumbere debet, vt vitia omnia declinet: aut ſi emendare cuncta nequeat, illa ſaltem fugiat, quæ in conſpectu ſunt, & videri ac notari poſſunt. *Reſpondetur ad argumēta Pro theſi neg.*

6 *An pietas ſit neceſſaria magiſtratui ad rectam officij ſui functionem?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia pietas eſt fundamentum omniūm aliarum virtutum, quæ in magiſtratu requiruntur, & ſine ea nulla conſiſtere poteſt. 2, quia pietas *Pro theſi affir. Ratio.* 1 2

maximè conciliat magiſtratui auctoritatem & reuerentiam apud ſubditos. 3, quia eadem in omnibus actionibus & conſiliis proſperum ſucceſſum largitur. 4. quia ſubditi vehementer ad religionem excitantur: cum magiſtratuum ſuorum pietatem vident: ſiquidem magis exemplis quam legibus reguntur, & vita principum ipſis cenſura eſt, vt docet Plutarchus in Nicia. 5, quia ſubditi minus ſibi metuunt à magiſtratu quem vident eſſe religioſum, & minus ei aduerſantur inſidianturque, quem à diuino numine protectum defenſumq; iri credunt. 6, quia nô veriſimile eſt, magiſtratum aliud magni facturum, qui Deum contempſerit. 7, quia non tantum ſacra Scriptura iubet, magiſtratum ſeruire Domino, aperire portas regi gloriæ, & agere nutritios Eccleſiæ: ſed etiam Plato lib. 3. de legibus non vult quemquam eligi magiſtratum, niſi pius extiterit & diuinis operam ſtudiis dederit. 8, quia in hiſtoriis tam ſacris, quam profanis reges ac princeps pii commendantur.

(Margin: 3, 4, 5, 6, 7, 8)

7 *An iuſtitia ſit neceſſaria magiſtratui ad rectam officij ſui functionem?*

Pro theſi affir. Ratio. STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia iuſtitia magiſtratum promptum reddit ad iuſta volendum & agendum. 2, quia magiſtratus debet eſſe veluti ius animatum, ſeu Lex loquens, ad quam ſubditi confugiant. Id autem ſine iuſtitia fieri non poteſt. 3. quia iuſtitia Regis ſecundum Cyprianum de duodecim abuſibus eſt pax populorum, tutamen patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum,

(Margin: 1, 2, 3)

rum, gaudium hominum, temperies aeris, ſerenitas maris, terræ fœcunditas, ſolatium pauperum, hæreditas filiorum, & ſibimetipſi ſpes futuræ beatitudinis. 4, quia vt ignis, niſi ſit in ſe calidus, non poteſt alia calefacere: ita neq; magiſtratus niſi ſit in ſe iuſtus, aliis iura adminiſtrare poteſt. 5, quia magiſtratui iuſtitia conciliat non tantum amorem, fidem, honorem & laudẽ apud ſubditos: ſed etiam regni ſtabilitatem. Hinc Ochus Artaxerxes morti vicinus interrogatus à filio, *quo pacto tot annos regnum cuſtodiſſet*, reſpondit, *iuſta erga Deum hominesq; faciendo.* 6, quia vt Auguſtus Imperator dixit, *pietate & iuſtitia Principes Dij fiunt.* 7, quia magiſtratus iniuſtus Deo & homini eſt inuiſus, & tandem ſupremo omnium dominatori Deo grauiſſimas ſuæ iniuſtitiæ pœnas luit, vt exempla teſtãtur hiſtoriæ tam ſacræ, quam profanæ, nec non quotidiana experientia. Proinde deteſtanda eſt ſententia Machiauelli, qui cap. 18. de Principe *ſtatuit licitum eſſe interdum Principi fidem non ſeruare, ſed fallere & diſſimulare, ac modò vulpis, modò leonis mores aſſumere.*

4 5 6 7 *Error Machiauelli taxatur.*

8 *An fortitudo ſit neceſſaria magiſtratui ad rectam officij ſui functionem?*

Statuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia fortitudo magiſtratui magnum & intrepidum animum pręſtat ad ſuſcipiendas Reipub. cauſa res arduas, plenaſq; laborum & periculorum. 2, quia ſuperat omnia impedimenta quæ magiſtratui in executione ſui muneris obiici ſolent. 3, quia in rebus aduerſis magiſtratum red-

Pro theſi affir. Ratio. 1 2 3

4 dit patientem & tolerantem. 4, quia fortitudo magiſtratus ſubditis animum addit tam tempore pacis, quàm tempore belli. 5, quia magiſtra-
5 tui Reipub. cauſa odia & inimicitiæ multorum ſunt adeundæ. Id quod ſine fortitudine fieri nõ
6 poteſt. 6, quia fortitudo eſt munimentum humanæ imbecillitatis inexpugnabile, quod qui circumdedit ſibi, ſecurus in hac vitæ obſidione
7 perdurat, vt docet *Seneca epiſt. 93*. 7, quia timiditas & audacia magiſtratus valde pernitioſa eſt Reipublicæ.

9 *An liberalitas magiſtratui ſit neceſſaria ad rectam officij functionem?*

Pro theſi aſſir. Ratio.

1 STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt quia liberalitas magiſtratui oſtendit modum in beneficiis erogandis, ne ſcilicet vel in exceſſu
2 vel in defectu peccet. 2, quia liberalitas magiſtratui conciliat ſubditorum, aliorumque
3 hominum beneuolentiam & amorem. 3, quia non magis verè Princeps imperabit, ſi beneficus non extiterit, quam ſi Sol radios ſuos hominibus, aliiſque animalibus non præberet.
4 4, quia ſicut fruges non tam ſoli ingenio, quam cœli beneficio & temperie lætius proueniunt: Ita artes bonæ eximiaq; ingenia magiſtratuum
5 benignitate excitantur. 5, quia liberalitas magiſtratus plurimum adiumenti affert ad tuendũ & amplificandum Rempub. Hinc cum Aurelianus imperator ex conſiliariis ſuis quæreret, *quo pacto rectè feliciterq; Reſpub. adminiſtrari poſſit?* reſponſum ei eſt, *ferro & auro: ferro contra hoſtes: auro apud ciues & benè meritos.* In quam ſententiam

Digitized by Google

tiam etiam Seneca de beneficiis inquit: Melius beneficiis imperium cuſtoditur, quam armis. *6*, quia illiberalitas & auaritia dedecori eſt magiſtratui eiq; apud ſubditos maleuolentiam & odium parit. 7, quia magiſtratum decet preſſos calamitate ſubleuare, viduis & orphanis largiter ſuccurrere, pauperes virgines dotare, naufragis opem ferre, ædificia publicè neceſſaria magnificè extruere, vias publicas reſarcire, itinerum ſecuritatem præſtare: Hæc autem omnia ſine liberalitate præſtare non poteſt. 8, quia beneficentia, quæ in viros publicè benè meritos, præſertim verò viros doctos, artifices excellentes & milites ſtrenuos exercetur magnū eſt imperii firmamentum: ſicut contra prodigalitas & largitio nimia etiam opulentiſſima regna exhaurit & euertit. *6* *7* *8*

Contra theſis aſſir.

Cæterum huic ſententiæ reclamat Machiauellus c. *16*. de Principe. Licet enim in principio capitis illius non neget fore optimū, ſi Princeps habeatur liberalis: tamē poſtea aſſerit liberalitatē interdum noxiā eſſe principi, ſapientiuſq; eſſe nomē perparci ſuſtinere. Argumēta ipſius ſunt: 1, quia nihil eſt, quod magis ſeipſum conficit, quā liberalitas: ſiquidem opes & fortunas Principis exhaurit, eumq; ad egeſtatē redigit, & ſic inter vtendū vtendi facultatē eripit. 2, quia impellit principē ad rapacitatē & exactiones iniuſtas ſubditorū, vt nimirū habeat, vnde aliis largiri poſſit, & ſic eū infenſum & odioſum reddit.

Obiectio. 1 2

Reſponſio ad obiect.

Sed reſponderi poteſt, Machiauellum confundere liberalitatem cum prodigalitate, & ſic virtutem cum vitio. Effecta enim quæ

Digitized by Google

in argumentis ipſius recenſentur, non liberali-
tati, ſed prodigalitati competere. Ipſam autem
prodigalitatem non minus ac illiberalitatem a-
auaritiam Principi fugiendam: tum quia vtra-
que ſit vitium morale: tum quia illa theſauro
Principis publicos & priuatos euacuat, eum-
que impellit ad rapiendi & auferendi iniuriam
vt ad largiendum aliis ſuppetant copiæ. Han-
verò efficere, vt Rempub. princeps quæſtui ha-
beat, populumque cuſtodiat, non vt paſtor re-
gem; ſed vt lupus. Id quod non tantum turpe
eſt, ſed etiam ſceleratum & nefarium: & v-
Imperator habet in Nouellis ſuis conſtitutioni-
bus omnium malorum eſt cauſa.

10 *An clementia ſit neceſſaria magiſtratui ad rectam officii functionem?*

Pro theſi aſſir. Ratio. STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt:
1 1, quia clementia modum præſcribit magi-
2 ſtratui in puniendis & vlciſcendis delictis. 2,
quia ſubditorum amorem parit qui inexpugna-
bile eſt Principis munimentum: ſæuitia vero
3 & crudelitas odium parit. 3, quia crudelia im-
peria acerba magis, quam diuturna eſſe ſolent.
4 4, quia homines metuunt ſibi à magiſtratu cru-
deli: & hanc ob cauſam excitantur ad inſidias
ipſi ſtruendas, & data occaſione imperium eius
5 crudele ceruicibus ſuis excutere conantur. 5,
quia magiſtratus imitari debet exemplum Me-
dicorum, qui tacìſſimè ſectiones & ignes adhi-
bent, ne ipſa videlicet vitia in corpore magis
exaſperentur: pleraque verò lenibus exercitiis
& mitibus medicamentis ſanant & molliunt.
6, quia

6, quia ſicut arbores quædam reciſæ pullulant: 6
ita crudelitas regia inimicorum multitudinem tollendo auget. 7, quia Principi non minus 7
ſunt turpia multa ſupplicia, quam medico multa funera. 8, quia magnam fortunam ma- 8
gnus animus decet: huius verò proprium eſt placidum & manſuetum eſſe, neque temerè ob iniurias & offenſiones, præſertim priuatas iraſci & exacerbari. 9, quia exempla hiſtoriarum te- 9
ſtantur, illos benè & feliciter Reipub. profuiſſe qui clementia imperium temperarunt.

Interim tamẽ ita clementia exercenda eſt magiſtratui, vt interdum vrgente neceſſitate ſeueritas adhibeatur. *Admonitio.* Sine hac enim, ciuitas rectè adminiſtrari non poteſt, vt ait *Cicero lib. 1. Officiorum.* Nam malum eſt eum imperare ſub quo nemini quicquam licet: ſed peius ſub quo omnia. Tam enim graue eſt omnibus ignoſcere; quam nemini veniam dare: & nocet bonis, qui parcit malis. Itaque idem faciendum magiſtratui quod hortulani facere ſolent, qui noxias herbas tollunt, vt herbis vtilibus incrementa concilientur: Et quod medici obſeruant, qui in corpore, ſi quid eiuſmodi eſt, quod reliquo corpori nocet, vrunt & ſecant, vt membrorum potius aliquod quam totum corpus pereat. Quod autem Machiauellus cap. 17. de Principe aſſerit, interdum licitum eſſe Principi inclementiam, ſæuitiam & crudelitatem adhibere: tutiuſque eſſe, Principem à ſubditis metui, quam amari. *Error Machiauelli taxatur.* Illa opinio vt rectæ rationi & ſcripturæ Sacræ eſt contraria; ita meritò eſt explodenda.

Digitized by Google

11 *An temperantia & humilitas ſint neceſſaria magiſtratui ad rectam officii functionem?*

Pro tēperantia. Ratio. STatuitur theſis affirmatiua. Rationes pro tē-
perantia ſunt: 1, quia nullus magiſtratus di-
1 gnè aliis vnquam imperare poteſt, qui ſibi im-
perare neſcit. Talis autē eſt, qui voluptatum le-
2 nociniis eſt deditus. 2, quia temperantia ſanita-
tem mentis conſeruat, ſine qua imperium rectè
geri non poteſt. Idcircò Græcè dicitur σωφροσύνη,
3 quaſi σώζουσα τὴν φρόνησιν, *conſeruans prudentiam.* 3,
quia continet magiſtratū intra metas à pruden-
4 tia & iuſtitia præſcriptas. 4, quia intemperantia
debilitat ſenſus magiſtratus, corrumpit virtutis
indolem, labefactat ingenium, eripit cōſilium,
5 deniq; contēptum ei parit. 5, quia magiſtratus ſi-
milis eſt currui, à quo auriga eſt excuſſus, qui te-
6 merè fertur. 6, quia Plato magiſtratibus vinum
prohibuit donec in honore eſſent. Et Solon le-
gem tulit, *vt ebrius magiſtratus impunè occideretur.*
Id autem viri illi ſapientiſſimi non feciſſent, niſi
iudicaſſent temperantiam eſſe neceſſariam ma-
giſtratui.

Pro humilitate. Ratio. Rationes pro humilitate ſunt: 1, quia humili-
tas animum magiſtratus refrenat & cohibet ne
1 ob imperii gloriā ſe extollat & inſoleſcat. 2, quia
2 efficit vt magiſtratus non minus ſe hominem,
3 quam hominib. præeſſe cogitet. 3, quia qui hu-
militatem, quę eſt mater virtutū, neſcit, vſum ſui
4 perdit laboris. 4, quia tantò magiſtratus fit vilior
Deo, quanto pretioſior eſt ſibi: & tanto pretio-
ſior Deo, quanto propter Deum eſt vilior ſibi, vt
5 docet *Gregorius libro 18. Moralium.* 5, quia virtutū
ſtabile fundamentum eſt humilitas, quę ſi omit-
tatur

tatur, virtutum congregatio nó niſi ruina eſt. 6, qui radix cuncti mali & regina omnium vitiorũ eſt ſuperbia, vt idem *Gregorius docet lib.17.moralium.* 7, quia magiſtratus cogitare debet cuncta mortalium eſſe incerta, caduca & fragilia: puerilibusq; æqualia crepundiis ea, quæ vires & opes humanæ vocantur: nec ignorare magnas arbores diu creſcere, vnâ horâ exſtirpari. 6 7

12 *An calliditas in Magiſtratu ſit tolerabilior quam nimia ſimplicitas?*

ETſi tam calliditas, quam nimia ſimplicitas eſt vitium oppoſitum prudentiæ: Ideoque neutra per ſe bona ac magiſtratui conueniens: tamen in comparatione melius eſt magiſtratum eſſe callidum & verſutum quam nimis ſimplicē. Rationes ſunt: 1, quia calliditas eſt malum quod facilius & citius corrigi & emendari poteſt, quá nimia & fatua ſimplicitas: Ex verſuto enim facile fieri prudens: ex nimis autem ſimplici difficulter. 2, quia nimia ſimplicitas magis directè, cum maieſtate imperii pugnat, quam calliditas: quatenus illa extremum cõtemptum parit magiſtratui: hæc verò maieſtatem in qua imperii ſalus & tutela conſiſtit, labefactat & deſtruit. 3, quia nimia ſimplicitas longe magis Rempublicam euertit, quam calliditas: quatenus illa mali conſiliarii & turpes adulatores abutuntur.

Pro calliditate in comparatione. Ratio. 1 2 3

Interim tamen nullo modo probanda eſt ſententia Machiauelli, qui in *libro de Repub.cap. 42.& cap.18* de Principe ſuadet, vt Princeps homines verſet inſtar molæ truſatilis quo vult, & fallaciis ac fraudibus circumueniat.

Error Machiauelli taxatur.

CAPVT II.

De autoritate & potentia magiſtratus.

PRÆCEPTA.

1 *Fuit cauſa inſtrumentalis inanimata & primaria, ſecundaria verò eſt quæ ex prima ortum habet.*

2 *Eſtque partim autoritas, partim potentia.*

3 *Autoritas eſt dignitas & amplitudo reuerenda in magiſtratu apparens.*

4 *Eius cauſa alia eſt efficiens, alia finis.*

5 *Efficiens alia eſt procreatrix, alia conſeruatrix.*

6 *Procreatrix alia eſt proxima, alia remota.*

7 *Proxima ſunt bona eximia animi, corporis & fortunæ: inprimis vero ſapientia, virtus; hoc eſt, vitæ morumque integritas, & felicitas.*

8 *Remota ſunt maiorum & anteceſſorum virtutes & merita, & quæ his parta eſt, gloria.*

9 *Conſeruatrix eſt partim perpetuum benè merendi de Repub. ſtudium: partim amor & beneuolentia ſubditorum erga magiſtratum cum metu & admiratione illius coniuncta: partim euitatio nimiæ cum ſubditis familiari-*

liaritatis, quæ contemptum parit.

9 *Finis eſt melior & facilior Reipublicæ gubernatio.*

10 *Potentia eſt qualitas, per quam magiſtratus idoneus eſt non tantum ad ſuſtinendum imperii onus, eiuſque munia exequenda: ſed etiam ad ſe & totam Rempub. aduerſus vim & iniuriam externam defendendam.*

11 *Eius cauſa procreans & conſeruans partim eſt opum ſufficiens copia: partim conſiliorum promptitudo & dexteritas; partim armorum apparatus; partim fortunæ proſperitas.*

1 *Quid ſit autoritas magiſtratus?*

AVtoritas magiſtratus quæ Græcè dicitur modo σεμνότης, modò δόξα, modo ἀξίωμα, modo, αὐθεντία, modo κῦρος τῆς ἀρχῆς definitur in genere, modo excellentia ſeu eminentia, modo dignitas & amplitudo magiſtratus, ſiue ſit ſummus, ſiue inferior: in ſpecie verò dignitas & amplitudo ſummi duntaxat magiſtratus, ſiue ſit Comes ſiue Princeps, ſiue rex, ſiue imperator: quæ tamen in Comite vulgò dicitur *illuſtris generoſitas*; in principe ſtrictè ſumpto *celſitudo*, ſeu *ſerenitas*; in rege, *maieſtas regia*; in imperatore, *maieſtas Cæſarea*. &c. Etſi verò *Bodinus lib. 1. de Repub. cap.* 8. ſecutus Thomam Aquinatem maieſtatem definit, quod ſit ſumma in ciues ac ſubditos legibus ſoluta poteſtas: eamq; dici ait modo ἄκραν ἐξουσίαν, modo κυρίαν ἀρχὴν, modo κύριον πολίτευμα: tamen hæc ſententia videtur non eſſe

Definitio autoritatis.

Bodini error taxatur.

Ratio. approbanda propter ſequentes rationes: 1, quia
1 confundit adiunctum cum ſuo ſubiecto: ſiquidem maieſtas non eſt ipſa poteſtas; ſed adiun-
2 ctum duntaxat poteſtatis. 2, quia poteſtatem illam, per quam maieſtatem definit, legibus ſolutam eſſe ſtatuit: cum tamen omnis poteſtas, exceptâ ſolâ diuinâ, legibus ſit ſubiecta.

Error aliorũ perſtringitur. Quod autem alii maieſtatem & autoritatem inter virtutes magiſtratus numerant, illi ſententiæ non ſubſcribendum videtur. Definitio enim virtutis ei non competit: Et cum virtutem tanquam effectum ſuum cauſam ſequaturi maniſeſtè liquet illam virtutis ſpeciem conſtitui non poſſe.

2 *Quæ ſit cauſa efficiens autoritatis magiſtratui ineſſe debita?*

Cauſæ autoritatis in magiſtratu exponuntur & probantur. VVlgo quatuor cauſæ efficientes autoritatis, quæ magiſtratui ineſſe debet, recenſentur; quarum prima eſt ſapientia: altera, virtus, inprimis pietas, iuſtitia, clementia, fortitudo,
1 temperantia, veracitas, ſedulitas in vocationis
2 muneribus obeundis: tertia, felicitas in rebus
3 gerendis: quarta, inclinatio animorum, hoc
4 eſt amor & beneuolentia ſubditorum, erga magiſtratum. Et hoc inde probatur, quod autoritas magiſtratus perditur partim imprudentia, quando vel non intelligit officium ſuum, vel rectè monentibus non obtemperat, ſed mordicus tenet ſemel conceptas ſententias, vel præfert hominum furioſorum conſilia rectis & moderatis: partim malitia per quam virtutis ſtudium decreſcit & augentur omnis generis vitia:

vitia: partim mutatione fortunæ ſeu infelicitate in actionibus: partim mutatione beneuolétiæ in animis ſubditorum erga magiſtratum. Sed præter has cauſas aliæ ſunt, quarum in præceptis facta eſt mentio. Quod autem quidam autoritatem magiſtratus eximium & ſingulare donum Dei eſſe, aſſerunt, neq; humana induſtria comparari: id ſecundum priorem quidem partem verum eſt, ſecundum poſteriorem verò falſum. Apoſitione enim primę cauſæ efficientis ad remotionem ſecundarum, non valet conſequentia. Et quod eiuſmodi autoritas etiam humana induſtria comparari poſſit, id patet ex cauſis antea allatis.

3 *An autoritas ſit neceſſaria magiſtratui ad rectam officij functionem?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: *Pro theſ. aſ-*
1, quia autoritas magiſtratus eſt veluti calcar, *fir. Ratio.*
quo ſubditi incitantur ad reuerentiam & obe- *1*
dientiam debitam magiſtratui eiuſq; mandatis
præſtandam. *2*, quia eſt quaſi frenum quo ſub- *2*
diti retrahuntur ab inobedientia aliiſq; peccatis & flagitiis aduerſus magiſtratum totamque
Rempub. committendis. 3, quia ſine autoritate *3*
magiſtratus ſubditos ſuos in officio continere non poteſt, neque cum fructu præeſſe Reipub. ſiue pacis ſiue belli tempore. *4*, quia *4*
vt Curtius lib. 8. ſcribit, *maieſtas imperij ſalus & tutela eſt*. Et vt Lipſius ait lib. 2. Polit. cap. 6. *maieſtas & autoritas principis eſt acre telum ad imperium*. 5, quia autoritas magis reti- *5*
net homines in officio, quàm arma & ſupplicia. Ideoq; illa magiſtratum Deus armauit,

tanquam Gorgone. Et hoc etiam ſignificare voluerunt Poetæ, quando fabulantur, quod in ſcuto Palladis Gorgon caput Meduſæ pictum fuerit: quodq; eo obiecto Perſeus homines in
6 ſaxa conuerterit. 6, quia tanta eſt vis autorita-tis magiſtratui impreſſæ, vt non tantum in bonorum animis admirationem & amorem ſu excitet: ſed etiam malis tantum metum incutiat, vt non audeant manum immittere in magiſtratum eumq; violare. Hinc Pharao Rex Ægypti nunquam auſus fuit manum iniicere Moyſi diuina autoritate armato. Hinc legimus lictorem vel ſatellitem iuuenem armatum delegatum ad occidendum Marium Conſulem proſcriptum apud Minturnenſes in carcere decrepitum & inermem, non tamen auſum fuiſſe illum ferire, veluti occulta quadam maieſtate Marii prohibitum. Itaque non immeritò
7 *adamantinum vinculum Imperiorum* dicitur. 7, quia amiſſam magiſtratus autoritatem ſequitur mutatio imperiorum: Hinc Monarchia prima à Sardanapalo transferebatur in Chaldæos: cum Sardanapalus Rex contemneretur à ſubditis propter molliriem & vitam in gynæceo inter mulieres conſumptam.

CAPVT III.

De conſiliariis magiſtratus.

1 *Fuit cauſa inſtrumentalis inanimata. Sequitur animata; quæ ſunt adminiſtri magiſtratus, qui illi in Reipublicæ gubernatione ſunt adiumento.* 2 *Illi*

2 *Illi verò ſunt vel ſuperiores, vel inferiores.*
3 *Superiores ſunt conſiliarii & legati.*
4 *Conſiliarii ſunt adminiſtri ſuperiores magiſtratus ad ſuggerendum bona conſilia ordinati.*
5 *In illis ſpectanda tum electio, tum officium, tum diſtributio.*
6 *Electio eſt conſtitutio conſiliariorum.*
7 *In illa conſiderandi tum eligendi, tum qualitas eligendorum.*
8 *Eligendi debent eſſe viri idonei & digni.*
9 *Qualitas eligendorum debet eſſe partim prudentia, partim probitas.*
10 *Officium conſiliariorum eſt dare magiſtratui conſilia, quæ tum ipſi, tum toti Reipublicæ ſint utilia & ſalutaria.*
11 *Illud verò perficitur partim perſecutione bonorum, quæ conſiliarios decent, partim fuga malorum, quæ dedecent.*
12 *Bona, quæ perſequenda ſunt conſiliariis tribus claſſibus diſtinguuntur.*
13 *Primæ claſſis ſunt pietas & fidelitas.*
14 *Pietas requiritur, vt omnia conſilia ſua dirigant ad gloriam Dei, verbique diuini præſcriptum.*
15 *Fidelitas requiritur, vt omnia ſua conſilia dirigant pro viribus ad dignitatem & vtilitatem tum magiſtratus, tum Reipublicæ.*

16 Secundæ claſſis ſunt libertas & conſtantia in conſiliis dandis.

17 Libertas requiritur, vt intrepidè, ſincerè & apertè ſua conſilia proferant, ſine veritatis vel occultatione vel ſuppreſſione.

18 Conſtantia requiritur, vt conſilia ſua non temerè mutent & inclinent ad nutum & gratiam vel ipſius magiſtratus, vel aliorum.

19 Tertiæ claſſis ſunt modeſtia & taciturnitas.

20 Modeſtia requiritur vt placidè ſuam ſententiam dicat ſine acerba aut calumnioſa inſectatione aliorum.

21 Taciturnitas requiritur, vt arcana ſuæ fidei commiſſa taceant, nec foras eliminent.

22 Mala, quæ fugienda ſunt conſiliariis ſimiliter tribus claſſibus diſtinguuntur.

23 Primæ claſſis ſunt pertinacia & diſcordia quarum illa conſiliarios in tuendis ſuis conſiliis facit pertinaces: hæc verò nimis promptos ad contradicendum aliis.

24 Secundæ claſſis ſunt confidentia & temeritas: quarum illa conſiliarios facit audaces, ſibiq; nimium fidentes in conſiliis dandis: hæc verò nimis præcipites.

25 Tertiæ claſſis ſunt auaritia, & perturbationes animi, quarum illa conſiliarios facit ſui proprii cõmodi potius, quam publici ſtudioſos: hæc verò iudiciũ eorundem deprauant & corrumpunt. 26 Ad-

26 *Adhuc de officio conſiliariorum. Reſtat eorum diſtributio, ſecundum quam alii ſunt ordinarii, alii extraordinarii.*

27 *Ordinarii conſiliarii ſunt, quorum conſiliis magiſtratus ſemper, aut ſaltem plerunq; vtitur.*

28 *Suntq; vel Politici vel Eccleſiaſtici.*

29 *Politici conſiliarii ſunt, qui ciuilia negotia Reipub. ſuis conſiliis dirigunt & promouent.*

29 *Suntq; vel aulici, vel curiales: quorum illi in principum aulis: hi in curiis verſantur.*

30 *Eccleſiaſtici conſiliarii ſunt, qui res ſacras & diuinas ſuis conſiliis dirigunt & promouẽt.*

31 *Extraordinarii conſiliarii ſunt, quorum conſiliis magiſtratus non ſemper, ſed tantum vrgente graui neceſſitate vtitur.*

1 An conſilium ſit neceſſarium magiſtratui ad rectam officij functionem?

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia in Reipublicæ adminiſtratione multa occurrunt ambigua & perplexa quæ ſine cõſilio determinari & expediri feliciter non poſſunt. 2, quia modus generalis & communis regendi & conſeruandi Rempublicam eſt vti conſilio. Vnde rectè Menander inquit: ἱερὸν ἀληθῶς χρῆμα συμβουλία, *ſacra verè res eſt conſilium.* Et Saluſtius nõ minus verè quam ſapienter ait: *Multa legẽdo atq; audiendo ita cõperi, omnia regna, ciuitates, nationes eò vſq; proſperũ imperiũ habuiſſe, dũ apud eos vera cõſilia*

Pro theſi affir. Ratio. 1 2

valuerunt. Vbi gratia, timor, voluptas, auaritia con ſilia corrumpunt, ſtatim imminuta opes, deinde adēptum imperium, poſtremò ſeruitus impoſita fuit.
3 quia melius curantur, quæ conſilio geruntur quam quæ ſine conſilio adminiſtrantur: & parum eſt arma eſſe foris, niſi ſit conſilium domi Hinc ſcitè Euripedes ait: σοφὸν ἓν βούλευμα τὰς πολλὰς χεῖρας νικᾷ, *vnum ſapiens conſilium multas manus vincit.* Et Thraſo Terentianus: *Omnia prius expe-*
4 *riri conſilio, quam armis ſapientem decet.* 4, quia moleſtiis eorum, quæ temerè accidunt, non obnoxius eſt ille, qui rectè conſilium iniit, priuſquam res geratur: imò mala, quæ natura impedita ſunt, conſilio expediuntur, vt ait Liuius
5 lib.11. 5, quia quantum diſtat homo pictus ab homine viuo, tantum diſtat magiſtratus bene
6 conſultus ab inconſulto. 6, quia quantum ſibi damni affert eques imperitus, & non benè exercitatus, ſi equo feroci & indomito inſiliat tantum damni ſibi & Reipublicæ affert magiſtratus, qui ſine conſilio regere vult multitudi-
7 nem, quæ beſtia eſt multorum capitum. 7, quia conſilium bonum fundamentum imperii ſtabilit, ipſiq; magiſtratui autoritatem, bonam famā
8 & laudem conciliat. 8, quia maiorem in ſubditis excitat beneuolentiam, amorem, reuerenti-
9 am & obedientiam erga magiſtratum. 9, quia magiſtratum admirabilem apud exteros & for-
10 midabilem apud hoſtes efficit. *10*, quia ſecundum Sophoclē in Electra: βουλῆς οὐδὲν ἐστὶν ἔχθιον κακῆς, *conſilio malo nihil eſt nocentius.* Imò vt Heſiodus canit:

Ἡ δ'

Ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.

Malum conſilium conſultori peſſimum.

11, quia ſecundum Horatium lib. 3 Carm. *Vis cō-* 11
ſilij expers mole ruit ſua. 12, quia ſæpè per vnius 12
pij & ſapientis viri fidele conſilium multorum malorum technæ & inſidiæ impediuntur & cō-
funduntur. 13, quia in hiſtoriis multæ Reſpu- 13
blicæ recenſentur quæ bonis conſiliis natæ & in ipſo flore multis annis cōſeruatæ fuerunt: multæ etiam, quæ cum ante floruiſſent prauis conſiliis peſſum iuerunt. Vide *Petrum Gregor. Toloſ. lib. 24. de Repub. cap. 5.*

2 *An magiſtratus opus habeat conſiliariis bonis?*

Statuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: *Pro theſ. affir. Ratio.*
1, quia vnus homo, non videt omnia: Et plus
vident oculi, quam oculus. 2, quia vt Lampri- 1
dius ait in Alexandro Seuero, *tutior eſt ſtatus pu-* 2
blicus ſub malo Principe, cui boni conſiliarij aſſident, quam ſub bono Principe, cui adſunt mali conſiliarij. Quia vnus malus poteſt per plures bonos, emēdari: at plures mali ab vno bono ſuperari nequeunt. 3, quia boni conſiliarii Rempub. con-
ſeruant: mali verò lædunt & diruunt. 4, quia 3
in Republica tam varii caſus, & tam varia ſcele- 4
rum, periculorum & negociorum genera quotidie magiſtratui obiiciuntur, vt ſi ipſum Argum ſuperet, ſatis oculatus eſſe non poſſit. Ideoq; opus habet aliorum prudentium virorum con-
ſiliis, qui ſunt quaſi oculi magiſtratus. 5, quia 5
periculoſum eſt magiſtratum ſibi ſuæque prudentiæ ſoli in omnibus fidere, præſertim in iis,

quæ ancipitem habent aleam: cum naturã hu manam per imperii adeptionem non exuat, & non minus prauis affectibus, erroribus & vitii ſit obnoxius, ac alii homines. 6, quia multa licẽ magiſtratui, quæ non expedit agere: & multa et iam certo modo licent, & non aliter. Ideoq; n peccet in eiuſmodi rebus eligẽdis & ſuſcipien dis, opus habet conſiliariis bonis. 7, quia ſubdi ſi boni ſunt magis diligunt & reuerentur; ſi mali, magis metuunt magiſtratum, quem ſciun bonis conſiliariis vti. 8, quia per conſiliarios bo nos magiſtratus prudentior & cautior euadi meliuſq; officio ſuo defungi poteſt. 9, quia con ſiliarii boni ſunt veluti canes, qui præſidio ſun & paſtori & ouibus aduerſus lupos: quib. ſum motis vagantur in incerto magiſtratus & multo rum fallaciis & deceptionibus exponuntur. 10 quia quam neceſſaria ſunt fulcra ad ædificii ſu ſtentationem: & mens ad corporis humani cõ ſeruationem: tam neceſſarii ſunt boni conſilia rii ad Rempublicam benè gubernãdam. 11, quia ſignum eſt Reipublicæ breui mutandæ aut in terituræ, ſi magiſtratus reſpuat & auerſetur cõ ſilia virorum peritorum & prudentium: nouoſ que homines ſtultos, imperitos, adulatores, vi rulentos, præſumptuoſos, alioſque indignos ad conſilium admittat. 12, quia hiſtoriæ teſtantu Reſpublicas benè floruiſſe, quamdiu magiſtra tus vſus eſt conſiliis virorum prudentium: cor ruiſſe verò, quando magiſtratus cepit eadẽ re ſpuere & auerſari. Inprimis verò Reſpub. Ro mana legitur magis aucta & conſeruata fuiſſ conſiliis ſenatus, quam armis. Vnde etiam ort

eſt tritum illud Prouerbium, *Romanus ſedendo vincit*. 13, quia quoties Deus voluit Rempublicā 13
aliquam florere, dedit illi ſapientes conſiliarios. Contra, quoties eandem voluit punire, ſapiētes conſiliarios prius ſuſtulit. Idcirco rectè Salomō Prouerb. 11. v. 14. ait: *Vbi non ſunt prudentia conſilia corruit populus: ſalus autem eſt in amplitudine conſilij*, hoc eſt in conſiliario amplo prudentib. conſiliis variiſq; inſtructo. Et Menander inquit: *σύμβουλος ὁ διαφέρων λογισμῷ πάντ' ἔχει, conſiliarius, qui ratione excellit, hoc eſt, qui prudens eſt, omnia bona in ſe habet*. Item alius autor *σύμβουλος ἱερὸν χρῆμα, conſiliarius eſt res ſacra*.

At contra hanc ſententiam obiici poteſt: *1*, magiſtratum ſi per ſe ſit prudens & ſapiens, non opus habere conſiliariis: cum ex ſe poſſit bona conſilia petere. 2, poteſtati & authoritati magiſtratus aliquid detrahi, ſi ab aliorum iudiciis & conſiliis pendeat. 3, monarchæ licitum eſſe ſine conſilio aliorum de negociis regni ſtatuere. *Pro cōtraria ſententia. Obiectio.* *1* *2* *3*

Reſpondeo ad primam obiectionem cum Lipſio; rarum, imò impoſſibile eſſe, vt princeps, aut alius magiſtratus à ſe vno ſatis ſapiat: & cum Tacito, principem ſua ſcientia non omnia poſſe complecti. Ideoq; neceſſe habere, vt in partem curarum alios aſſumat, quorum conſilio in gubernādā Repub. vtatur, ne ſi omnia de ſua vnius ſententia gerere velit, ſuperbus magis quam ſapiens iudicetur. *Soluuntur obiectiones.* *1* Ad alteram obiectionē reſpondeo, nihil detrahi poteſtati & authoritati magiſtratus per vſum conſiliariorum: cum illos non coactè, ſed ſponte adhibeat: neq; alio fine, quam vt conſilia ipſius ſibi & toti Reipub. eò ſint meliora & ſalubriora. *2*

Digitized by Google

3 Ad tertiam obiectionem reſpondeo, monarcham quidem qui nullum alium ſuperiorẽ præter Deum & rectam rationem recognoſcit, non quidem teneri, vt adhibeat neceſſariò cõſilium vel ſubditorum, vel aliorum: ſed tamen vtile eſſe ad melius, tutius & diutius imperandũ vt in negociis grauioribus prudentium virorũ conſiliis vtatur.

3| *Quales conſiliarij à magiſtratu ſint eligendi?*

Requiſita boni conſiliarii exponuntur.

NOn ſatis eſt magiſtratui habere conſiliarios, niſi det operam vt habeat bonos. Ideoq; ante omnia videndum eſt magiſtratui, vt bonos eligat & conſtituat conſiliarios. Sunt autem boni in genere, qui partim ſunt prudentes, partim probi. In ſpecie verò illi; 1, qui cum
1 ſcientia artis Politicæ & Iurisprudentiæ, tum ex-
2 perientia hiſtoriarumq; notitia excellunt. 2, qui ſunt pii ſeu Dei timentes. Timor enim Dei odit malum ac debet eſſe caput omnium conſi-
3 liorum. 3, qui ſunt fideles, ſinceri & veraces, li-
4 bertatemq; in ſententia dicenda adhibent. 4, qui ſunt graues, conſtantes, modeſti & taciturni.
5 5, qui ab omni ambitione, auaritia, adulatione φιλονεικίᾳ, confidentia & temeritate ſunt alieni.
6 6, qui omnia ſua conſilia dirigunt ad vtilitatẽ & ſalutem totius Reipub. Quam ob cauſam etiam Iethro generi ſuo Moſi ſuadet Exod. 18. 21. vt eligat ſibi ex populo adiutores ſeu conſiliarios, qui Deum timeant, auaritiam oderint, & in quibus ſit veritas.

4 An

4 *An ex ſenibus potius, quam iuuenibus conſiliarii ſint eligendi?*

PRo theſi affirmante faciunt hæc argumenta: 1, quia ſenes rerum experientia & prudentia iuuenibus præcellunt. 2, quia conſilia ſenum ſtabiliunt Rempublicam: Iuuenum verò perdunt, vt teſtatur exemplum Robohami regis in lib. 2. Reg. cap. 12. & 2. Paralipom. cap. 10. 3, quia vt medicus melior eſt, qui diutius inter ægrotos verſatus eſt: ita aptius & facilius negotia implicita explicari poſſunt ab his qui diuturno & quotidiano vſu eadem tractarunt, cuiuſmodi ſunt ſenes. 4, quia ſenes animum habent à prauis cupiditatibus & affectibus magis repurgatum quam iuuenes. 5, quia maior eſt authoritas in ſenibus conſiliariis minorq; in rebus agendis temeritas, quam in iuuenibus. 6, quia ſenes conſiliarii maiorem authoritatem & dignitatē magiſtratui conciliant, quàm iuuenes, non tantum apud ſubditos, ſed etiam apud exteros. 7, quia vt citharœdi nouitii multas citharas corrumpunt: ita iuuenes euertunt prius Rempub. quam eam gubernare diſcant. 8, quia Romulus in conſilium Reipublicæ eligebat ſeniores populi: indeq; dicti ſunt patres & ſenatores, qui etiam ſenatui nomen dederunt. *Pro theſi affir. Argum.* 1 2 3 4 5 6 7 8

At contra pro theſi negante afferri poſſunt hæc argumenta: 1, quia aptitudo & habilitas, quæ in conſiliario requiritur, non æſtimanda eſt ex quantitate ætatis, ſeu annorum numero: ſed ex doctrinæ, iudicii morumque præſtantia. Inueniuntur autem iuuenes, qui his animi dotibus multos ſenes ſuperant. Ideoq; illi potius, *Pro theſi neg. Argum.* 1

Digitized by Google

2 quam hi ad conſilium ſunt adm
ſenes ſunt moroſi & ſuſpicaces
obſtinati quam iuuenes: imò,v
ſtatur lib.2.Rhetor.magis vtilit
3 neſtatem ſpectant.3,quia ſicut e
noſas arbores nouas plantas inſ
interitum vetuſtarum locum te
etiam vtile eſt Reipub.admitte
iuuenes ad conſilia, vt ex ſenio
diſcant in poſterum ſimilia & d
lere:Et propterea etiam olim in
nam cum Patribus & Senatorib
4 miſſi vſq; ad Papyrium. 4,qui
mellis de floribus teneris, quàn
congerunt. Ita magiſtratus ſæpè
bonorum ex iuuenibus doctis &
5 pit,quam ex ſenibus indoctis&i
ſi in eligendis conſiliariis ſempe
di ſunt,ſæpè magna virtutis indo
prius extingueretur,quā prodeſſ

Quæſtio deciditur per theor. Pro deciſione quæſtionis n
neq; ſenes ſimpliciter eſſe admi
ſilia,neq; iuuenes ſimpliciter ab
1 ſed ſemper reſpiciēdum eſſe ad
2 tius animi internam, quam ad æ
prudentem & probum præferen
3 ni prudenti & probo. 3,iuuene
doctum,prudentem & probum
eſſe ſeni,ſtolido,indocto impruc

5 An ex indige. pot⁹ q̄ extraneis cōſi

Pro theſi affir. Argum. PRotheſi affirmante militant
ta: 1, quia indigenæ melius
1 Reipublicæ,in qua domicilium
habent; meliuſque ciuium inger

mores perſpectos habent. Ad conſilium autem de Repub. dandum caput eſt, noſſe Rempub. 2, quia indigenæ ex naturali inclinatione & obligatione maiore amore ac beneuolentia proſequuntur Rempub. quam extranei. Is autem amor veluti dux eſt & norma conſiliorum, quæ pro Republica dantur. 3, quia indigenarum intereſt Rempub. benè eſſe conſtitutam, omniaq; in ea rectè adminiſtrari. 4, quia indigenæ non facilè concoquunt, quando vident in Reipublicæ adminiſtratione peregrinos ſibi præferri; iiſque plus tribui & credi quam ſibi. Inde igitur offenſiones, liuor, querelæ, animorum abalienatio, turbæ deniq; & ſeditiones oriuntur. 5, quia Romani veteres nō modo peregrinos, ſed ne ſocios quidem ipſos in ſenatum admittebant. 2 3 4 5

Pro theſi neg. Argum.

At contra pro theſi negāte adduci poſſunt hæc argumēta: 1, quia in eligendis cōſiliariis virtus cuiuſq; nō patria ęſtimari ac pōderari debet. 2, quia Deus & natura omnes in toto mundo homines cōmuni humanitatis & amoris vinculo vult inter ſe eſſe coniunctos. Ideoq; vinculū eiuſmodi ſocietatis humanę rūpunt, qui nullo planè caſu peregrinos ad cōſiliū admittēdos eſſe aſſerūt. 3, quia peregrini ſæpe ſunt doctiores, prudētiores, moribuſq; cultiores quā indigenę. Ideoq; illi his meritò ſunt pręferēdi in conſiliariorū electione. 1 2 3

Quæſtio deciditur per theorem.

Pro deciſione quæſtionis notandū eſt: 1, extraneum præferendū eſſe indigenæ, ſi ex indigenis nullus inueniri poſſit, qui ſit idoneus & dignus, cui conſiliū Reipub. committatur; aut ſaltē non ita idoneus & dignus ſit queādmodum vnus ex peregrinis & exteris. 2, indigenā præferendū eſſe extraneo, ſi ille vel ęquè vel magis dignus ſit quā 1 2

Digitized by Google

extraneus. Et hoc etiam teſtari i
ra exemplum Ioſephi, qui à Pha
totius Ægypti Satrapa & conſil
ſtitutus, omnibuſque indigenis

6 An homines impij & improbi; a latores & garruli ad conſili mittendi?

Pro negatione prima partis. Ratio.

STatuitur theſis negatiua. R
ma parte quæſtionis ſunt: 1
1 entia non habitat in vaſis iniqui
2 di ſunt impii & improbi. 2, qu
tet, fieri non poteſt, vt vitiis non
3 iudicando ſeipſum condemnat
quia magiſtratus ipſe malè audit
ritas apud ſubditos & exteros
tur, ſi impios & improbos hom
admittat: quatenus videtur ill
probare, parumq; Reipublicæ
4 re. 4, quia Lacedæmonii ſente
ſimam ab homine improbatiſſi
pudiarunt ex conſilio Ephori cu
crederent vrbem & Rempubli
& inexpugnabilem diutius eſſe
iuſmodi conſiliario vteretur.

Pro negatione ſecunda partis. Ratio.

Rationes pro ſecunda parte q
1, quia adulatores ſua conſilia a
neplacitum magiſtratus dirigun
1 aut occultant, aut ſupprimunt,
confeſſio odium ipſis apud mag
2 2, quia homines garruli conſili
ſtratus detegunt & diuulgant: a
ges taciturnitatis agunt, quæ ſe

tium Maximum, *tutiſſimum ac optimum eſt adminiſtrandarum Rerumpub. vinculum.* Hinc apud Perſatum Reges nemo conſiliorum fuit conſcius præter optimates taciturnos & fidos. Ideoque etiam Silentii numen celebratur. Et Lex Ægyptiorum iubebat abſcindi illi linguam, qui arcana Reipub. quæ recta eſſe deberent, alicui detexiſſent. Et rectè ait Curtius, *res magnas ſuſtineri non poſſe ab eo, cui tacere graue eſt.*

7 *Quod ſit officium conſiliarii: & quomodo illud rectè exequi poſſit?*

Officium conſiliarii explicatur.

Quomodo officium ſuis conſiliarius rectè exequi poſſit.

CONſiliarius nomen habet à conſulendo. Officiũ igitur illius propriũ eſt τὸ εὖ βουλεύεσθαι, hoc eſt, *benè conſulere*, ſeu, *recta conſilia alteri ſuggere.* Vt autem ſuo munere benè fungi poſſit, neceſſe eſt: 1, vt benè intelligat id, de quo conſulitur. 2, vt perſpectum habeat finem, ad quē dirigendum eſt conſilium, ſimulq; ſtatum, mo-
tes & leges Reipub. 3, vt in conſulendo reſpi- 1
ciat non tantum ad præſentia, ſed etiam ad præ- 2
terita & futura. Ex præteritis enim coniectura 3
ſumi poteſt de futuris: cum vt plurimum præteritis ſimilia ſint futura, & eadem ferè fabula ſemper in mundo agatur, mutatis tantum per-
ſonis. 4, vt nihil conſulat, quod cum vera pie- 4
tate & honeſtate pugnat, aut contra ipſius etiã
eſt conſcientiam. 5, vt conſilium ſuum dirigat 5
ad commodum, honeſtum & licitum eius cui
conſilium eſt dandum. 6, vt conſilium ipſius 6
non ſit præceps & temerarium, ſed maturum, diuq; vltrò citròq; agitatum expenſum ac deliberatum, ne veluti canis feſtinans, vt dicitur in

Pronerbio,cœcos pariat catulos,
nitudine ducatur, cum factum
non poteſt. Nam vt Lucianus ait

Ἡ βραδύπους βουλὴ μέγ' ἀμείνων· ἡ δὲ ταχεῖ
Αἰὲν ἐφελκομένην τὴν μετάνοιαν ἔχει.

Tardum conſilium longè melius eſt:
ſemper comitem pœnitentiam hab

Hinc etiam Liuius ait: *conſilia c*
prima ſpecie læta eſſe, tractatu dura, e.
tem nihil magni diſcriminis conſ
7 cum eſſe, quam celeritatem. 7,
ctus deponat. Nam haud facilè
8 prouidet, vbi illi officiunt. 8, vt l
dè ſine dolo, malitia & ambiguit
quæ ſibi meliora & vtiliora vider
9 nullius hominis gratiam deflect
pertinax in defendenda & tuen
mel dicta: præſertim ſi certò co
gnorantia alicuius circumſtanti
terius conſilium eſſe melius. Pr
tare conſilium, quam in malè ini
Et vt Lucianus in Aſino dicit πάλ
δρομεῖν κρεῖττ, *melius recurrere è med*
10 *malè currere.* 10, vt arcana ſuæ fid
11 citus ſecum retineat, neq; elimi
nunquam pœniteat prolatæ ac d
ac iuſtitiæ: etiam ſi propter vtri
incidat in odium magiſtratus &
12 adulantur. *12*, ne vnquam in fo
ſpem cor filiorum ſuorum pona
videat eorum, qui temerè ad re
dunt exitus eſſe felices. Nihil en
præclarum videri debet quod à
ritate & euentu, non verò à rati

pendet. Hinc Veteres Deam Fortunam à cõſilio Deorum arcere non dubitarunt: ne id quod à prudentia quæri debet, à temeritate fortunæ profectum eſſe videatur.

8 Quomodo magiſtratus ſeſe gerere debeat in adhibendis & audiendis conſiliariis?

NOn ſatis eſt magiſtratum eligere ſibi bonos conſiliarios, niſi etiã ſciat, quomodo in iis adhibendis & audiendis ſeſe gerere debeat. Ideoq; neceſſe eſt, vt de hac etiã re monita quędã ſalubria ſubiiciantur & tradantur. Quando igitur arduæ & ancipites res occurrunt, de quib. cõſultatio eſt inſtituenda, primũ omniũ magiſtra- 1
tus non cunctanter, ſed maturè & tẽpeſtiuè cõſiliarios ad ſe vocet, iiſq; negotia deliberãda breuiter & perſpicuè proponat. Deinde, omnib. cõ- 2
cedat facultatẽ liberè & apertè ſine veritatis occultatione aut ſuppreſſione ſententiam ſuã dicendi, omneſq; ex æquo & ordine audiat. Vbi enim libertas dicẽdi non conceditur; ibi iudicia ſunt vincta, vota ligata, & metus animorũ ſenſa claudit: Vbi autẽ hæc ſunt; ibi ſalutare conſiliũ rarum eſſe ſolet. Tertiò, ſingulas ſententias cõſi- 3
liariorum dictas & auditas ipſe prudenti mentis iudicio ſecum expendat & examinet, rebusque dextrè accõmodet. Miſer enim eſt magiſtratus, qui nõ ſuis, ſed alienis dũtaxat oculis, auribuſq; videt & audit, neq; ſua propria mẽte, ſed aliena tantũ iudicat. Quarto, conſilium bonum à malo 4
accuratè, quantũ fieri poteſt, diſcernat. Id quod eò melius & facilius fiet, ſi perpenderit, vtrum conſiliũ verbo Dei & rectæ rationi ſit conſentaneum, & ad publicam Reipub. vtilitatẽ & ſalutem directum nec ne: Quintò, tacitè ſecum cõcludat 5

ex datis conſiliis quod eligendu
dum ſit: idque aut nemini, aut
ciat. Nam vt Vegetius rectè n
quid debea[illegible] multis tracta, qui
6 *pauciſſimis, vel potius ipſe tecum.*
lia ex euentis non metiatur. S
mè cogitata peſſimè cadunt: &
7 cogitata optimè cadunt. Septi
conſilia præmiis afficiat; ne qu
ſcendi præmia à vero deflectan
mi ſententiam aliquid ad grat
loquantur: neq; malis conſiliis
Defuturi enim ſunt, qui ſuadea
ſe periculoſum ſit.

9 An magiſtratus ab vnius ta arbitrio pendere debe

Pro theſi neg. Ratio. STatuitur theſis negatiua. R
quia vnus facilius errat quam
1 vident oculi quam oculus. 2, qu
2 reperitur qui in omnibus rebu
3 horis æqualiter ſapiat. 3, quia
periculoſum eſt ſalutem & ad
Reipub. ab vnius tantum co
4 pendere. 4, quia turpe eſt Princ
5 bus imperat pati ab vno ſibi im
mia autoritas vni conſiliario à n
ta excitat in animo ipſius faſtur
6 6, quia impoſſibile eſt vt vnus
accuratè Reipub. cauſas & neg
que expediat, omnibuſq; diffi
riculis ita maturè obuiam eat, q
ſociatis conſiliis & curis. Itaqu

ſapientiſſimus Rex Salomon conſilium ex pluribus conflatum comprobat. Quod autem quidam contra multitudinem conſiliariorum, diſputant, eamq; ſapientibus conſiliis ſemper inimicam eſſe aſſerunt; id verum eſt de immoderata, non autem de moderata multitudine. *Obiectioni occurritur.*

10 *An liceat magiſtratui conſilia ſemel approbata & ſuſcepta interdum mutare?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: *1*, quia præſtat mutare conſilia in melius, quam in malè cœptis pergere: 2, quia conſilia rebus accommodari debent, iiſq; mutatis mutari. 3, quia ſicut nauta non ſemper poteſt eum curſum tenere quem incœpit & optat: ſed pro diuerſo ventorum flatu cogitur eundem mutare: Ita etiam magiſtratus qui ſedet ad gubernaculum Reipublicæ, non ſemper in vna & eadem ſententia permanere poteſt. 4, quia ſicut medicus non ſemper ægro propinat medicamentũ quod præſcripſerat aut apud ſe concluſerat: ſed ſæpe id pro morbi in corpore mutatione mutat: Ita etiam magiſtratui licet ad nouos caſus temporum nouorum conſiliorum rationes accommodare. 5. quia non modo laudabilis, ſed etiam vtilis ac ſalutaris eſt Reipublicæ interdum conſilii mutatio: ſicut contra, ſtulta pertinacia eſt turpis & perniciosa. Neq; propterea inconſtantiæ crimen magiſtratui obiici poteſt. Non enim quælibet conſilii mutatio arguit inconſtãtiam, ſed tantum illa quæ temerè ſine vlla graui cauſa fit, neq; ad ſalutem Reipublicæ, ſed ad priuatorum affectuum obſequium dirigitur.

Pro theſi affir. Ratio. 1 2 3 4 5

Obiectioni occurritur.

Q

11 *An magiſtratus conſiliarios*
mutare & dimittere deb

Pro theſi neg. Ratio. STatuitur theſis negatiua. R
quia conſiliarii veteres totum
1 tum probè cognitum & perſpect
deoq; ad conſilia danda pro ſalu
2 ſunt aptiores, quam nouitii. 2, q
canorum Reipublicæ ſunt conſc
3 diuulgent, omnibus modis cauē
mutationem & dimiſſionem ve
riorum plerunque ſequitur mu
4 priſtini Reipublicæ. 4, quia m
ſubditos ſuſpectus redditur part
veteris oppreſſione molienda,
lita innouatione in Rēpublican
ſi veteres conſiliarios temerè m
5 nouos verò in illorum locum ſu
menſura & norma mutationis &
terum conſiliariorum non debe
tus affectus magiſtratus, vel i
populi: ſed partim indignitas ip
tim infidelitas; partim ſalus Re

12 *An conſilij boni inuentio ſi*
ſit manca & imperf

Pro theſi affir. Ratio. STatuitur theſis affirmatiua.
quia executio eſt finis, propt
1 um capitur. 2, quia magnū impr
2 ditatis argumentū eſt quęrere
3 lium bonum, niſi inuentum vel
ſatius eſt abſtinere à conſultatio
lium per eam inuētum ad bonu
4 publicæ non dirigere & accom
quod anima eſt in corpore; id ex
ſilio. Ideoq; ſicut corpus anima

ſier eſt, omniſq; vigoris vitalis expers: ita conſiliũ ſine executione vanum eſt & inutile. 5, quia con- 5
ſilium actus eſt prudentiæ, quę pro fine, non habet theoriã, ſed praxin. 6, quia ſapiẽtiſſimi quiq; 6
viri cum conſilii inuentione eiuſdem executionem coniungendam eſſe monent. Hinc Ariſtoteles lib. 6. Ethic. ad Nicomachum, c. 10. inquit: πράττειν μὲν δεῖν ταχὺ τὰ βουλευθέντα, βουλεύεσθαι δὲ βραδέως. hoc eſt, *agenda quidem celeriter eſſe deliberata: deliberandum autẽ tardè.* Cum quo dicto conſentit illud Iſocrãtis ãd Demonicum: βουλεύου μὲν βραδέως, ἐπιτέλει δὲ ταχέως τὰ δόξαντα; *delibera quidem tardè, exequerè vero celeriter ea quæ videntur.*

13 Quomodo Senatus à conſiliariis differat?

SEnatus, qui Græcè dicitur, γερουσία, nihil aliud eſt quam collegium ſeu cœtus ſenatorũ alicubi ad conſultandũ de negociis Reipub. congregatus. Dicitur autẽ eiuſmodi cœtus ſenatus propterea, ꝙ ex ſenioribus, aut, ſaltẽ ſenili prudentia præditis hominib: conſtitui debeat. Eſtq; alius ordinarius, alius extraordinarius: Et rurſus ordinarius ſenatus alius eſt Politicus, alius eccleſiaſticus, alius ſcholaſticus. Politicus alius togatus; alius militaris. Togatus, alius aulicus, alius curialis. Differt igitur Senatus à conſiliariis ſeorſim acceptis tanquã totum à ſuis partibꝰ, ſeu integrũ à ſuis mẽbris. Sunt enim ſenatores nihil aliud quàm cõſiliarii: Et hi nihil aliud quam mẽbra ex quibus ſenatus conſtituitur. Tametſi alii reperiuntur, qui ſenatorẽ plus eſſe dicunt quam conſiliariũ nudũ: propterea ꝙ non tantũ in reb. ambiguis conſiliũ det: ſed ſimul etiã tanquam pars magiſtratꝰ publici poteſtatẽ de Repub. ſtatuendi habeat.

Senatus quid ſit & quotuplex.

Quomodo Senatus à conſiliariis differat.

CAPVT

De Legatis.

PRÆCEP

Legati quid ſint. 1 *Adhuc de conſiliariis. Sequ* *ſunt adminiſtri ſuperioris m* *miſſi ad expedienda ipſius non* *certa negotia.*

Electio legatorum quomodo inſtituẽda. 2 *In illis ſpectanda tum ele* *um.*

3 *Electio ita inſtituenda eſt, vt* *& idoneis perſonis legationis m* *tatur.*

4 *Dignitas illa æſtimanda eſt e* *quæ ſunt triplicis generis.*

5 *Primi generis ſunt ſagacitas* *Debet enim legatus eſſe ingen* *dens.*

6 *Secundi generis ſunt facundi* *tas. Debet enim legatus eſſe facu* *moſus.*

7 *Tertii generis ſunt fidelitas* *tas. Debet enim legatus eſſe fidel* *nus.*

Officium legatorum quid ſit. 8 *Officium legatorum eſt partim* *ſentare perſonam magiſtratus à qu* *partim ea, quæ ſuæ fidei commiſſa* *ter & diligenter expedire nomine*

ſui: partim denique ſingula acta ei bona fide referre.

1 *An legati differant à conſiliariis?*

SVnt nonnulli, qui legatos referunt ad conſiliarios tanquam ſpeciem ad ſuum genus. Sed hæc ſententia videtur non eſſe approbanda. Licet enim vnus & idem homo ſimul eſſe poſſit legatus & conſiliarius vnius & eiuſdem magiſtratus: tamen quatenus eſt legatus, non eſt cōſiliarius, & quatenus conſiliarius, non eſt legatus. Sunt enim diſtincta officia legatorum & conſiliariorum. Horum ſiquidem munus eſt bona conſilia ſuggerere magiſtratui; illorum verò eſt, fideliter ac diligenter expedire apud alios negotia ſibi à Legante commiſſa. Præterea legati ſunt vicarii ipſius magiſtratus, vt in ſequēte quæſtione probabitur: Conſiliarij autem nō itidem. Hinc etiam fit, vt conſiliarius Græce dicatur σύμβουλος; legatus verò πρέσβυς, ſeu πρεσβεύς, propterea quod plerunque ſenibus legationis munus committi ſoleat.

Sententia affirmatiua defenditur.

2 *An legati ſint neceſſarij magiſtratui: & num rectè dicantur vicarij ipſius?*

CVm magiſtratui multa & varia occurrant negotia apud exteros magiſtratus expedienda: Illa verò in propria perſona non ſemper poſſit expedire, vel quia non tutum eſt, vel quia non vtile Reipub. magiſtratum ſuum territorium relinquere & alio peregre abire: idcirco neceſſe eſt, vt aliorum opera vtatur, qui propterea appellantur *legati*, quod *cum certa poteſta-*

Legatorum neceſſitas probatur.

Legati rectè dicuntur vicarii magiſtratus.

te ac inſtructione allegentur. Dic
rectè *vicarÿ magiſtratus*.1,quia r
ſonam magiſtratus.2, quia nih
1 niſi nomine & iuſſu magiſtratu
2 immeritò legatus os magiſtrat
3 quia qui illos honorat aut lędi
tũ,à quo ſunt miſſi,honorare&

3 An Legati opus habeant mand
magiſtratus ad expedienda feli

Pro theſi affir. Ratio.

STatuitur theſis affirmatiua
quia mandatum eſt quaſi a
1 gationis: & ſine eo legatio, t
2 fœtidum, repudiatur. 2,quia
tatem legato conciliat,præſer
mentis,quævulgò *literæ credent*
3 tur, ſit communitum. 3,quia p
ne inſtructione negocia Reip
4 Legatorum iudicio & diſcreti
quia inſtructio certis cancelli
cumſcribit legatorum actione
cium magiſtratus aut Reipubl
5 vel committatur vel omittatu
citra mandatum & inſtructio
officio ſuo rectè fungi non po

4 *An licitum ſit legatu*

Pro theſi neg Argum.

PRo theſi negante faciunt h
quia ſanctiſſimum omniu
1 tutum eſt legatis quibuſuis,
non confœderatorum, ſecuri
præſtare & ab omni iniuria de
etiam vbiuis gentium ſanctu
2 habetur. 2,quia arctum ſociet

culum eſt legatio. Ideoq; qui legatum violat, is, quantum in ſe eſt, hoc vinculũ dirimere ſtudet. 3, quia nulla poſſit inſtitui cum exteris tractatio vel de pace, vel de aliis rebus: niſi legatus eſſet inuiolabilis. 3
4, quia temeritas legatorum violãdorum ſæpè anſam prębet ad bella, ciuitatumq; & populorum vaſtitatem ac interitum. 4
5, quia iniuria, legatis illata redundat in eum, à quo eſt miſſus. Ideoq; iuſtè ab eodẽ vindicatur. 5
6, quia, vt Cicero ait, in 3. Verr. *Legationũ ius humano diuinoq; vallatum præſidio eſt, cuius tam ſanctum & venerabile nomen eſſe debet, non modò vt intra ſociorum iura, ſed etiã inter hoſtium tela incolume verſetur.* Vnde etiam commune Veterum Prouerbium ortum eſt: *Legatus neq; caditur, neq; violatur.* 6
7, quia Deus, qui iuris naturæ atq; adeo etiam iuris gẽtium, autor eſt & vindex mirabiliter legatorum violationem vlciſci ſolet, vt hiſtoriæ teſtantur. 7

Obiectioni occurritur. Quod ſi quis obiiciat priuilegium illud Legato conceſſum feneſtram ei aperire ad omnis generis flagitia & ſcelera impunè perpetranda: ideoque ſimpliciter non eſſe iuſtum: reſponderi poteſt: primum id non fieri per ſe, ſed per accidẽs; deinde, priuilegium illud intelligendum eſſe de legato, quatenus eſt legatus & intra iuſtos legationis terminos ſeſe continet: non autem quatenus ab iis recedit, & priuilegio ſuo ad ſcelera perpetranda abutitur.

5 *An liceat legato munera accipere?*

Pro theſi neg. Argum. PRo theſi negante afferri ſolent hæc argumẽta: 1, quia legatus eſt publica perſona quæ omnẽ corruptelæ ſuſpicionẽ, quantum in ſe eſt, à ſe amouere debet. Id autẽ fieri non poteſt ſi munera accipiat ab eo, ad quẽ mittitur. 1
2, quia mu- 2

CAPVT V.

De inferioribus adminiſtris magiſtratus.

PRÆCEPTA.

1 *Fuerunt adminiſtri magiſtratus ſuperiores. Sequuntur inferiores, qui officii dignitate aliis ſunt minores. Et propterea ſpecialiter à Lipſio dicuntur miniſtri.*

2 *In illis ſpectanda electio, officii functio & diſtinctio.*

3 *Electio ita inſtituenda eſt, vt vnicuiq; officium pro dignitatis & aptitudinis ratione committatur.*

4 *Dignitas æſtimanda eſt partim ex generis honeſtate, indolisq; & ingenii bonitate, partim ex morum integritate facultateque exequendi munia demandata.*

5 *Officii functio exigit partim obſequium & modeſtiam: partim fidelitatem & patientiam.*

6 *Obſequium requiritur, vt prompti ſint ad parendum mandatis magiſtratus.*

7 *Modeſtia, vt ſua ſe, non magiſtratus fortuna metiantur: & quicquid agunt, ſine iactãtia agant, ad declinandum inuidiam & ſuperbiæ crimen.*

8 *Fidelitas, vt mandata magiſtratus aliaq; negotia ſibi commiſſa abſque omni dolo ſe-*

dulo & tempeſtiuè exequan

9 Patientia, vt iniurias alt

mo tolerare ac perferre queant

10 Diſtinctio miniſtrorum

ex officiorum, partim ex digni

ex locorum diuerſitate.

11 Ex officiorum diuerſitate

ſtores, alii ſcribæ, alii ſatell

res, &c.

12 Ex dignitatum diuerſitat

ſtiores, alii minus honeſti vel

opinione.

13 Ex locorum diuerſitate alii

pagani, alii aulici: quorum pr

alteri in pagis, tertii in aulis v

1 An adminiſtri inferiores ſint nec

& quales eligere opor

Neceſſitas adminiſtrorũ inferiorũ probatur.

CVm magiſtratus officium
tiplex, neq; immediatè on
ipſum ſolum expediri poſſint;
liorum adminiſtra opera vtatu
omnes idonei & apti ſunt ad
ſtratui præſtanda, negotiaq; ſib
pedienda; idcircò docendum
ſtros eligere oporteat magiſtra

Qui adminiſtri inferiores ſint elig.

Sunt autem eligendi; *1*, qui
lia ſunt orti. Veriſimile enim eſ
les lib. 5. Polit. *meliores eſſe, qui*
ſunt. Et vilis habetur magiſtrat
miniſtros admouet. 2, qui ſint i

indolis. Illi enim aptiores ſunt ad intelligendũ & exequendum mandata magiſtratus. 3, qui 3
ſunt probi & benè morati, honeſtamque apud alios famam obtinent. Vulgò enim talis magiſtratus eſſe iudicatur, quales ſunt miniſtri. Imò melior eſſe & prope tutior exiſtimatur eſſe Reſpublica in qua Princeps malus, quam illa in qua mali ſunt miniſtri principis. 4, qui facultate ſunt 4
inſtructi munia commiſſa benè exequendi. Sicut enim quæuis terra cuilibet rei procreandæ non eſt apta: ita neque miniſtri quilibet quibuslibet rebus probè curandis & expediendis ſunt idonei.

2 Quomodo miniſtri ſeſe in ſuo officio gerere debeant?

VT officium ſuum rectè exequi poſſint mi- 1
niſtri, neceſſe eſt: 1, vt ſint obſequioſi erga magiſtratum. Quo enim quis eſt obſequioſior, eò maiorem laudem & gratiam apud magiſtratum conſequitur. 2, vt ſint modeſti non tantum 2
in ſermone, ſed etiam in veſtitu, geſtu, inceſſu, omnique motu corporis, ne vlla ſuperbiæ ſpecies in iis appareat. Eiuſmodi enim modeſtia commendat miniſtros, iiſque aditum ad maiorem gratiam & honorem ſternit. 3, vt ſint fi- 3
deles in expediendis negotiis ſibi concreditis. A quo enim fidelitas abeſt, ille indignus iudicatur officio, quod ipſi eſt commiſſum, & tandem cũ dedecore priuatur illo. 4, vt ſint patientes nõ 4
tantum in ſuſtinendis laboribus, quos officii ratio exigit: ſed maximè in iniuriis ſuperiorum adminiſtrorum, aliorumque aulicorum tolerandis. Patientia enim omnium malorum

eſt victrix, & tandem hominem
vel inuitis inimicis & inuidis e
Et propterea Seneca lib. 2 de Ira
dam veterano Aulico, quod int
modo rariſſimam rem, in aula cõſec
tem, reſponderit: *iniurias ferendo*
do. Quod autem Lipſius lib. 3. I
præter alias qualitates in miniſtri
partim vtibiles, hoc eſt, ſui vſum
functione aliqua exhibeant, pa
primum quidem rectè exigitur;
culiare requiſitum: cum ſub p
nobis poſitis comprehendatur
non rectè exigitur, quatenus auc
fortitudini, vt vitium virtuti.
per audaculum ironicè intellig
concedi poteſt illud requiſitum.

3 *An ſatellitium magiſtratui, pr... ſit neceſſarium?*

Pro theſi affir. Ratio. STatuitur theſis affirmatiua.
1 1, quia magiſtratus eſt perſon
2 præſidium poſtulat. 2, quia mag
ſorum & improborum hominu
qui magiſtratui inſidias & iniu
ſiue vi, ſiue dolo. Ad illas igitur
neceſſe eſt magiſtratum ſatellitib
3 ſeptum. 3, quia ſatellitium imp
riis hominibus metum incutit, n
quid aduerſus magiſtratum tenta
Obiectio. Sed contra hanc ſententiam o
1 ſubditos ſufficere poſſe ad defend
2 ſtratum. Ideoque non opus eſſe

magiſtratum debere ſeſe ſua virtute defende-
re, non externo ſatellitio. 3, ſatellitium magi-
ſtratui occaſionem præbere ad tyrannidem er- 3
ga ſubditos exercendam.

Reſpondeo ad primam obiectionem, ſub- *Reſponſio ad obiectiones.*
ditos non ſemper præſentes eſſe magiſtratui.
Ideoque ad illum defendendum non ſufficere: 1
Imò interdum infideliores eſſe erga magiſtra-
tum, quam exteros. Ad alteram obiectionem 2
reſpondeo, virtutis comites ſæpè eſſe inuidi-
am & odium & id genus alia mala. Ideoq; per
illam ſolam magiſtratum ſeſe extrinſecus de-
fendere non poſſe aduerſus fraudulentas &
clandeſtinas aliorum molitiones. Ad terti- 3
am obiectionem reſpondeo, ſatellitium non
per ſe, ſed per accidens propter improbitaté
magiſtratus occaſionem præbere ad tyranni-
dem erga ſubditos exercendam.

4 *An magiſtratui liceat exploratoribus uti ad rectam officij ſui functionem?*

PRo theſi negante faciunt hæc argumenta; *Pro theſi neg. Argum.*
1, quia barbarum & tyrannicum eſt, paſſim
in angulis Reipublicæ conſtituere explorato- 1
res, qui in cœtum & congreſſum hominum ſe-
ſe callidè inſtar vulpecularum inſinuent; eo-
rúmque dicta & facta obſeruent ac notent, &
poſtea magiſtratui referant. Idcirco etiá Ariſto-
teles lib 5. Pol. c. 11. inter cauſas conſeruandæ ty-
rannis hanc etiam numerat, nempe τὰς κωζωνίπας
ϗ ὠτακουστὰς ἔχειν, *exploratores & corycaos habere.* 2, quia 2
hoc arguit humilem & abiectum in magiſtratu
animum, ſibique malè conſcium. Qui enim

animoſus eſt rectique tenax m
opus habet, vt ſubditorum ſern
3 nes metuat. 3, quia exploratores
minum fallax & ad calumnian
dúmque procliue. Ideoque
lúmniam deferunt, quæ nulla e
4 ra. 4, quia ſubditis ſeruilem m
vt non tantum ſponte ſua magi
5 quam coactè ſeruiant. 5, quia te
mas excitant, hoc eſt, ſubditos
belles aduerſus magiſtratum f
tantum ipſum odio habeant, ſe
6 dio ſublatum cupiant. 6, quia i
tæ, & fortunis inſidiantur, &
ſtratum ad iniuſtitiam ſæuitiam
7 7, quia magiſtratum ſuſpicacen
8 apud ſubditos reddunt. 8, qu
habere nihil aliud eſt, quam ſe
piones in ſinu Reipublicæ fou
9 lupoſque inter oues mittere.
eſt Reipublicæ apertos habere
catos amicos, qui ſub eſca ham
runt; cuiuſmodi ſunt explorato
ſtum & periculoſum eſt tales i
10 lerare. 10, quia pugnat cum li
dignitate ciuitatis & lege chari
ribus & delatoribus in Repub.

Pro theſi af- ſir. Argum. At contra pro theſi affirm
lent hæc argumenta: 1, quia ma
1 tum fieri poteſt noſſe debet n
dictaque & facta ſuorum ſubd
tem ſine exploratorum opera
2 aut difficulter fieri poteſt. 2

tum ſubditorum, quantum per conſcientiam licet, ſeſe accommodare debet magiſtratus, vt quos vi non poteſt regere, obliquo imperio ad parendum adigat. Id autem præſtare non poteſt, niſi ſermones & actiones illorum per exploratorum obſeruationem cognoſcat. 3, quia ſeditionum & proditionum periculis maturè occurrere non poteſt, niſi per exploratores reſciſcat quid inter ſubditos agatur moueaturque: 4, quia magnum & ſalutare ſubſidium Reipublicæ afferunt exploratores, quoties vel inteſtina ſeditio vel improuiſa externi hoſtis inuaſio metuitur. 5, quia ius ciuile lege Papia delatoribus præmia conſtituit, nempè dimidium mulctæ. 6, quia Plato in Repub. ſua exploratores eſſe iubet. 3 4 5 6

Pro deciſione quæſtionis ſciendum eſt magiſtratui licere vti exploratoribus, neque temerè, neque quouis tempore; ſed tunc cum neceſſitas & ſalus Reipublicæ eorum operam exigit, neq; alio modo mala impendentia declinari poſſunt. *Quæſtio deciditur.*

Finis libri III.

POLI-

POLITI

LIBER QVA

CAPVT I

De cura populi.

PRÆCEPT

1 *Hactenus de cauſis rectæ f*
magiſtratui delegati. Sequunt
tes; quarum alia eſt cura togat
litaris.

2 *Cura togata eſt, quæ tempo*
ſtratu adhibetur & exercetur.
μελέτη εἰρηνική.

3 *Eaque verſatur vel circa po*
rem populi.

4 *Cura populi vel reſpicit ſub*
grinos.

5 *Cura ſubditorum vel eſt ge*
cialis.

6 *Generalis verſatur vel ci*
circa mortem ſubditorum.

7 *Cura circa vitam ſubditor*
naturalem vel ciuilem eorum

8 *Cura vitæ naturalis partim generationis, partim victus, partim ſanitatis curam complectitur.*

9 *Cura generationis exigit, vt magiſtratus prouideat; 1, ne matrimonium, niſi perſonæ habiles & idoneæ, & quidem legitimo modo, ineant. 2, ne concubitus illiciti impunè concedatur; & ſic liberis ſpuriis Reſpublica compleatur. 3, ne mulieres grauidæ vel abortum proteruè cauſentur, vel fœtus viuos enecet, aut infantes recens natos temerè exponant. 4, vt obſtetrices idoneas conſtituant, qui parturientiũ curam habeant.*

10 *Cura victus exigit, vt magiſtratus annonæ publicæ curam habeat, omniaq; media eius benè vel paranda, vel aſſeruandæ vel vendendæ vel diſpenſandæ & eroganda procuret.*

11 *Cura ſanitatis exigit vt magiſtratus, quãtum in ſe eſt, omnia media adhibeat, partim conſeruandi ſalubritatem locorum publicorum, in quibus ſubditi verſantur; partim profligandi morbos, quibus ſubditi infeſtantur; cuiusmodi inprimis ſunt mundicies publicorũ locorum, pharmacopolarum & medicorum peritorum ac fidelium ordinatio.*

12 *Cura vitæ ciuilis partim educationem, partim mores, partim tutelam ſubditorum reſpicit.*

13 *Cura educationis exigit,*
ſubditis rectè educandis &
licitus.

14 *Cura morum exigit vt*
videat, ne ſubditi contra p
in Philoſophia practica tradi
piter viuant; ſed potius ſecur
actiones ſuas rectè & honeſt

15 *Cura tutelæ exigit vt ſu*
iniuriis & malis defendan
tur.

16 *Cura circa mortem ſ*
à magiſtratu prouiſionem;
functorum tempeſtiuè & ho
2, vt bona defunctorum re
viduis & pupillis, aliisq; hær
longè abſentibus, ſalua tecta

17 *Adhuc de cura generali ſ*
quitur cura ſpecialis quæ conc
tus partim ordines ſubditoru

18 *Cura cœtuum verſatur v*
niuerſales, cuiusmodi ſunt ſo
rum; vel in vrbibus, vel in
um; vel circa cœtus particul
ſunt familiæ, & collegia.

19 *Vtraq; exigit; 1, vt magiſt*
ſeruandis, exornandis & amp
citus. 2, ne citra ſuum conſen

Digitized by Google

de nouo fieri & institui permittat. 3, vt omnia conuenticula clandeſtina præſertim malo fine & conſilio inſtituta ſeuerè prohibeat.

20 Cura ordinum reſpicit ciues & incolas ſexu, ætate, ſtatu, habitu, facultatibus & vitæ genere inter ſe diſcrepantes.

21 Eaq; exigit, vt magiſtratus ſingulorum inſpectionem habeat, eosq; intra debitos & legitimos vocationis ſuæ terminos contineat ad commune totius Reipublicæ bonum.

22 Cura deniq; peregrinorum poſtulat, vt magiſtratus peregrinis non tantum tutum & ſecurum per territorium ſuum tranſitum, aptaq; & commoda hoſpitia ac diuerſoria procuret: ſed etiam ab omnibus iniuriis ciuium & incolarum eoſdem defendat: imò pro neceſſitatis & dignitatis conſideratione illis quãdoq; tum facultatem habitandi in ſua ditione, tum ius ciuitatis concedat.

1 *An cura populi magiſtratui ſit ſuſcipienda?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia populus eſt primaria pars Reipublicæ: non ſecus ac familia eſt primaria pars domus. 1 2, quia magiſtratus ſuos ſubditos ardenter amare debet non ſecus ac parentes ſuos liberos. Vnde etiam *Pater patriæ* rectè nuncupari ſolet. 3, quia magiſtratus eſt publica perſona: ideoq; omnia ſua conſilia ad publicũ ſubditorum bonũ dirigere debet. 4, quia magiſtratus à populo &

Pro theſi aff. Ratio. 1 2 3 4

populi cauſa conſtituitur. Ide
5 habere debet. 5, quia quod Det
paterfamilias in domo; dux in
nator in naui; medicus in ciuita
ge ouium; id magiſtratus eſt in
Deus curam habet creaturarun
familias ſuæ familiæ; gubernato
dicus hominum ſanitatem vel
recuperare cupientium; paſtor
Ergo etiam magiſtratus popu
6 curam habere debet. 6, quia ne
honorifico magiſtratus indign
curam abiicit.

2 An cura recta ſubditorum g
tineat ad magiſtratu

Pro theſi af-
fir. Ratio.
1 STatuitur theſis affirmatiua.
1, quia recta ſubditorum ge
cipium & fundamentum Reip
2 endæ, conſeruandæ & augend
recta ſatio & plantatio, hortor
2, quia magiſtratus prohibere d
citos & impuros concubitus ex
3 ſcuntur. 3, quia leges matrimon
tis præſcribere debet; per qu
perſonæ idoneæ idoneas in m
cant, nec permittat cuiuis quan
4 cuiuis cuilibet nubere. 4, quia
tionem habere debet & public
5 iectum earum inſtituere. 5, qu
debet vtriuſque ſexus homine
cauſant, vel fœtus perimunt, ve
6 natos exponunt. 6, quia liber

rentibus,ſed etiam Reipublicæ naſcuntur: quippe per quos populus quotidiè deficiens reſtauratur & quodammodo immortalis redditur. Ideoque prouidendum eſt magiſtratui vt legitimè naſcantur neq; Reſpublica ſpuriis impleatur.

3 *An ſpurij in Republica à magiſtratu ſint ferendi?*

PRo theſi negante militant hæc argumenta: 1, quia lex Dei Deuter. 23. prohibet, ne ſpurius feratur in populo Iſraelitico vſq; ad decimã generationem. 2, quia in magnum coniugii dedecus cedit ſi ſpurii in Repub. non minus ac legitimè nati ferantur. 3, quia ſic porta aperitur ſubditis ad vagas & impuras libidines. 4, quia ſpuriorum ingenia, plerunq; ſunt turbulenta & Reipub. pernicioſa, propter malum naſcendi principium & propter neglectam educationẽ. 5, quia olim Athenienſes, Lacedæmonii & Romani ſpuriis libertatis & ciuitatis communicationem denegarunt. Et hoc idem hodie adhuc factitat Reſpub. Venetorum. Idcircò ordinis patritii iuuenes, exacto ætatis anno viceſimo coguntur magiſtratum adire, & duobus teſtib. probare, ſeſe ex parentibus legitimè natos, & non ſpurios eſſe. *Pro theſi neg. Ratio.* 1 2 3 4 5

At contra pro theſi affirmante faciunt hęc argumenta: 1, quia parentum culpam liberi præſtare non debent, vt Deus ipſe teſtatur Ezechielis 18. 2, quia originis infelicitas nihil præiudicare debet virtuti, quæ ſemper eſt legitima. Ideoq; cum ſpurii ſæpè virtute ſuperent alios legitimè natos, ex Repub. non ſunt excludendi. *Pro theſi affir. Argum.* 1 2

5 3, quia hiſtoriæ teſtantur multos olim ob vari in Rempublicam merita pro Heroibus & Se mideis fuiſſe habitos, qui tamen fuerint ſpuri:

Quæſtio deciditur. Pro deciſione quæſtionis ſciendum eſt, ſpu rios in Republica à magiſtratu non tantum to lerari, ſed etiam ad honores & dignitates pro moueri poſſe; ſi vel legitimentur publica auto ritate, vel excellente virtutis ſplendore natiu tatis maculam tegant & obliterent.

4. *An cura annonæ pertineat ad magiſtratum?*

Pro theſi affir. Ratio. STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: quia ſine annonæ cura vita naturalis ſubdi
1 torum commodè tranſigi & conſeruari non po
2 teſt. 2, quia boni paſtoris eſt de ſano & ſufficie te pabulo proſpicere ſuis ouibus. Ergò etian boni magiſtratus eſt de victu ſalubri & neceſſa rio proſpicere ſuis ſubditis. Vnde etiam Reg ab Homero ποιμένες λαῶν, *paſtores populorum* appe
3 lantur. 3, quia magiſtratus præfectos certos & procuratores annonæ conſtituere debet, qui di ligenter obſeruent quæ annonæ publicæ ve prodeſſe vel obeſſe poſſint: quiq; menſurarum & ponderum ad annonam pertinẽtium curam habeant, ne quid fraudis & iniuſtitiæ in iis com
4 mittatur. 4, quia magiſtratus procurare debet vt agri in ſuo territorio diligenter excolantur, & quam fertiliſſimi reddantur, neuè agricola rum operæ impediantur: & ſi qui agri deſert iacent, ad eos occupandos & excolendos vel
5 prĉmiis colonos inuitare. 5, quia magiſtratus an nonæ ſi neceſſaria eſt, ex aliis locis in Rempub. importationem facilem & expeditam reddere debet, vt hac ratione precium ipſius imminua tur. 6, quia animaduertere debet in mercatores

rei frumentariæ, ne annonæ preciũ nimis augeant, vel immodica illius coëptione & ad indigẽtiam aſſeruatione, vel nimia exportatione, vel aliis illicitis modis. Ideoq; etiã ipſi pro varietate & circũſtantia temporum annonæ preciũ conſtituendum eſt, præſertim apud eos, qui panẽ & potum vendunt. 7, quia per ditionẽ ſuam certa granaria conſtituere debet in quib. ad futuram neceſſitatem ſubditorum frumentum recondatur & incorruptũ aſſeruetur. 8, quia tempore neceſſitatis frumentum reconditũ ad ſuccurrendũ indigentiæ ſuorum ſubditorũ tolerabili pretio vendi curare debet. 9, quia pauperum, ne fame affligantur & pereant, curam habere debet. 10, quia vt natus infans nec viuere nec creſcere ſine nutricis lacte poteſt: ſic nec ciuitas ſine agrorum fructib⁹, vt ſapienter Democrati Macedoni preclariſſimo architecto Alexander Magnus reſpõdit. 11, quia populo in Republica famelico, nihil eſt periculoſius: quippe quem neq; magiſtratus, neq; iura diuina & humana, neq; arma, neq; pudor aliquis coercere valet, iuxta illud Lucani: *Neſcit plebs ieiuna timeri.*

7
8
9
10
11

5 An cura circa educationem & vitam ciuilem ſubditorum pertineat ad magiſtratum?

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia fundamentum totius Reipublicæ cõſiſtit in recta ſubditorũ educatione. 2, quia inanis eſt omnis Reipublicæ gubernandæ cura, inanes omnes leges, niſi ſubditi à teneris annis rectè educẽtur. 3, quia vt in ſemẽte tota ſpes meſſis poſita eſt: ita toti⁹ reliquæ vitæ expectatio ab educatione primę ętatis pẽdet. 4, qa magiſtrat⁹ omnes

Pro theſi affir. Ratio. 1 2 3 4

occaſiones, omniaque irritam
quantum in ſe eſt, præcidere
5 tus iis ad varia vitia proritetu
ſtratus operam dare debent
dum præcepta virtutum in Eth
& Politica vitam ciuilem recte
tuant. Ideoq; certis legibus
omnia vitia & flagitia quæ virt
tur & Rempublicam dedecor
cuiuſmodi ſunt; 1, impietas &
ritia. 3, crapula. 4, luxus in con
di & adulterandi libido. 6, la
choreas & ſpectacula ſcenica.
tu. 8, ocium & ignauia. 9, ſur
digalitas. 10, diſcordia. 11, ſcu
& id genus alia.

6 An cura circa ſepulturam ſ
rum pertineat ad magi

Pro theſi af-firm. Ratio. STatuitur theſis affirmatiua
quia magiſtratus curare
1 poſtquam mortui exiſtimanti
efferantur ad ſepulturam, ne
ædibus ſeruentur, præſertim
trumque enim periculoſum
Reipublicæ: illud quidem,
viui interdum pro mortuis ſe
turnum animi deliquium ex
lepſia, vel vteri ſtrangulatione
quatenus facit vt ex cadauer
ædes tetro fœtore ac halitu
2 2, quia certa ſepulturæ loca
tuere debet, in quibus cada

inhumentur: vtque ea pro ſanctis & inuiolatis locis habeantur, prouidere. 3, quia libitinarios & veſpillones certos conſtituere debet, qui cadauera mortuorum loculis incluſa ad locum ſepulturæ deſtinatum efferant & ſepeliant: & ne illi iniurioſi ſint vel in mortuos, vel in viuentes, præſertim tempore peſtis, certis legibus præcauere. 4, quia curare debet magiſtratus vt pompa funebris ſit moderata & honorifica, vt ita decenter & conuenienter mortui ſepeliantur.

3 (beside "locis habeantur")
4 (beside "præcauere")

7 *Vtrum in vrbe, an extra vrbem ſepulchra ſint inſtituenda?*

Pro priore parte quæſtionis. Arg.

PRo priore parte quæſtionis afferuntur hæc argumenta: *1*, quia videtur humanitatis & pietatis ſingulare eſſe argumentum mortuos intra mœnia vrbis retinere & ſepelire. 2, quia reliquos ciues eiusmodi ſepeliendi ratio tum ad mortis meditationem, tum ad parentum ac maiorum æmulationem excitat. 3, quia in honorem mortuorum cedit in ipſa vrbe ſepeliri. 4, quia Lycurgus Spartanorum legiſlator voluit ciues ſuos in vrbe ſepeliri, vt adoleſcentes aſſueſcerent non metuere & horrere mortem. Eandem conſuetudinem obſeruarunt Romani, qui defunctorum corpora vel domi in vaſculis & doliis aſſeruarunt, vel in campo Eſquilino, qui in ipſa vrbe fuit, ſepelierunt. Simuliter Tarentini cum oraculo didiciſſent, *beatiores ſeſe fore ſi cum pluribus habitarent*, intra vrbem mortuos ſuos ſepelire cœperunt.

Pro poſterio-re parte. Argum. At contra pro poſteriore
adducuntur hæc argumenta: 1
1 qui populus Dei erant, perpe
2 tudo fuit mortuos extra vrbem
lire. 2, quia lege 12. tabularu
homo mortuus in vrbe ſepeli
iam Adrianus Imperator, vt
mulctam grandem iis conſtitu
te ſuos ſepelirent: & eadem p
3 inferiorem, qui id fieri paſſus
quia Athenienſes de Solonis
ſepulchrum in vrbe conceſſer
extra vrbem. Eandem con
4 rinthii & alii Græci obſeruatu
tura vrbana valetudini & vitæ
propter halitus fætidos & cop
ueribus mortuorum in ſepulc
bus exhalant, aeremque in q
5 ſantur, inficiunt. 5, quia C.
cœmeteria ante vrbem habue
Chryſoſtomus in ſerm. de fid
Auguſtinus epiſt. 64. Quam
multæ laudatæ Reſpublicæ no
ſeruant.

Quæſtio de-ciditur. Pro deciſione quæſtionis ſ
tur, melius & ſalutarius Reip
tuos extra vrbem, imò etiam
quam in vrbe vel in templo ſ
tamen poſſe nonnullis conc
priuilegii cauſa, vt in vrb
plo humentu

CAPVT II.

De cura veræ religionis.

PRÆCEPTA.

1 *Fuit cura populi. Sequitur cura circa rem populi, quæ in genere duplex eſt, vna rerum ſacrarum: altera rerum ciuilium.*

2 *Cura rerum ſacrarum eſt duplex; vna veræ religionis: altera rei literariæ & ſcholaſticæ.*

3 *Cura veræ religionis requirit, vt magiſtratus, præſertim ſummus de pura religione in Repub. inſtituenda, conſeruanda & propaganda ſit ſolicitus.*

4 *Eaq; perficitur partim curâ Eccleſiarum, partim curâ templorum.*

5 *Cura Eccleſiarum conſiſtit in libero & publico veræ religionis exercitio inſtituendo & conſeruando.*

6 *Eaq; perficitur partim cura introducendi & conſeruandi in Eccleſia doctrinam & diſciplinam Chriſtianam: partim cura vocandi & alendi miniſtros pios & idoneos Eccleſiæ.*

7 *Cura templorum conſiſtit partim in ipſorum ædificiorum extructione, reparatione & purgatione neceſſaria & conueniente: partim in bonorum Eccleſiaſticorum collectione, conſeruatione, amplificatione, rectoq; vſu.*

1 *An*

1 An cura religionis, præſerti
inter ſubditos colenda m
ſit habenda?

Pro theſi af- ſir. Ratio. STatuitur theſis affirmatiua.
quia in omni Repub. prima
1 rerum diuinarum, vt docet Ari
2 litic. 2, quia religio eſt prima
uans Reipub. imò fundament
culum ipſius, vt teſtatur *Plato li*
circò etiam Machiauellus lib.
Polit. cap. 12. ait: *Quicunq; Pri*
ſemetipſos conſeruare cupiunt, in i
ris incumbere debent, vt verùm re
ſtè inſtituant & venerentur: nec
Reipublicæ alicuius ruina & interi
re poteris, quam ſi in ea diuinun
3 *habere & ſperni cognoueris.* 3, qu
noſtra conſtat, vt ait *Plinius lib.*
la religio homines à beſtiis diſc
non admittit, alienus eſt à nat
vitam pecudum ſub humana ſp
bit *Lactantius lib. 2. Inſtit. cap. 3.*
4 *cap. 7. & 8.* 4, quia nulla fuit v
quæ aliquam ſpeciem legitima
nis habuerit, nullum regnum a
non fuerit primum hoc religi
5 fundamentum. 5, quia legiſlat
leges præſcripſerunt, nunqua
rebus diuinis leges vt præcipu
6 per illas de aliis conſtitutas firm
ſine religione neq; fides, neq;
mines, neq; ipſa generis huma

ſeruari poteſt, vt teſtatur *Cicero lib. 1. de natura Deorum*. Imò ſublata religione, vita hominum ſtultitia, ſcelere & immanitate completur, vt ait *Lactantius*. Vbi enim quiſpiam cœpit excutere timorem vel honorem Dei, vel diuini numinis reuerentiam, omnia ſibi licere putabit, dummodò latere homines, quæ malè agit arbitretur, nec numinis vindictam timebit. 7, quia vera religio eſt fons & radix omnium virtutum omniſque veræ felicitatis. 8, quia vera religio multum adiumenti affert ad bene imperãdum & parendum, quatenus deducit homines in cognitionem ſupremi monarchæ Dei, cuius imperio omnes ſunt ſubiecti, & cui tanquam infallibili Iudici ſinguli vitæ ante actæ rationem aliquando ſunt reddituri. 9, quia illa Reſpublica Deum propitium & fauentem experitur, in qua veræ religionis ſtudium viget: contra verò illa Reſpub. iræ & maledictioni diuinæ eſt ſubiecta, in qua vera religio negligitur & contemnitur. 10, quia magiſtratus cuſtos eſſe debet non tantum ſecundæ, ſed etiam primæ tabulæ decalogi, totamq; Reipub. gubernationem ad gloriam Dei tanquam vltimum omnium rerũ finem dirigere: præſertim cum ſciat ſe eſſe vicarium Dei, hoc eſt, perſonam Dei in terris repræſentare. 11, quia vera religio eſt propugnaculum magiſtratus & vinculum legis ac diſciplinæ honeſtæ, vt docet *Plato lib. 4. de Repub. & lib. 8. de legibus*. 12, quia religio ſubditos alacres facit ad contemnendas omnes res humanas, ſtrenueq; pro aris & focis vſq; ad ſanguinem pugnandum. 13, quia *Plato lib. 2. de Repub.* præci-

(Margin numbers: 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13)

puam curam in Repub. de relig
dam eſſe docet. Et Leo primus
manus ad Leonem Imperator
ſcribit: *Debes Imperator incuncta*
giam poteſtatem tibi non ſolum ad
ſed maximè ad Eccleſiæ præſidium c
Iſodorus lib. 3. de ſummo bono
ſcēt Principes ſeculi Deo debere ſe ra
pter Eccleſiam, quam à Chriſto tue

Obiectio. At vero contra hanc ſententi
obiici poteſt, curam veræ religio
tos colendæ alienam eſſe ab off
Politici, & ad perſonas tantū Ec
priè pertinere: niſi quis velit
quod ſpirituale eſt & cœleſte, c
Solutio obiectionis. dano & terreno confundere. Re
ſtinctionē, curam veræ religion
colendæ non ſimpliciter, direċ
ad magiſtratum Politicum pert
ſecūdum quid, indirectè, & me
nimirum vt inſpector & prouiſ
ſolicitus eſſe debet, vt in ſuæ R
vera religio vigeat, conſeruetu
& ſic Deo, quæ Dei ſunt, à ſubd

2 *An vna tantum Religio in qua*
giſtratu permittenda, publiceq;

Pro theſi affir. Argum. PRo theſi affirmante faciunt
1 1, quia Deus non niſi vnam
bo ſuo hominib. præſcripſit &
didit. Ergò etiam magiſtratus
eſt, non niſi vnam religionem i
2 mittere debet. 2, quia magiſtrat
vtriusq; tabulæ decalogi oblig
tantum religionem. quæ virtu

eſt, publicæque ac priuatæ iuſtitiæ ac felicitatis cauſa, in ſua Repub. defendendã & propagandam. Illa autẽ non eſt niſi vna, quę ſtatim à creatione hominis ortum ſuum habuit, & ſemper inter pios conſeruata fuit. 3, quia vnitas religionis eſt vinculum pacis & concordiæ inter ſubditos colendæ: diuerſitas verò eſt cauſa diſſidii & diſcordiæ. 4, quia nulla falſa religio in Repub. à magiſtratu eſt toleranda, ne ſubditi à veri Dei cultu in errores deducãtur, & in æternæ damnationis barathrum præcipitentur: præſertim, cũ Deus propter falſam religionẽ ſoleat regna non tantũ grauiſſimis calamitatib. affligere; ſed etiã funditus euertere, vt hiſtoriæ teſtãtur. Ergò ſola vera religio eſt cõcedẽda. 5, quia Theodoſius Imperator & Cõſtantinus magnus vbiq; laudantur, quod præter vnã verã religionẽ à ſe agnitã omnis ꝓfanę & in verbo Dei vetitæ religionis ſeu ſuperſtitionis exercitia edicto publico ꝓhibuerunt. 3 4 5

At contra pro theſi negãte adduci poſſunt hęc argumẽta: 1, quia Deus ipſe, qui rex eſt regum & Dominus dominantiũ, in ſua Repub. mundana omnib. ſeculis diuerſas religiones publicè exerceri paſſus eſt. Ergo illi⁹ exẽplũ magiſtratus etiã Politicus, tanquã vicarius Dei imitari debet. 2, quia cõtraria iuxta ſe poſita magis elucеſcũt. Ideoq; ſicut veritas & falſitas, bonũ & malũ in mũdo vbiq; locorũ ex permiſſu Dei vigent, & ſic ex mutua inter ſe collatione melius hominib. innoteſcunt; Ita etiam vera & falſa religio in Repub. ſimul tolerãda eſſe videtur, vt inter ſe cõparatæ rectius dignoſci & diiudicari poſſint. 3, quia adhuc ſub Iudice lis eſt, penes quem populũ ſit verę religionis profeſſio. Nullus enim popul⁹ in *Pro theſi neg. Argum.* 1 2 3

mundo reperitur, qui ſuam re
eſſe non indicet. Ideoq; cum h
ſit deciſio, à magiſtratus arbit
ſed à Deo; eiuſq; verbo rectè i
4 ſtratus diuerſas religiones per
quia publica diuerſarum relig
tio à magiſtratu facta occaſion
cem & tranquillitatem publi
diſturbandam, turbasq; & ſedi
excitandas. Nihil enim eſt in
num, quod plus virium habea
nis perſuaſio. Ideoq; ab ea diſ
ri ſe patiuntur: præſertim cùm
optima videatur, & non ratio
5 ſingulis diiudicetur. 5, quia l
optimos reges & magiſtratus,
fuerunt Gratianus & Iouianu
noſtro tempore Carolus quin
religionum exercitium publ
Romano permiſiſſe, vt ita pa
retur, & ſeditiones inteſtinæ v

Quæſtio deciditur per theorem.

Pro deciſione quæſtionis
quentia hypomnemata: 1, R
1 eſſe veram, aliam falſam: &
2 theiſmum & epicuriſmum, hō
impietatem & profanitatem.
ram nihil aliud eſſe quàm rect
qui & ab homine ſecundum p
3 diuini eſt præſtandus. 3, relig
am eſſe internam, aliam exter
abſque interna Deo non place
4 ab hac non eſſe ſeparandam.
ram aliam eſſe puram, aliam

ſolutè, ſiue comparatè. 5, religionem abſolutè puram eſſe, quæ verbo Dei, omni ex parte eſt conſentanea: impuram, quæ verbo Dei, non omni ex parte eſt conſentanea. 6, religionem comparatè puram vel impuram eſſe, quæ magis vel minus verbo Dei eſt conueniens vel inconueniens. 7, religionem veram duntaxat eſſe vnam, ſi intelligatur de religione interna & ſecundum eſſentiam ſuam conſiderata: multiplicem verò, ſi intelligatur de religione externa, & ſecundum accidentia conſiderata. 8, religionē veram & puram æſtimandam eſſe, non ex multitudine & homodoxia hominum eandem doctrinam amplectentium & profitentium; ſed primariò ex congruentia illius cum verbo Dei: ſecundariò verò ex harmonico hominum in articulis fundamentalibus doctrinæ Chriſtianæ conſenſu, vitæq; integritate & ſanctitate. 9, In nulla Repub. locum concedendum eſſe, neque falſæ religioni, neq; epicuriſmo: ſed vtrumque vitium, quantum fieri poteſt, à magiſtratu eſſe extirpandum. 10, in qualibet Repub. ſolius veræ & puræ religionis exercitium publicum à magiſtratu eſſe approbandum, ſubditisq; concedendum. Interim tamen vrgente ſumma temporum, aliarumq; circumſtantiarum neceſſitate poſſe magiſtratum ſalua conſcientia religionis minus puræ exercitium tam publicum, quam priuatum ſubditis permittere, imitatum hac in parte exemplum Nauarchi periti, qui cū videt ob vim tempeſtatis aduerſæ præſentis ſe curſum directum in mari tenere nō poſſe, obliquo & indirecto vtitur, aut planè tempeſtati ce-

dit, ne nauis in periculum extremum deducatur.

3 *An magiſtratus ſubditos ſuos ad veram religionem cogere debeat?*

Theſi aff. Argum.

PRo theſi affirmante faciunt hæc argumenta: 1, quia magiſtratus eſt miniſter & vicarius Dei ordinatus ad bonum ſubditorum promouendum. Iam autem nihil melius & ſalutarius eſt ſubditis, quam vt ab impietate & falſa religione abducantur, & in vera religione inſtituantur. Proinde ſi ſubditi nullis admonitionibus ex verbo Dei depromptis adduci poſſint, vt verā religionem amplectantur, à magiſtratu ſunt cogendi.
2 2, quia magiſtratus poteſtatem imperãdi à Deo ſibi conceſſam conuertere debet ad regnum Dei amplificandum. Inter modos autem amplificandi regnū Dei non poſtremus eſt ſubditorum ad veram religionem coactio. Et propterea etiam legimus Lucæ 12. hominem ſeu regem, qui nuptias filio ſuo parauerat multoſq; ad illas inuitauerat, tãdem ad ſeruum dixiſſe: *ἀνάγκασον εἰσελθεῖν, coge, ſeu cōpelle intrare homines*, quos
3 inueneris, vt cōpleatur domus mea. 3, quia magiſtratus eſt paſtor populi. Sicut igitur paſtor ouem errantem in rectā viam vel inuitam reducere debet: ita etiam magiſtratus ſubditos errãtes ad veram religionem, vel inuitos, compellere
4 re debet. 4, quia magiſtratus eſt pater patriæ. Sicut igitur patri licitum eſt cogere filium ſuum, vt ad ſcholam eat: ita etiam magiſtratui licitum
5 eſt ſubditos ad veram religionem cogere. 5, quia magiſtratus ad legum obſeruationem cogere poteſt ſubditos. Ergò etiam ad veram religionē.

At

At contra pro theſi negante afferri ſolent hæc argumenta: 1, quia magiſtratui non eſt conceſſũ dominium in animos ſubditorum. Ideoq; non debet eſſe iudex alienæ conſcientiæ, nec dominus alienæ fidei. 2, quia religio vera eſt cult⁹ Dei ſpontaneus & voluntarius. Ideoq; ad eam amplectendã nemo cogi poteſt. 3, quia veræ religionis ſtudium non niſi docendo, monendo & perſuadendo homini implãtari poteſt. 4, quia magiſtratus non poteſt vlla externa vi regenerare hominem, eumq; Chriſtianum efficere. 5, quia Deus ipſe, qui ſummus eſt mũdi monarcha neminẽ cogit ad veram religionẽ amplectẽdã, ſed eam libero hominis arbitrio ſubiicit. Ergo neq; magiſtrat⁹ qui vicari⁹ Dei eſt, hoc facere debet. 6, quia quicquid homo coactè facit, id Deo non eſt gratũ. 7, quia Apoſtoli ſine opera magiſtratus Euangelium prædicarunt & per illud Chriſtianã religionem in toto terrarũ orbe diſſeminarunt. 8, quia ſecundum Bernhardũ in Cãtica, *fides ſuadenda eſt, nõ imperãda*. Et benè olim rex Theodericus dixit: *Religionẽ imperare nõ poſſumus: quia nemo cogitur, vt credat inuitus*. In quam ſententiã etiã Lactantius lib. 5. c. 14. ait: *Quis imperat mihi neceſſitatẽ vel credẽdi quod nolim, vel quod velim, nõ credẽdi?* Itẽ: *Nihil tã voluntariũ quàm Religio: à qua ſi animus auerſus eſt, iã ſublata, iã nulla eſt*. Vnde etiã ab Auguſtino in Iohannẽ, *mentiũ rex ſolus Deus eſſe* dicitur.

Pro theſi neg. Argum. 1 2 3 4 5 6 7 8

Pro deciſione quæſtionis obſeruãda ſunt aliquot theoremata: 1, coactionem eſſe duplicem, vnam propriè dictam, quæ fit per vim externam contra propenſionem naturalem aut voluntatẽ eius, qui cogitur, & propriè dici *violentã*: alteram

Quæſtio deciditur per theoremata. 1

impropriè dictam, quæ ſit ve
perſuaſoriis, quibus homo ad
tiendum, vel diſſentiendum,
nolendum id quod ſuadetur,
Et hanc dici poſſe perſuaſoriam
quo ſenſu amicus amicum ad
nire cogit: & medicus ægrotu
ſumere cogit. Et de tali coact
ligendum eſſe non tantum di
ſupra ex cap. 12. Lucæ citatum
iam illud Pauli, quod habetur
ad Corinth. v. 4. & 5. cum ait, *a*
eſſe carnalia, ſed diuinitus valid
munitionum, &c. Quibus ve
ma militiæ ſuæ, quæ ſpiritualis
nalia; ſed ſpiritualia & diuina
ad demoliendum, quicquid ad
cœleſtem munitum videtur.
gnari & ſubuerti fallaces & ca
impiorum cogitationes & rati
eoq; omne humanæ ſapientiæ
aduerſus ſapientiam Dei in eua
erigitur & extollitur. His eti
mum quaſi captiuum duci ad
ſto.
2 2, diſtinguendum eſſe int
nem veram, & media à Deo o
homo ad religionem veram de
rum alia ſunt externa, vt frequ
tus verbi diuini publicè prædic
attēta cōſideratio verbi diuini
3 ti, rectum de eo iudicium, aſſe
bitus, voluntas amplectendi re
magiſtratum Politicū directè

ternam neq; poſſe, neq; debere ſubditos ſuos cogere ad veram religionem amplectendam: poſſe tamen & debere ex officii ratione eoſdem cogere ad media externa perſequenda, per quæ Deus ordinariè vult hominem ad veram religionem deducere. Illa enim pertinent ad diſciplinam externam, cuius cura magiſtratui commiſſa, iiſque homo vel inuitus vti poteſt. 4, magiſtratum Politicum poſſe & debere ex officii ratioue bono exemplo non tantum ſubditis ſuis præire; ſed etiam procurare, vt ipſi per miniſtros Eccleſiæ verbum Dei rectè & perſpicuè docentes, verbis & rationibus perſuaſoriis ad veram religionem amplectendam cogantur. 4

4 *An magiſtratus religionis cauſa inquiſitionem inſtituere debeat in conſcientias ſubditorum?*

PRo theſi affirmante afferri poſſunt hæc argumenta: 1, quia magiſtratus ſolicitus eſſe debet non tantum de fortunis & corporibus ſubditorum; ſed etiam de ſalute animarum. Illa autem ſolicitudo exigit inquiſitioné; vt ſciat cuius religionis quilibet ſint ſubditi. 2, quia magiſtratus eſt pater patriæ. Sicut igitur patris officium exigit, vt diligenter inquirat in mores & religionem ſuorum liberorum, vt cognoſcat, vtrum ſint probi an improbi, pii, an impii: Ita etiam magiſtratus officium poſtulat, vt ſedulò inquirat in mores & religionem ſuorum ſubditorum. 3, quia magiſtratus eſt paſtor populi. Sicut igitur paſtor inquirere debet in qualitates ſuarum ouium, vt ſciat, vtrum omnes ſint ſanæ, an verò aliquæ morbidæ, & quænam illæ ſint:

Pro theſi aſſir. Argum. 1 2 3

Ita etiá magiſtratus debet inqu
nem ſuorum ſubditorum, vt ſci
ſint veræ & puræ religionis; an v
4 ſæ vel impuræ. 4, quia magiſtr
populi. Sicut igitur medicus ac
debet in morbum ægroti, vt eiu
ſas rectè cognoſcat, & ſic ido
preſcribere poſſit: Ita etiam ma
bos animi ſuorum ſubditorū
vt iis cognitis de remediis con
hibendis curam ſuſcipiat.

Pro theſi neg. Argum.
At pro theſi negante adduc
1 gumenta: 1, quia magiſtratus no
in mentes & conſcientias ſubd.
in illorum fortunas, corpora, vi
2 2, quia occulta peccata tam inte
moralia, neque Eccleſia ipſa d
re, vel iudicare; ſed ſoli Deo iu
3 re. Ergo multo minus magiſtra
ſtratus nō poteſt per vim exter
ditos ad religionem veram am
que vana & ſuperuacanea eſt i
4 tias ſubditorum inquiſitio. 4, q
loſa & noxia eſt eiuſmodi inq
metu & terrore ſuo, quem inc
diti, qui in religione recepta di
conſcientiā animi ſui ſenſum d
quidē fateātur eandē religionē

Quæſtio decidetur per diſtinct.
Pro deciſione quæſtionis no
ſitionem in religionem aliorum
vnam, amicabilē & ſpōtaneam
tura, ex bono animo, & in cōm
dirigitur: alteram, hoſtilem & v

per torturam, ex malo animo & in perniciē eius, in quē dirigitur. De priore aliquo modo cōcedi poteſt, quod licita ſit magiſtratui, quatenus nimirum hanc cōmittit Eccleſiaſticis perſonis, ad quas animorū cura directè & immediatè pertinet. De poſteriore verò negatur. Et propterea *Lipſius* lib. 4. Pol. c. 4. docet *nō anxiè nimis eſſe inquirendū à Principe in ſubditos religionis cauſa, cū non ex vſu videatur, & doctore magis his opus ſit, quā tortorē.* Ideoq; etiā addit, *viā docendi & ducendi eſſe mitiorē, & tutiorē: cum fides ſuadenda ſit, non imperanda.*

5 *An magiſtratus eos, qui in doctrina & religione Chriſtiana diſſentiunt, perſequi & punire debeat?*

PRo theſi affirmante faciunt hæc argumenta: 1, quia magiſtratus eſt miniſter & vicarius Dei ad puniendum malum ordinatus. Nihil autem eſt pernitioſius iis, qui in doctrina & religione Chriſtiana diſſentiunt. 2, quia magiſtratus auertere & propulſare debet omnia mala, quæ faciunt partim ad blaſphemandum nomen Dei ſanctiſſimum, gloriamque eius obſcurandam, partim ad regnum Chriſti deſtruendum, doctrinamque & religionem veram adulterandam & corrumpendam; partim ad ſeducendum ſubditos à vera fide, & in æternum animarum exitium præcipitandum; partim ad vnitatem Eccleſiæ Chriſtianæ diſſoluendam; partim deniq; ad pacem & tranquillitatem turbandam. Talia autem mala oriuntur ex iis, qui in doctrina & religione Chriſtiana diſſentiunt. 3, quia magiſtratus curare debet, vt verbum

Pro theſi aſfir. Argum. 1 2 3

Dei pure & ſyncere in Eccleſiis
blicè prædicetur, veræq; religi
inter ſubditos ſine vllo impedi
ruptela vigeat. Id autem fieri
eos, qui in doctrina & religion
ſentiunt, & à quibus alii infici
4 quatur & puniat, 4, quia mag
populi. Sicut igitur Paſtor ou
reliquis ſanis ſegregat, ne eiu
grex inficiatur: Ita etiam mag
in doctrina & religione Chriſti
remouere & excludere debet,
lus per falſa & erronea illorum
5 tur. 5, quia magiſtratus eſt med
cut igitur medicus membrum
curabile ſecat aut vrit, ne eius
membra corrumpantur; & ſic to
minis in extremum vitæ pericu
Ita etiam magiſtratus eos, qui i
6 ligione Chriſtiana diſſentiunt,
bra putrida reſecare debet à co
reliqua membra in fide ſana er
inficiantur; & ſic totum corpu
6 diſcrimen veniat, 6, quia mag
Deuter. 13. ſe executor legis diuinæ. Lex a
& 17. git, vt pſeudoprophetæ aliiq; b
Ierem. 14. nes, imo quicunq; ſanæ Euang
7 pugnant, puniantur. 7, quia m
uo teſtamento non minorem
bet, quam magiſtratus in veteri
autem poteſtatem habebat pu
tras & blaſphemos, adeoq; eos
8 & religione diſſentiebât. Ergo e

ſi magiſtratus non perſequeretur & puniret eos, qui in doctrina & religione Chriſtiana diſſentiunt, metuendum eſſet, ne vetuſtate errorum planè obdurarentur, & ſic ad capeſſendam viã ſalutis ſegnius mouerentur. 9, quia crudelis eſt miſericordia non punire malefactores; ideoque magiſtratus cauere debet, ne intempeſtiua miſericordia vtatur erga impœnitentes hæreticos, vbi ſeueritatem in iis puniendis adhibere debet. 10, quia magiſtratus poteſtatem à Deo conceſſam conuertere debet ad gloriam diuini nominis amplificandum, & ad contemptum ac ignomiam verbi diuini vlciſcendum. Id autem facere non poteſt, ſi hæreticos non vult perſequi & punire. 11, quia magiſtratus ſolicitè procurare debet, vt mater Eccleſia, à qua ſpiritualiter eſt genitus, pacata & tranquilla maneat. Id autem fieri non poteſt, ſi ſectariis impunitatem concedat. 12, quia magiſtratus punit fures, latrones, homicidas, adulteros, periuros, alioſq; flagitioſos homines. Ergò multò magis punire debet hoſtes veritatis cœleſtis, qui nomen & doctrinam Dei blaſphemant, & quantum in ipſis eſt, animas Chriſti ſanguine redemptas diabolica ſua hæreſi occidunt. Alioquin enim Deo iuſtas officii ſui adminiſtrati rationes reddere non poſſunt. 13, quia niſi magiſtratus puniat eos, qui in doctrina & religione Chriſtiana diſſentiunt, pro iis tandem ipſe à Deo punietur.

At contra pro theſi negante adduci ſolent hæc argumenta; 1, quia magiſtratus non eſt mentium dominus & iudex in fidei negotio à Deo conſtitutus. Ideoq; etiam ſubditos ex ſimplici

Pro theſi neg. Argum.

errore mentis in doctrina & re
2 entes perſequi & punire non de
vera eſt donum Dei, eiuſq; opu
quod non omnibus, ſed tantu
datur. Ideoq; cum homo non
accipere, *niſi ei datum ſit ex cœlo*, v
3. iniquum eſt magiſtratum eo
3 des non reperitur perſequi & p
giſtratus poteſtatem habet pu
licta moralia externa; non aute
lia interna: multò minus pecca
Ergò quatenus diſſenſio in doc
Chriſtiana tantum eſt peccatu
aut ſaltem peccatum morale in
4 ſtratu puniri non debet. 4, quia
narum irrogatione & metu re
ſubditos poteſt ab externa fide
ſuarum confeſſione: ſed errore
tollere non poteſt. Ideoq; ex iis
5 niſi ſimulatores & diſſimulato
magiſtratus Turcas, Iudæos, ep
auaros (quos ſcriptura *Idololatr*
oſq; improbos & diſſolutæ vi
Repub. impunè tolerat. Ergò
impune tolerare debet, qui e
Chriſtum nobiſcum confiten
ſcelere agunt; cuiuſmodi ſunt
licubi in doctrina & religione
6 diſſentiunt. 6, quia valdè peric
eſt, præſertim in foro conſcien
nis gratia perſequi & punire: cu
tus ex errore mentis ſub ſpecie
ligionis falſam & impuram de

tione veros Dei cultores tanquã impios & blaſphemos; imò ipſum Chriſtum, in ſuis mẽbris tãquã impoſtorẽ ſeditioſum perſequatur. 7, quia 7
lex charitatis Chriſtianæ requirit, vt magiſtratus errantium miſereatur, & non tam de iis perſequendis & puniendis, quam in viam veritatis cũ omni manſuetudine reducendis ſit ſolicitus. 8, 8
quia lex Dei & naturæ requirit, vt quales volumus alios eſſe ergà nos, tales etiã nos erga alios ſimus. Iam autem magiſtratus non vult, vt alius ſuperior & potentior religionis cauſa ſeipſum & ſubditos perſequatur: Ergò neque ipſe debet alios, nimirum ſubditos ſuos ſe inferiores & impotentiores religionis cauſa perſequi. 9, quia 9
ab initio mundi ſemper boni à malis religionis cauſa infeſtati ſunt: non autem mali à bonis, vt patet in exemplo Abelis & Caini, item Iſaaci & Iſmaelis. Ne igitur magiſtratus quoque ex numero bonorum excludatur, & in cenſu malorum habeatur; cauere debet ſibi à perſecutione aliorum religionis cauſa ſuſcepta. 10, 10
quia vera religio & fides eſt res ſpiritualis. Ideoque etiam non gladio corporali magiſtratus, ſed armis ſpiritualibus verbi diuini, omniumque virtutum Chriſtianarum, maximè charitatis & patientiæ eſt propaganda & defendenda: præſertim cum nullis pœnis corporalibus vera fides in animum hominum induci poſſit, neq; incredulitas ex eo eradicari.

Quæſtio decidítur per diſtinct.

Pro deciſione quæſtionis, quę valdè ardua eſt & lubrica notãdum eſt, tria eſſe genera hominũ qui in doctrina & religione Chriſtiana ab aliis diſſentiunt. Vnũ genus eſt eorũ, qui ſimpliciter

Tria ſunt genera hominũ in doct. & relig. Chriſt. diſſentientium.

1

reiiciunt & contemnunt doct
nem veram & Chriſtianam,e
& conuiciis proſcindunt; cuiu
2 & Epicuræi, qui nullam religi
terum genus eſt eorum,qui qu
religionem Chriſtianam pr
corrupto mentis iudicio inſ
pluribus eiuſdem capitibus fal
opinionem fouent. Et hi ru
Secundum genus ſubdiuiditur. Alii enim opinionem falſam
mo conceptam ſecum priuati
in vulgus ſpargunt. Alii verò
publicè profitentur, atq; inter
exiſtimantes illam eſſe veram,
ſentaneam : idq; faciunt anim
3 alios, ſed propagandi veritate
nus eſt eorum, qui doctrina
Chriſtianam quidem non reii
cum erroribus mentis ſeu pecc
bus flagitia moralia coniung
Tertium genus ſubdiuiditur. ſunt duplices. Alii enim inſ
& auaritia; alii ſcientes ex am
tia falſa & erronea dogmata ſp
dunt: Sed vtriq; deliberato
turbas perniciosas in Eccleſia &
ac etiamſi ſæpè ac fideliter adm
ſtituantur, vt errores & mores
tamen pertinaciter in ſuo inſti
neq; vllis vel admonitionibus,
verbo Dei depromptis locum
De primo & tertio genere i
ligione Chriſtiana errantium,

a magiſtratu ex officii ratione ſunt puniendi: de ſecundo autem non itidem.

Hinc Lipſius lib. 4. Polit. c. 3. vbi eandem quæſtionem tractat, diſtinguit inter *turbones* & *erroneos*. Illos vocat, qui & ipſi malè de Deo receptisq; ſacris ſentiunt, & alios ad ſentiendum impellunt: Hos verò, qui pariter malè ſentiũt, ſed ſibi. Ac priores quidem affirmat à principe ſemper eſſe puniendos, niſi metus à turbis impediat: poſteriores verò negat eſſe puniendos, cap. 4. eiuſdem libri. Sed in illa diſtinctione Lipſiana multa confunduntur, quæ accuratius erant diſtinguenda, vt patet ex diſtinctione ſupra tradita. Ideoq; neq; eius deciſio omni ex parte eſt vera & iuſta. *Lipſii deciſio examinatur.*

6 *An magiſtratus hæreticos capitali ſupplicio afficere debeat?*

PRo theſi affirmante afferuntur hæc argumẽta: 1, quia lex Dei hoc ſeuerè exigit, præſertim Deuter. 13. & 17. In priore enim loco præcipit Deus per Moſen, vt nulli autori apoſtaſiæ, hoc eſt, nulli, qui defectum à vera religione ſuadet, quantumuis coniuncto & charo; imò nec aliis, quia à vera religione deficiunt, parcatur: ſed vt in eos capitale ſupplicium ſtatuatur: ſimulq; addit v. 7. & 11. cauſam finalem cur hoc ſit faciendum, nimirum vt malum illud è medio populi Iſraelitici tollatur, & alii à ſimili delicto deterreantur. In poſteriore verò loco mãdat, vt omnes idololatrę poſt accuratam & legitimam inquiſitionem, morte afficiantur. 2, quia exempla piorum Regum in veteri teſtamento *Pro theſi affir. Argum.* 1 2

hoc ſuadent, cuiusmodi inpri
Iehu, Ioſaphat & Ioſias: quib.
Nebucadònoſor, qui publico
natus eſt iis, qui Deum Danieli
3 3, quia mag:ſtratus poteſtatē h.
plicio afficiendi adulteros, fure
ditioſos blaſphemos, aliosq; m
roſos homines. Ergò etiam hæ
hæreſis inter opera carnis num
minus ac ſeditio, homicidium
gladio digna. Imo hæreſis pern
or eſt furto, adulterio & homic
nim homo à veritate ad menda
Diabolum deducitur, vbi ipſi c
nima eſt pereundũ. Vnde etia
ho:ribilis blaſphemia aduerſus
cu:m ea ſemper coniuncta eſt ſe
bonorum morum, perturbatio
4 publicæ, & alia id genus mala.
tus imitari debet chirurgos,
corporis deſperatum & inſana
runt, ne eius contagio reliqua
5 totum corpus inficiatur & corr
magiſtratus debet capitali ſu
eos, qui à Diabolo ſunt excæca
ouillæ pellis falſos articulos fi
contra Chriſtum & apertum
fendunt. Tales autem ſunt hæ

[illegible]ineg. [illegible]

At pro theſi negante adduci
gumenta: 1, quia magiſtratus
1 Deo conſtitutus in cauſis Eccle
2 tualibus: ſed tantum in cauſis
que ius non habet hæreticos ca

efficiendi. 2, quia Chriſtus prohibet hæreticos occidere, dum Zizania iubet non euellere, ſed relinquere vſque ad tempus meſſis. 3, quia multi habentur pro hæreticis, qui tamen hæretici non ſunt, ſed diſcipuli Chriſti & patroni veritatis cœleſtis. Ideoque cum homo facilè errare poſſit in diſcernendis veris & falſis hæreticis: idcirco magiſtratus neminem propter ſolā hæreſin, cuius accuſatur, mortis damnare debet. 4, quia magiſtratus nulli hæretico intercludere debet viam agnoſcendi ſuum errorem & perueniendi in cognitionem veritatis. Id autem facit magiſtratus, ſi vitam ei propter ſolam hæreſin adimat. 5, quia magiſtratus ad exemplum Dei patienter expectare debet correctionem hæreticorum, neque iis ſimul cum vita corporis, animæ ſalutem, aut ſaltem eius conſequendæ occaſionem eripere. Id autem facit ſi eos tanquam hæreticos ante agnitionē erroris morte afficiat. 6, quia magiſtratus non punire debet eos, qui verum Deum, eiuſq; filium Ieſum Chriſtum nobiſcum confitentur & colunt. Tales autem ſunt pleriq; eorum, qui pro hæreticis habentur. 7, quia magiſtratus in tractandis hæreticis imitari debet exemplum boni paſtoris, qui morbidas oues non occidit, ſed quantum in ſe eſt, adhibito remedio curat & ſanat.

Pro deciſione quęſtionis notādū eſt: 1, hæreticos vulgò in genere dici, qui errorē pugnantē cū fundamēto doctrinæ & relig. Chriſtianę fouēt & defēdūt. Ex his verò alios eſſe autores hęreſis: alios verò eiuſdē dūtaxat approbatores & ſectatores. Rurſus, ex vtriſq; alios hæreſin ſuā ſecum priuatim

Queſtio deciditur per diſtinct. hæreticorum. 1

bus, præſertim plebæis & imperitis ad idololatriam. 6, quia magiſtratus non debet concedere, vt Deus alio modo colatur, quam in verbo ſuo ſe patefecit. Iam autem Deus nuſpiam vult per imagines coli, ſiue pictas, ſiue ſculptas, ſiue alio modo factas. Proinde licitum eſt magiſtratui imagines ex templis remouere. 6

Pro theſi neg. Argum.

At cõtra pro theſi negante adduci ſolent hæc argumenta: 1, quia imagines per ſe non ſunt malæ: tum, quia Deus ipſe author eſt imaginũ tam naturalium, quam artificialium: tum, quia ipſe iuſſit fieri imagines Cherubin ſuper arcam fœderis, *Exod. 25.* ſerpentem æneum, *Num. 21.* tum, quia ſunt res ſecundum naturam, & neceſſariæ: præſertim cum ſine imaginibus homo nihil poſſit neque per ſenſum, neq; per intellectum cognoſcere. 2, quia imagines in templis collocatæ, deſtinatæ ſunt ad ſignificandum & repræſentandum rem aliquam ſacram, ſiue perſonam, ſiue hiſtoriam, eiuſq; memoriam, amorem & imitationem excitandum. 3, quia imagines in templis collocatæ ſunt libri Idiotarum, quatenus eos in meliorem & faciliorem cognitionem rerum ſacrarum deducunt. 4, quia inſeruiunt cultui Dei, hominesq; auocant à profanis & vanis cogitationibus ad meditationem rerum ſacrarum. 5, quia per cultum imaginum ſacrarum coluntur & honorantur res ipſæ ſacræ, quarum ſunt imagines: ſicut contra, per earũdem dehoneſtationem dehoneſtantur. 6, quia nullum ornamentum templorum pulchrius, quam ſacræ imagines in iis collocatæ.

Pro deciſione quæſtionis di
videtur: 1, inter imagines ſa
quarum illæ res ſacras; hæ res
ſentant. 2, inter imagines ſacra
ſacras ſine ſuperſtitione repræ
lendam duntaxat earum memo
ſiue reuera, ſiue opinione hom
ſuperſtitione repræſentant, ho
læ res repræſentatæ ex errore
habeantur & colantur, aut ſa
nes pro mediis habeantur, p
ſancti mortui religioſe colantu

Quod igitur ad propoſitam
tinet, eius theſis affirmatiua eſ
tur de imaginibus non tantum
iam ſacris ſecundi generis. H
ſuo verbo expreſsè prohibuit.
tui licitum eſt eas ex templis re
theſis negatiua eſt vera, ſi intel
nibus primi generis. Illas enim
in ſuo verbo prohibuit. Ideoq
eſt licitum eas ex templis remo
aliqua cauſa id ſuadeat.

8 *An magiſtratui licitum ſit re*
pub. receptam reformare, aut

VT veritas huius quæſtioni
intelligatur, diſtinguend
gionem veram & falſam. 2, inte
ram puram & impuram. Que
veram & puram attinet, illius
planè mutandæ nullam poteſ
giſtratus. Eſt enim non minus
ſubiectus imperio & legibus ſu

Dei. Ideoq; eius conſtitutiones & leges non debet violare aut abrogare, ſed potius illas ſanctè ſeruare & cuſtodire: niſi velit ipſe, vt Vaſallus dominum feudi grauiſſimè offendere, & ad irã prouocare. Si verò religio in Repub. recepta ſit falſa, aut quidem vera, ſed impura: tunc licitum eſt magiſtratui illam quidem planè mutare, nouamq; & veram religionem introducere: hanc vero reformare & ex impura, quantum in ſe eſt, facere puram. Eſt enim magiſtratui cura veræ & puræ religionis à Deo cõmiſſa: imo ipſe tenetur ſicut abrogare omnia, quæ faciunt ad gloriã Dei obſcurãdam, ſalutẽq; ſubditorum perdendam, aut ſaltẽ in periculum adducendam: Ita contra in Rempub. introducere, quæ faciunt ad gloriã Dei illuſtrandã, ſubditorumq; ſalutẽ promouẽdã. Sed in huiuſmodi mutatione & reformatione religionis inſtituenda prudẽter & ſedulò cauendũ eſt magiſtratui, ne vel ex errore mẽtis, vel ex affectuum aut cupiditatũ prauarum impulſu peccet. Sæpè enim magiſtratus ex errore mentis falſam, aut impurã religionẽ pro vera & pura amplectitur & defendit; & ſic in locũ veræ & puræ relig. conatur introducere falſam aut impurã. Sępè etiã ex ira, odio, ambitione, auaritia, ſimilibuſq; affectib. & cupiditatib. prauis religionẽ in Repub. receptã conatur reformare aut mutare. Ne autẽ talè quippiam fiat, neceſſe eſt, vt magiſtratus: 1, ipſe ſit verè literatus & probus, verbiq; diuini ſciẽs & ſtudioſus: & ſic pio animo Deum in verbo ſuo loquentem, veramque religionem definientem audiat. 2, vt in conſilium adhibeat eruditos, pios, veræq; religionis & doctrinæ

Cautela.

Quæ requirãtur in Magiſtratu qui vult vel mutare vel reformare religionem.

1

2

amantes Theologos, qui vel priu
blica ſynodo ex verbo Dei recte
ram religionem citra præiudiciu
nimi affectum definiant. Sic Da
thanem lib.1.cap.7.Rex Aſa Pro
2.Paralip.15. Rex Ioas Sacerdo
3 Paralip.10. Ezechias Leuitas. 3
Reipub. de idoneis Eccleſiarun
ſpiciat, qui non tantum ſint doct
rum literarum; ſed etiam ſcian
denter verbum Dei prædicare,
& puræ religionis amorem ac ſt
ctrinæ ſynceritate & integritate
4 & inculpatæ exemplo allicere.
nis reformatione & mutatione
riam, vel vtilitatem aucupetur:
ex ſcientia veritatis orto Dei glo
ſubditorum ſalutem duntaxat q

9 *An magiſtratui licitum ſit le*
in Eccleſia obſeruand

Sententia affirmatiua ſ[...]ndi quid defenditur.

SVnt nonnulli, qui exiſtima
nullam habere poteſtatem
Eccleſia obſeruandas: propter
Dei ſolius & Christi regis ſit pro
ſententia ſimpliciter non eſt ve
magiſtratus non habeat poteſta
authoritate condendi leges fid
ſtianæ in Eccleſia obſeruandas:
mediis & adiaphoris, quæ per ſe
præceptæ, neq; prohibitæ, licit
pere ea, quæ faciunt ad extern
decorum: & contra, illa prohil
ſunt confuſionis, & decori limi
tur.

10 *An magiſtratui liceat Religionem veram armis defendere?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia magiſtratui cura conſeruandi religionẽ veram à Deo eſt commiſſa. Non poteſt autem hac in parte ſuo munere rectè fungi, niſi ad hoſtium vim & iniuriam propulſandam armis eãdem defendat. 2, quia magiſtratui licet fortunas & corporalem vitam ſubditorum ſuorum, armis defendere aduerſus latrones, aliosq; hoſtiles & iniurioſos homines. Ergò multò magis religionem veram, in qua vita animæ & vera felicitas conſiſtit. 3, quia vera religio eſt fundamẽtum Eccleſiæ Chriſtianæ, quo deſtructo neceſſe eſt ipſam quoq; deſtrui. Illud igitur ne labefactetur aut planè euertatur ab externis Eccleſiæ hoſtibus, curandum eſt magiſtratui, aut cùm alius lenior modus defendendi non ſufficit, neceſſe eſt, vt ad arma confugiat. 4, quia vera religio eſt vinculum per quod Reſpublica cohæret, eiuſque quaſi propugnaculum. Ne igitur eiusmodi vinculum & propugnaculum diſſoluatur & diruatur, neceſſe eſt, vt vrgente ſumma neceſſitate à magiſtratu per arma defendatur.

Pro theſi affir. Ratio. 1 2 3 4

At in contrariam partem obiici poteſt, religionem eſſe rem ſpiritualem & diuinam. Ideoque non corporaliter per arma, ſed ſpiritualiter per verbum Dei, omnesq; Chriſtianas virtutes à magiſtratu eſſe defendendam.

Pro cõtraria ſententia. Argum.

Reſpondeo defenſionem religionis veræ eſſe duplicem, vnam ſpiritualem, alteram corporalem. Priorem procurare debet magiſtratus

Quæſtio deciditur per diſtinct.

per ſuos Theologos viros doct
illa non ſufficit ad reprimendun
tus hoſtium, manifeſtasq; init
tentatas propulſandum: tande
ma neceſſitate ad poſteriorem
ita tamen, vt iuſtitiæ & charitat
Cautela. mites non excedantur. Cauet
magiſtratui etiam atq; etiã, ne ſ
textu veræ religionis falſa ab i
fendatur. Quo modo Antiochi
Ethnici Chriſtianos vſq; ad inte
ſecuti ſunt. Eiuſmodi enim de
& cum rebellione aduerſus De
coniuncta. Ideoq; totam Rem
calamitates & miſerias coniicit

II *An magiſtratus poſſit eſſe*
religionis?

Sententia negatiua defenditur. SVnt nonnulli, qui ſtatuunt r
tantum eſſe cuſtodem &
gionis; ſed ſimul etiam Iudicen
tentia videtur non ſimpliciter
enim magiſtratus, quatenus e
verbo Dei rectè intellecto pr
poſſit, de controuerſiis religio
tenus eſt magiſtratus nempe Po
publicum de religione ad ipſu
ſed ad Theologos duntaxat o
cratum literarum peritos, qui E
præfecti, & ſolius verbi diuini
tur. Sicut enim regimen Politi
ſiaſtico planè eſt diſtinctum: ita
Politicum ab Eccleſiaſtico. H

in ſynodis ſacris à magiſtratu coactis ipſe quidẽ vocem deliberatiuam habeat in cauſis religionis; ſed non prætoriam & deciſiuam.

12 *An magiſtratus licitum ſit bona Eccleſiaſtica in profanos vſus conuertere?*

STatuitur theſis negatiua. Rationes ſunt: 1, quia bona Eccleſiaſtica vſibus ſacris duntaxat ſunt deſtinata. Ideoque ab illo vero & legitimo fine in alium illegitimum non ſunt conuertenda. 2, quia magiſtratus ex officii ratione curare debet, vt bona Eccleſiaſtica non tantum conſeruentur & augeantur: ſed etiam ad rectum & debitum vſum conuertantur. Id autem facere non poteſt ſi ea à ſacris vſibus ad profanos transferat. 3, quia ſacrilegii ſpecies eſt, bona Eccleſiaſtica iis, quibus debentur, adimere, & iis, quibus non debentur, attribuere. 4, quia conuerſio bonorum eccleſiaſticorum in profanos vſus prouocat iram & vindictam Dei aduerſus magiſtratum, totumq; populum: quẽadmodum teſtatur exemplum Balthaſaris Chaldæorum regis, qui cum vaſa aurea & argentea, quæ ex templo Hieroſolymitano pater ipſius Nebucadnezar abſtulerat in profanum conuiuii vſum conuertiſſet, grauiter à Deo punitus eſt, & ea ipſa nocte à Satrapis Cyri interfectus.

Pro theſi. *Ratio.* 1 2 3 4 *Xenophon lib. 7.* *Obiectio.*

Sed contra hanc ſententiam obiici poteſt, exemplum Dauidis, qui cum in exilio verſaretur ad explendam famem vſus eſt panibus propoſitionis, quos non licebat niſi ſacerdotibus comedere. Ex hoc enim videtur colligi poſſe,

quod licitum interdum ſit ma
2 cleſiaſtiaca in profanos vſus co
ductio bonorum eccleſiaſtico
ſuperſtitioſis aut idololatricis
lorum enim vſus videtur à ma
ſcientia poſſe mutari.

Quæſtio de- ditur per diſtinct. Pro ſolutione harum obi
dum eſt vſum ſacrum bonoru
alium eſſe legitimum, alium il
gitimum eſſe, quando illa con
alendos miniſtros probos Ecc
larum, quibus ſua debentur ſt
lendos & promouendos pau
qui bonæ indolis ſunt, & aliqu
Reipub. cum fructu inſeruire
ſtribuendum inter pauperes d
nas; vel denique ad ædium ſac
nem aut reparationem. Illeg
quando conuertuntur bona e
ſuperſtitionem & idololatrian
minum fouenda & propagan
ſus planè ciuiles & profanos, &
lam vrgentem neceſſitatem.

Soluuntur obiectiones. Quod igitur ad primam o
net, reſpondeo Dauidem no
1 ſummæ neceſſitatis, quæ leger
pulſum eſſe ad comedendum
tionis: Ideoque ex illo exem
lare eſt, non poſſe infringi ſen
batam: præſertim cum in ea
ſaltem tacitè eiusmodi caſus
2 piatur. Ad alteram obiecti
licitum quidem eſſe magiſtrat

ſtica ab vſu profano & illegitimo transferre in vſum ſacrum & legitimum; ſed non licitum eſſe eadem in vſum planè profanum & ciuilem, aut etiam vſum ſacrum illegitimũ conuertere.

CAPVT III.

De cura rei literariæ & Scholaſticæ?

PRÆCEPTA.

1 *Fuit cura religionis. Sequitur cura rei literariæ & Scholaſticæ, quæ requirit vt magiſtratus Politicus de iuuentute in Scholis rectè inſtituenda ſit ſolicitus.*

2 *Illa verò conſiſtit partim in fundatione Scholarum, partim in earundem fundatarum conſeruatione.*

3 *Fundatio Scholarum eſt conſtitutio ludorum literariorum, in quibus iuuentus inſtituatur.*

4 *Eaq; perficitur mediis partim primariis, partim ſecundariis.* *De mediis fundandi Scholas.*

5 *Primaria media ſunt partim ædificiorum Scholaſticorum extructio, partim collegiorum Scholaſticorum conſtitutio.* *Primariis.*

6 *In extructione ædificiorum Scholaſticorum habenda eſt potiſſimum ratio loci, tum in genere, tum in ſpecie.*

7 *In genere locus talis eligendus ad quem facile conuenire vndiq; ſtudioſi, & vbi commo-*

rari & degere poſſint. Ideoq
tur partim aeris & victus ſa
fructuum copia, partim com
litas, partim incolarum hu
moditas.

8 In ſpecie locus talis eligen
bris, amœnus & tranquillus,
ab omni non tantum fœtore;
tu tum tranſeuntium, maxi
opificum tumultuantium.

9 In conſtitutione collegio
rum habenda eſt ratio tam d
diſcentium.

10 Docentes ſunt præceptore
tutioni iuuentus ſtudioſa com

11 In illis ſpectanda legitima
& officii adminiſtratio.

12 Electio legitima requiri
conditiones partim cōmunes,

13 Communes conditiones ſu
da, & vera probitas.

14 Propriæ conditiones ſunt
luntas benè docendi & inſtitu
tum in literis, tum in moribu

15 Facultas conſiſtit partim
guarum & artium liberaliu
& exercitatione coniuncta:
ſudine & facilitate animi ſe

16 *Voluntas conſiſtit partim in fidelitate, partim in diligentia, quæ in docendo eſt adhibenda.*

17 *Vocatio legitima requirit, vt officium docendi iis, qui ad id electi ſunt, publica magiſtratus auctoritate deferatur.*

18 *Adminiſtratio legitima officii conſtat partim recta doctrinæ communicatione, partim idonea diſciplinæ gubernatione.*

19 *Diſcentes ſunt diſcipuli præceptorum inſtitutioni ſubiecti.*

20 *In illis requiritur partim diligens μάθησις, hoc eſt, perceptio eorum, quæ à præceptoribus proponuntur, partim prompta obedientia in exequendis præceptorum monitis.*

21 *Secundaria media fundandi Scholam ſunt partim recta legum & priuilegiorum Scholaſticorum ſanctio, partim liberalis & munifica ſtipendiorum, aliorumq; beneficiorum in Scholas collatio.* Secundariis.

22 *Adhuc de fundatione Scholarum. Reſtat earundem fundatarum conſeruatio, quæ itidẽ perficitur mediis partim primariis, partim ſecundariis.* De mediis conſeruandi Scholas fundatas.

1 Primariis.

23 *Primaria media ſunt partim iuſta legum & priuilegiorum Scholaſticorũ executio & defenſio; partim expedita ſtipendiorũ & beneficiorum in Scholas collatorũ perſolutio & diſtri-*

butio, nec non eorundem
2 Secundarius. 24 *Secundaria ſunt parti*
ciorum Scholaſticorum repa
curata collegiorum Scholaſti
viſitatio.

1 *An cura rei literariæ & Sc*
ad magiſtratum Po

Pro theſi aff. Ratio. STatuitur theſis affirmatiu
quia literæ ſunt fulcrum
1 Reipublicæ: Ideoque ſicut
fulcro & ſtabilimento conſil
2 neq; Reſpublica ſine literis.
fons omnium in Repub. bon
tra ruditas & inſcitiæ, omni
calamitatum. Et proptere
5. de Repub. ſapienter admo
φιλόσοφοι βασιλεύσωσιν ἐν ταῖς πόλεσ
δυνάσται λεγόμενοι φιλοσοφήσωσι,
πόλεσι; hoc eſt niſi Philoſophi
uitatibus, aut qui nunc reges
tes dicuntur, Philoſophati fu
3 lorum quies ciuitatibus. 3, q
primarum linguarum & arti
neſtorum officinæ, in quibus
entiam, virtutem & eloquen
4 præparatur & excolitur. 4
Muſarum & Gratiarum do
niſi iuuentus informetur, n
barbariem & Cyclopicam im
5 publicam inuadere & opprim
læ ſunt ſeminaria Eccleſiæ &

nim in ſeminariis omnis generis plantæ naſcuntur & educantur, quæ poſtea ad excolendos & exornandos hortos, agroſq; transferuntur: Ita etiam in Scholis educantur & inſtituuntur multi ſtudioſi adoleſcentes, qui poſtea ex iis ad gubernacula Eccleſiæ & Reipublicæ trãsferuntur. 6, quia Scholæ ſunt armamentaria Reipublicæ, ex quibus omnis generis arma depromuntur, non tantum ad propugnandam veram & orthodoxam religionem aduerſus hæreticos, ſed etiã ad defendẽdam & conſeruandã ipſius Reipublicæ ſalutem ac incolumitatem. 7, quia ad magiſtratum Politicum pertinet cura omnium rerum, quibus Reſpublica poteſt conſeruari, amplificari, eiusq; ſtatus felicior reddi. Inter illas autem res etiam numerantur literę & Scholæ, vt ex ſuperioribus argumentis liquet. 8, quia hiſtoriæ teſtantur omnes imperatores reges & principes, quibus ſalus Reipublicæ cordi fuit, Scholarum habuiſſe rationem, easq; variis beneficiis, priuilegiis & immunitatibus donaſſe & ornaſſe: contra verò eos, qui Rempublicam neglexerunt aut euertere voluerũt, ſimul ſcholarum curam abieciſſe, aut iis inſidias & perniciem ſtruxiſſe.

6.

7

8

Obſeruatio.

Notandum autem curam rei literariæ & Scholaſticæ alio modo competere magiſtratui Politico, quam iis, quibus regimen Scholarum eſt commiſſum. Illi enim competit ex propria autoritate & poteſtate: his vero ex autoritate & poteſtate à magiſtratu Politicò delegata.

2 An in Republica benè conſtituta vtilis & neceſſaria ſit recta iuuentutis in Scholis literariis inſtitutio?

Prò theſi affir. Ratio.

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia fons & radix omnis ſapientiæ, eloquentiæ & virtutis eſt recta iuuentutis in Scholis literariis inſtitutiò. 2, quia nemo euadere poteſt ciuis bonus, bonusq; Reipublicæ gubernator, niſi in Scholis literariis benè fuerit inſtitutus. 3, quia iuuentus à natura ad vitium potius, quam ad virtutem eſt procliuis. Ideoq; curandum ſedulò eſt, vt per rectam in Scholis inſtitutionem à vitio abſtrahatur & ad virtutem aſſuefiat. 4, quia ex inſtitutione praua mali pueri; peiores adoleſcentes; peſſimi viri euadunt: ſicut contra ex inſtitutione recta boni pueri, meliores adoleſcentes, optimi viri euadunt. Hinc tam Plato quam Ariſtoteles in libris de Repub. aſſerunt hominem perperam educatum deteriorem euadere beſtiis: rectè verò inſtitutum diuinum reddi. 5, quia ſalus & felicitas Reipublicæ pendet à recta iuuentutis in Scholis inſtitutione: ſicut contra à praua inſtitutione, interitus & infelicitas eiuſdem. Et hoc teſtatur etiam Piccolomineus, in gradu 10. Philoſophiæ moralis cap. 30. cum de recta iuuenum inſtitutione aſſerit, quod ſit ſalus Reipub. cultus plantarum eius, radix regnorum, ſanitas magiſtratuum, expurgatio vrbium, incolumitas rectarum adminiſtrationum, conſeruatioq; nobilitatis. 6, quia ſicut ſolum bonum ceſſante cultura ſterileſcit: & arbores tenellæ per incuriam tortuoſæ creſcunt: ita adoleſcentes neglecta inſtitutione re-

cta,

ſta, inutiles & praui Reipublicæ ciues euadunt. 7,quia vt Caſus docet lib. 8. Sphæræ ciuitatis c. 7
1. qualem optamus ciuitatis formam, talem oportet eſſe iuuentutis curam.

3 An publica iuuentutis in Scholis literariis inſtitutio ſit præferenda priuatæ?

PRo theſi affirmante faciunt hæc argumenta: *Pro theſi aſfir. Argum.*
1, quia publica inſtitutio pendet à communi conſtantiq; iudicio & autoritate virorum ſapientium & prudentium; præſertim verò eorum, qui ad gubernacula Reipub. ſedent: priuata verò à priuato vnius atq; alterius hominis iudicio, quod varium eſt & mutabile. 2,quia illa ſemper ſpectat & dirigitur ad bonum publicum & commune: hæc verò ad bonum domeſticum & priuatum. 3,quia illa fit in loco publico, & quaſi in luce Reipublicæ: hæc vero, in loco priuato & quaſi in tenebris domeſticorũ parietum. Semper autem lumen anteponendum eſt tenebris, præſertim iis, qui in luce aliquando viuere cupiunt. 4,quia illa eſt ſeuera & arcta ob legum repagula, ad quas ſeruandas docentes & diſcentes ſunt obligati: hæc verò, eſt mollis & laxa partim ob nimiam dilectionem & indulgentiam parentum erga liberos, partim ob iniuriam & negligentiam pædagogorum. 5,quia inſtitutio publica excitat ingenia adoleſcentum ad perſequendum & æmulandum virtutes, quæ publicè vel in ipſis, vel in aliis laudantur; & fugienda vitia, quæ vituperantur: eadem ſtudiorum communitate & ſimilitudine amicitiam firmam & conſtantem inter commilitones conciliat: eadem varios hominum mores leges & inſtituta iuuentuti nota facit; & ſic eam

prudentiorem efficit: eadem philautiam & ſuperbiam ſtudioſorum reprimit, efficitq; vt mōdeſtè de ſe ſentiant, quatenus cum aliis doctioribus ſeſe comparantes vident ſibi multa deeſſe, quæ in aliis reperiuntur: denique eadem prohibet, ne iuuentus vel falſa doctrina vel prauis moribus imbuatur: cum præceptores nihil audeāt in Scholis, niſi quod publicè probatum eſt, ſuis diſcipulis proponere & præcipere. Contraria autem effectà plerumq; à priuata oriuntur inſtitutione. 6 6, quia publicam inſtitutionē præ priuata probarunt eſim non tantum Perſæ, Athenienſes & Lacedæmonii: ſed etiam multi Imperatores & Principes Imperii Romani, qui paſſim Academias inſtituerunt vt iuuentus eò commodius publicè inſtitui poſſit.

Pro theſi neg. Argum. At contra pro theſi negante adduci poſſunt hæc argumenta: 1 1, quia nemo maiorem curam habet liberorum, meliuſque eorundem naturam & mores norunt, quam parentes, vtpote à quibus nati, educati, & enutriti fuerunt. Ideoque etiam priuata parentum plus ponderis videtur habere apud liberos, quam publica aliorum inſtitutio. 2 2, quia pueri, qui in Scholis inſtituuntur, in turba hominum viuunt: Ideoque eo facilius prauis eorum moribus & exemplis imitandis corrumpi poſſunt, quam qui priuatim inſtituuntur. 3 3, quia adoleſcentes qui ad ſcholas diuerſas mittuntur, ſubinde præceptores & inſtitutionis formam mutant: & ſic eandem corruptelæ ſortem experiuntur, quam plantæ ſæpius translatæ, aut vina crebrò in alia vaſa effuſa. 4 4, quia maiore cum fructu labor

inſtitutionis paucis, quam pluribus impendi ſolet. Ideoque priuata inſtitutio magis appoſita eſt ad rectè informãdos pueros, quam publica. 5, quia idem comprobat exemplum Chaldæorum & Ægyptiorum, qui à patribus ſuis priuatim fuerunt in Philoſophia inſtituti, virique doctiſſimi euaſerunt. 5

Quæſtio deciditur per theor. Pro deciſione quæſtionis notandum eſt 1, inſtitutionem iuuentutis publicam à priuatá temerè non eſſe ſeparandam: ſed vtramq;, quantum fieri poteſt, coniungendam eſſe. 2, priuatam inſtitutionem, ſi legitimo modo fiat, eſſe quidem in ſuo genere bonam: ſed tamen meliorem & vtiliorem eſſe publicam, ſi itidem rectè fiat. 1 2

Soluuntur argumenta contraria. Neque obſtare argumenta pro contraria ſententia adducta; cùm illa fallaciam partim petitionis principii, partim accidentis, partim incõſequentiæ in ſe contineant.

4 *An Scholæ literariæ omnes ſint eiuſdem generis?*

Scholæ diuiſio. STatuitur theſis negatiua. Nam 1, cum iuuentus conſtet ex maribus & fæminis: & non minus hę quam illi recta inſtitutione indigeant: hinc rectè Schola literaria alia dicitur maſculina, in qua maſculi; alia fœminina, ſeu puellaris, in qua fœminæ ſeu puellæ inſtituuntur. Deinde cum inſtitutio & diſciplina Scholaſtica alia ſit arctior, alia liberior, quarum illa claſſicis: hæc publicis diſcipulis conuenit: hinc Schola alia dicitur claſſica, alia publica: Poſtremo, cum Schola publica alia maioribus, alia minoribus 1 2 3

priuilegiis & immunitatibus ſit donata, hinc alia vulgò dicitur Academia ſeu vniuerſitas: alia verò Gymnaſii vel celebris vel illuſtris titulo gaudet.

5 Quales præceptores in Scholis literariis iuuentuti ſtudioſæ à magiſtratu Politico ſint præficiendi?

CVm quilibet homo aptus & idoneus non ſit ad ſuſcipiendum in Scholis docẽdi munus, iuuentutemq; inſtituendam: curandum eſt diligenter magiſtratui Politico, vt non niſi idonei præceptores eligantur. Sunt autem idonei in genere, qui ſunt ſolidè docti, & verè probi: in ſpecie verò, qui poſſunt & volunt iuuentutem dextrè docere ac inſtituere. Tales autem ſunt, qui ſunt 1, verè pii: ſiquidem eruditionis & ſapientiæ veræ fons ac fundamentum eſt timor Domini. 2, qui morum integritate ſunt præditi, ne vita ipſorum à doctrina diſcrepare videatur. 3, qui doctrina ſolida & non ventoſa aut circumforanea ſunt inſtructi. 4, qui vſu & experientia rerum, præſertim verò rei Scholaſticæ valent, vt & noſcere & tractare ingenia adoleſcentum benè poſſint, & ad eorum ætatem & mores naturales ſeſe accommodare. 5, qui inſtar parentum amant ſuos diſcipulos iiſque benè cupiunt. 6, qui fideliter & diligenter, non obiter & perfunctoriè ſuos diſcipulos inſtituunt in rebus vtilibus & neceſſariis. 7, qui methodum bonam, hoc eſt perſpicuam, facilem & breuem in docendo adhibent. 8, qui neq; auſteros & acerbos, neq; nimis blandos ſeſe erga diſcipulos præbent: cum illud odium; hoc contemptum pariat.

Qui ſint idonei ad docendũ in Scholis. Requiſita docentium.

1 2 3 4 5 6 7 8

6 In

6 In quibus rebus iuuentus ſtudioſa ſit inſtituenda?

NOn ſatis eſt magiſtratum Politicum iuuentuti ſtudioſæ in Scholis præficere præceptores idoneos, niſi etiam de iis rebus ſit ſolicitus, in quibus illa eſt inſtituenda. Sunt autem illarum rerum tria ſumma capita, nempè artes liberales, mores & linguæ: quæ adeò ſunt neceſſaria iuuentuti, vt ſine iis neq; finem internum ſtudiorum ſuorum, qui in ſapientia virtute & eloquentia, ſeu, vt alii loquuntur in benè ſapiendo, benè agendo & benè dicendo conſiſtit aſſequi, neq; defectum naturæ qui vel in mente, vel in voluntate, vel in lingua reperitur, explere, & ſic ſeipſam debito modo perficere poſſit. Per ſtudium enim artium liberalium homo deducitur ad ſapientiam, quæ in perſpicientia veri & falſi; boni & mali ſita eſt: per ſtudium bonorum morum, ad virtutem: denique per ſtudium linguarum ad eloquentiam. Quorum trium bonorum ſi homo ſit particeps nihil obſtat, quo minus homo perfectionem mentis, voluntatis & linguæ aſſecutus eſſe meritò dicatur. Quod ſi quis obiiciat, præter ſtudium artium liberalium, bonorum morum & linguarum requiri etiam ſtudium veræ religionis & pietatis: reſponderi poteſt, id ſub ſtudio bonorum morum tanquam ſub ſuo genere comprehendi: Ideoque non opus eſſe, vt ſeorſum & ſeparatim ponatur.

Tria rerum genera recenſentur.

Obiectioni occurritur.

7 An linguarum ſtudium Iuuentuti ſit neceſſarium & vtile?

Pro theſi aſſir. Argum. PRo theſi affirmante valent hæc argumenta:
1 1, quia linguæ ſunt dona Dei, humano generi publici boni gratia conceſſa. 2, quia ſunt in-
2 ſtrumenta celebrandi Deum, eiuſq; gloriam illuſtrandi.
3 3, quia ſunt inſtrumenta Eccleſiæ & Reipub. vtilitatem & ſalutem promouendi & amplificandi.
4 4, quia ſunt miniſtræ & famulæ ſapientię, non tantum quatenus ad eam nos deducunt; ſed etiam quatenus ipſa ſuos theſauros per illas nobis communicat.
5 5, quia ſunt internunciæ & interpretes mentis, quatenus homo per illas mentem & voluntatem ſuam aliis patefacit & declarat.
6 6, quia ciuilis hominum ſocietas ſine linguarum cognitione coli & conſeruari non poteſt. Nam vt ait Cicero, ſurdi ſumus omnes in linguis, quas non intelligimus.
7 7, quia linguarum cognitio gratiam & beneuolentiam haud exiguam parit, quatenus homines magis afficiuntur eo ſermone, qui ſenſibus illorum eſt conueniens.
8 8, quia linguarum cognitio magnam dignitatem & autoritatem homini conciliat, quatenus varios populos beneficio illarũ intelligere & alloqui poteſt: Inprimis verò Regibus & principibus; quatenus ipſi omnium ſuorum ſubditorum ſermonem intelligere poſſunt, neque opus habent interpretib. per quos, cum iis loquantur.
9 9, quia omnibus ſeculis ſtudium linguarum, in magno precio fuit habitum & diligenter exculutm. Hinc legimus Romanorum filios ad Rempub. aliquando acceſſuros primò Hetruſcam linguam, poſt Græcam didiciſſe.

ciſſe. Et de Mithridate Rege narratur, quod duas & viginti linguas calluerit, illorum ſcilicet populorum, quibus imperabat. De Carolo etiam magno ſcribitur, quod Græcæ linguæ adeo fuerit deditus, vt ipſe Græcos legatos audierit & his Græcè reſponderit. Idcircò etiam aurea bulla per Carolum IV. Imperatorem facta iubet Electorum filios & ſucceſſores diſcere linguam Græcam Latinam & Illyricam, quò cum multis gentibus ſermonem communicare poſſint,

At contra pro theſi negante afferri ſolent hæc argumenta: 1, quia linguarum varietas pœnæ loco à Deo hominibus eſt inflicta. 2, quia linguæ ſunt errorum & hæreſium ſeminaria. 3, quia occaſionem præbent ad factiones, proditiones, omniſque generis dolos in Repub. machinandos. 4, quia linguarum peregrinarum ſtudium mores ſimul peregrinos in Rempub. introducit. 5, quia bonarum artium ſtudia retardat. Dum enim homo linguis diſcendis vacat, non poteſt ſuam operam artibus benè impendere. 6, quia ad patriæ & Reipub. decus ac gloriam facit vernaculam potius linguam excolere, & in ciuili hominum conuerſatione vſurpare, quam peregrinam. 7, quia olim in vitio habebatur, ſi quis multas ac diuerſas linguas calleret. Hinc Alcibiades à Galeno reprehenſus fuit, quod multitudine linguarum vteretur. Hinc etiam Geryonem vt monſtrum tricorporeum fingunt fabulæ, & tria corda habentem propter tres linguas quas nouerat. Itē Ericthonium hominem biformem quidē fabulati ſunt,

Pro theſi neg. Argum. 1 2 3 4 5 6 7

parte corporis inferiore Draconis, ſuperiore, hominis formam habentem, ob Ægyptiæ & Græcæ linguæ peritiam.

Quæſtio deciditur per diſtinct.

Pro deciſione quæſtionis diſtinguendum eſt linguas principales, quarum vſus latiſſimè patet, cuiusmodi inprimis ſunt Hebræa Græca & Latina & hodierno tempore Italica & Gallica; & inter linguas minus principales, quorum vſus arctis limitibus eſt circumſcriptus. De prioribus ſi quæſtio intelligatur ſimpliciter theſis affirmatiua eſt vera. Neq; obſtant argumenta pro theſi negante allata. Illa enim partim fallaciam à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter, partim fallaciam accidẽtis, partim fallaciam ex inconſequentia materiali continent. Ideoque neceſſariam vim probandi non habent.

8 *An Philoſophiæ ſtudium iuuentuti Scholaſticæ ſit inculcandum?*

Pro theſi affir. Ratio.

1 Statuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia Philoſophia eſt rerum diuinarum & humanarum cauſarumq;, quibus hæ res continentur, ſcientia. 2, quia eſt donum & inuentum Dei

2 immortalis. Et propterea etiam Poetæ fingunt Mineruam, quæ eſt ſapientiæ præſes, ex cerebro Iouis natam eſſe: Et Muſas eſſe Iouis & Mne-

3 moſynæ filias. 3, quia hominem ducit in cogni-

4 tionem veri & falſi, boni & mali. 4, quia eſt medicina & cultura animi, quæ vitia radicitus extrahit, animosque hominum præparat ad ſatus

5 virtutum accipiendos. 5, quia eſt mater omnium

6 laudatarum artium. 6, quia ab animo hominis tanquam ab oculis omnem caliginem diſpellit.

vt ſupera, infera, prima, vltima & media videre poſſit. 7, quia viam benè agendi & viuendi mõſtrat. 8, quia ſicut ager quantũuis fertilis ſine cultura fructuoſus eſſe non poteſt: ſic neq; ſine Philoſophia ingenium adoleſcentũ. 9, quia Philoſophiæ ſtudium parit homini delectationes puritate & firmitate inſignes & admirabiles. 10, quia hominem in terris Deo ſimilem reddit. 11, quia ab origine mũdi optimi quiq; Philoſophiæ ſtudium partim excoluerunt, partim in magno pretio habuerunt. 7 8 9 10 11

At pro contraria ſententia ab aliis obiici ſolẽt *Pro theſi neg. Argum.* hæc argumenta: 1, quia Philoſophia ductum ſequitur rationis, quæ cæca eſt & ſcortũ Diaboli. 2, quia ſuis ſtrophis & ſophiſmatis perſtringit oculos mentis, ne vnquam lucem clariſſimam veritatis præſertim cœleſtis cernere poſſit. Ideoque etiã Paulus ad Coloſſenſes c. 2. hortatur, vt ſibi caueant, ne per Philoſophiã inſtar prædæ abducantur & ſeducantur. 3, quia eſt ſecularis & animalis ſapientia, quę hominem à reb. diuinis, cœleſtibus & ſpiritualib. ad res humanas, terrenas & corporales contẽplandas abducit, eumque non meliorem ſed deteriorẽ efficit. 4, quia eſt mater hæreſium: & propterea etiã Tertullianus in lib. aduerſus Hermogenem Philoſophos vocat Patriarchas hæreticorum. 5, quia Philoſophi qui in ſola contemplatione rerum verſantur, ad gerendam Rempub. & functiones ciuiles ſunt inepti. 6, quia Philoſophi plerunque ſunt mancipia vitiorum: & propterea etiam olim ex vrbibus proſcripti & eiecti fuerunt, vt videre eſt apud Petrum Gregorium Toloſa- 1 2 3 4 5 6

num lib. 17. de Repub. cap. 7. 7, quia *eorum ventoſa loquacitas*, vt ait Bernhardus, *non bonus eſt imber, qui ſterilitatem magis intulit terris, quam fertilitatem.*

Quæſtio deciditur per diſtinct.

Pro ſolutione horum argumentorum diſtinguendum eſt: 1, inter Philoſophiam veram, de qua quæſtio propoſita intelligitur, & inter falſam. 2, inter vſum & abuſum veræ Philoſophiæ. 3, inter vitia Philoſophorum & ipſius Philoſophiæ. 4, inter rationem rectam & prauam, ſanam & corruptam. Quod igitur ad argumenta obiecta attinet, reſpondeo ad primum, illud non eſſe ſimpliciter verum, ſed tantum de Philoſophia falſa, & ratione praua ac corrupta; Philoſophia enim vera ſequitur ductum rationis rectæ, quæ non cæca eſt, neq; ſcortum Diaboli, niſi per calumniam, dici poteſt. Ad ſecundum tertium & quartum argumentum reſpondeo illa per ſe eſſe vera de falſa Philoſophia: veræ autem Philoſophiæ non niſi per accidens propter abuſum, qui vitio hominum accidit, attribui poſſe. Ad quintum reſpondeo illud quidem in ſe eſſe verum: ſed inde tamen nihil contra vniuerſam Philophiam concludi poſſe: cum alia ſit theoretica, alia practica.

Soluuntur argumenta pro theſi neg. allata.

1
2
3
4
5
6
7

Ad ſextum & ſeptimum reſpondeo vitia Philoſophorum non poſſe per ſe ipſi imputari Philoſophiæ. Ideoque Philoſophiam veram eſſe quidem ſua natura bonam, dignamque quæ excolatur: tametſi Philoſophi ipſi ſint mali, dignique, qui ob vitia puniantur.

9 *An*

9 *An in recta iuuentutis inſtitutione maior bonorum morum, quam doctrinæ ſit habenda ratio?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia boni mores ad vitam rectè inſtituendã plus momenti conferunt quam doctrina. 2, quia iuuentutem præparant & diſponunt ad veram doctrinam & ſapientiam capeſſendam. 3, quia iuuentutem magis ornant, Deoque & hominibus gratiorem & amabiliorem reddunt. 4, quia doctrinam in animum hominis improbi infundere perinde eſt, ac in puteum cœnoſum aquam puram infundere. Sicut enim hæc contamnatur & corrumpitur admixtione cæni: ita etiam doctrina contagio improbitatis. Et propterea etiam Pythagoras in ſuis Symbolis, inter alia monet cibum in matulam non eſſe iniiciẽdum, hoc eſt, doctrinam bonam homini improbo non eſſe communicandam, propterea quod ibi corrumpatur & putreſcat. 5, quia doctrina ſeiuncta à bonis moribus eſt veluti gladius acutus in manu furentis. 6, quia qui proficit in ſtudiis & deficit in moribus, plus deficit, quam proficit. 7, quia vt oculi vitio aliquo laborantes perperam cernunt: ita homo improbus de rebus malè iudicat. 8, quia homines malè morati inepti ſunt ad conuerſationem hominum; non ſecus ac vinum au?erum potioni neutiquã eſt accommodatum. 9, quia mali mores Reipublicæ plus nocent, quam ruditas & inſcitia.

Pro theſi affir. Ratio. 1 2 3 4 5 6 7 8 9

10 *Quæ requirantur in diſcipulis, in quibus præceptorum in Scholis inſtitutio debet eſſe fructuoſa?*

ACtum hactenus fuit de iis, in quibus præceptores ſuos diſcipulos in Scholis inſtituere debent. Quoniam autem inſtitutio præceptorum non poteſt eſſe fructuoſa, niſi diſcipuli etiã ea, quæ in ipſis requiruntur, ad illam conferant: non immeritò quæritur, quænam illa ſint. Ac licet in iis recenſendis diſcrepantes aliorum opiniones reperiantur: tamen commode ad tria generalia requiſita capita videntur referri poſſe.

Requiſita diſcentium exponuntur.

1 Primum igitur requiſitum eſt φύσις, hoc eſt Natura, cuius appellatione intelligitur nõ tantum naturalis docilitas, hoc eſt doctrinæ & virtutis capacitas, quæ ab anima rationali in omnes cõmuniter homines deriuatur: ſed etiam vel maximè natiua hominis ad ſtudia liberalia, aut certum aliquod illorum genus aptitudo, inclinatio & propenſio, quæ ex bono corporis temperamento reſultat, neq; in quoslibet homines cadit, ſed certorum duntaxat eſt propria, cuiusmodi eſt ingenium, bonum & indoles bona.

2 Alterum requiſitum eſt φιλομάθεια, hoc eſt, cupiditas diſcendi, quæ in ſe includit non tantum verum & conſtantem amorem erga præceptores & ſtudia liberalia: ſed etiam aſſiduum & indefeſſum in diſcendis rebus vtilibus & neceſſariis laborem cum piæ precationis ſtudio, firmoque obediendi propoſito coniunctum.

3 Tertium requiſitum eſt ἄσκησις, hoc eſt, exercitatio quæ triplex eſt, vna mentis, altera morũ, tertia linguæ ſeu ſtyli. In eaq; tanta vis eſt poſita,

vt

vt etiamſi natura & cupiditas diſcendi in diſcipulis adſit: tamen, niſi cum illis exercitatio aſſidua coniungatur, non fructuoſa ſit futura ipſa præceptorum in Scholis inſtitutio. Sicut enim fabricando fiunt fabri: & cithara pulſanda citharædi: ita etiam per exercitationem homines euadunt ſapientes probi & eloquentes.

CAPVT IV.

De legum ciuilium ſanctione & promulgatione.

PRÆCEPTA.

1 *Tantum de cura rerum ſacrarum. Sequitur cura rerum ciuilium, quæ poſtulat vt magiſtratus Politicus de diſponendis, ordinandis & procurandis mediis quæ ad ciuilem Reipub. vtilitatem pertinent, ſit ſolicitus.*

2 *Eaq; vel eſt primaria vel ſecundaria.*

3 *Primaria eſt duplex, vna cura legum, altera cura pacis & ſecuritatis publicæ.*

4 *Cura legum exigit, vt magiſtratus Politicus legitimè & iuſte Rempub. adminiſtret.*

5 *Eaq; perficitur partim ſanctione legum ciuilium: partim legum ſancitarum executione aut mutatione.*

6 *Sanctio legum ciuilium eſt opus magiſtratus Politici quo certæ leges in Republica obſeruandæ pro illius neceſſitate & vtilitate conſtituuntur.*

10 *Quæ requirantur in diſcipulis, in quibus præceptorum in Scholis inſtitutio debet eſſe fructuoſa?*

Actum hactenus fuit de iis, in quibus præceptores ſuos diſcipulos in Scholis inſtituere debent. Quoniam autem inſtitutio præceptorum non poteſt eſſe fructuoſa, niſi diſcipuli etiā ea, quæ in ipſis requiruntur, ad illam conferant: non immeritò quæritur, quænam illa ſint. Ac licet in iis recenſendis diſcrepantes aliorum opiniones reperiantur: tamen commode ad tria generalia requiſita capita videntur referri poſſe.

Requiſita diſcentium exponuntur.

1 Primum igitur requiſitum eſt φύσις, hoc eſt Natura, cuius appellatione intelligitur nō tantum naturalis docilitas, hoc eſt doctrinæ & virtutis capacitas, quæ ab anima rationali in omnes cōmuniter homines deriuatur: ſed etiam vel maximè natiua hominis ad ſtudia liberalia, aut certum aliquod illorum genus aptitudo, inclinatio & propenſio, quæ ex bono corporis temperamento reſultat, neq; in quoslibet homines cadit, ſed certorum duntaxat eſt propria, cuiusmodi eſt ingenium, bonum & indoles bona.

2 Alterum requiſitum eſt φιλομάθεια, hoc eſt, cupiditas diſcendi, quæ in ſe includit non tantum verum & conſtantem amorem erga præceptores & ſtudia liberalia: ſed etiam aſſiduum & indefeſſum in diſcendis rebus vtilibus & neceſſariis laborem cum piæ precationis ſtudio, firmoque obediendi propoſito coniunctum.

3 Tertium requiſitum eſt ἄσκησις, hoc eſt, exercitatio quæ triplex eſt, vna mentis, altera morū, tertia linguæ ſeu ſtyli. In eaq; tanta vis eſt poſita,

vt

vt etiamſi natura & cupiditas diſcendi in diſcipulis adſit; tamen, niſi cum illis exercitatio aſſidua coniungatur, non fructuoſa ſit futura ipſa præceptorum in Scholis inſtitutio. Sicut enim fabricando fiunt fabri: & cithara pulſanda citharædi: ita etiam per exercitationem homines euadunt ſapientes probi & eloquentes.

CAPVT IV.

De legum ciuilium ſanctione & promulgatione.

PRÆCEPTA.

1 *Tantum de cura rerum ſacrarum. Sequitur cura rerum ciuilium, quæ poſtulat vt magiſtratus Politicus de diſponendis, ordinandis & procurandis mediis quæ ad ciuilem Reipub. vtilitatem pertinent, ſit ſolicitus.*

2 *Eaq́ vel eſt primaria vel ſecundaria.*

3 *Primaria eſt duplex, vna cura legum, altera cura pacis & ſecuritatis publicæ.*

4 *Cura legum exigit, vt magiſtratus Politicus legitimè & iuſtè Rempub. adminiſtret.*

5 *Eaq́ perficitur partim ſanctione legum ciuilium: partim legum ſancitarum executione aut mutatione.*

6 *Sanctio legum ciuilium eſt opus magiſtratus Politici quo certæ leges in Republica obſeruandæ pro illius neceſſitate & vtilitate conſtituuntur.*

10 *Quæ requirantur in diſcipulis, in quibus præceptorum in Scholis inſtitutio debet eſſe fructuoſa?*

ACtum hactenus fuit de iis, in quibus præceptores ſuos diſcipulos in Scholis inſtituere debent. Quoniam autem inſtitutio præceptorum non poteſt eſſe fructuoſa, niſi diſcipuli etiã ea, quæ in ipſis requiruntur, ad illam conferant: non immeritò quæritur, quænam illa ſint. Ac licet in iis recenſendis diſcrepantes aliorum opiniones reperiantur: tamen commodè ad tria generalia requiſita capita videntur referri poſſe.

Requiſita diſcentium exponuntur.

1 Primum igitur requiſitum eſt φύσις, hoc eſt Natura, cuius appellatione intelligitur nõ tantum naturalis docilitas, hoc eſt doctrinæ & virtutis capacitas, quæ ab anima rationali in omnes cõmuniter homines deriuatur: ſed etiam vel maximè natiua hominis ad ſtudia liberalia, aut certum aliquod illorum genus aptitudo, inclinatio & propenſio, quæ ex bono corporis temperamento reſultat, neq; in quoslibet homines cadit, ſed certorum duntaxat eſt propria, cuiusmodi eſt ingenium, bonum & indoles bona.

2 Alterum requiſitum eſt φιλομάθεια, hoc eſt, cupiditas diſcendi, quæ in ſe includit non tantum verum & conſtantem amorem erga præceptores & ſtudia liberalia: ſed etiam aſſiduum & indefeſſum in diſcendis rebus vtilibus & neceſſariis laborem cum piæ precationis ſtudio, firmoque obediendi propoſito coniunctum.

3 Tertium requiſitum eſt ἄσκησις, hoc eſt, exercitatio quæ triplex eſt, vna mentis, altera morũ, tertia linguæ ſeu ſtyli. In eaq; tanta vis eſt poſita, vt

vt etiamſi natura & cupiditas diſcendi in diſcipulis adſit: tamen, niſi cum illis exercitatio aſſidua coniungatur, non fructuoſa ſit futura ipſa præceptorum in Scholis inſtitutio. Sicut enim fabricando fiunt fabri: & cithara pulſanda citharædi: ita etiam per exercitationem homines euadunt ſapientes probi & eloquentes.

CAPVT IV.

De legum ciuilium ſanctione & promulgatione.

PRÆCEPTA.

1 *Tantum de cura rerum ſacrarum. Sequitur cura rerum ciuilium, quæ poſtulat vt magiſtratus Politicus de diſponendis, ordinandis & procurandis mediis quæ ad ciuilem Reipub. vtilitatem pertinent, ſit ſolicitus.*

2 *Eaq; vel eſt primaria vel ſecundaria.*

3 *Primaria eſt duplex, vna cura legum, altera cura pacis & ſecuritatis publicæ.*

4 *Cura legum exigit, vt magiſtratus Politicus legitimè & iuſtè Rempub. adminiſtret.*

5 *Eaq; perficitur partim ſanctione legum ciuilium: partim legum ſancitarum executione aut mutatione.*

6 *Sanctio legum ciuilium eſt opus magiſtratus Politici quo certæ leges in Republica obſeruandæ pro illius neceſſitate & vtilitate conſtituuntur.*

7 *In illa ſpectanda partim legum condendarum bonitas, partim recta earundem promulgatio.*

Conditiones bonarũ legum explicantur.

8 *Bonitas legum æſtimatur ex conditionibus in iis requiſitis.*

9 *Illarum aliæ ſunt reales, aliæ verbales.*

10 *Reales conditiones ſunt, quæ ipſam naturam legum ſpectant.*

11 *Sunt'q; aliæ primæ, aliæ ſecundæ, aliæ tertiæ claſſis.*

12 *Primæ claſſis ſunt, quæ efficientem & finem legum concernunt. Illarum vna vult, vt leges ab iis condantur, qui ius condendi obtinent; altera eſt, vt ad bonum publicum, non priuatum deſtinentur.*

13 *Secundæ claſſis ſunt quæ ſubiectum occupans & recipiens legum ſpectant. Illarum vna exigit, vt leges de iis rebus condantur, quæ ſeruari poſſunt ab iis, quibus feruntur: altera, vt iis ferantur, qui ad eas ſeruandas ſunt obligati.*

14 *Tertiæ claſſis ſunt, quæ adiunctam quantitatem & qualitatem legũ ſpectant. Illarũ vna vult, vt leges paucæ, non multæ ferantur: altera, vt leges ſint honeſtæ, iuſtæ, vtiles & neceſſariæ, adeoque conſuetudinibus, moribus, locis & temporibus conuenientes.*

15 *Ver-*

15 ***Verbales conditiones ſunt, quæ verba legum ſpectant: eaque exigunt, vt leges perſpicuè & intelligenter, non obſcurè & ambiguè ſint ſcriptæ.***

16 ***Recta legum latarum promulgatio eſt opus magiſtratus Politici, quo leges conditæ & ſcriptæ ritè proponuntur publicè, vt ſubditis omnibus innoteſcant.***

1 *An cura legum magiſtratui ſit neceſſaria?*

Pro theſi affir. Ratio.

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia leges ſunt ſententiæ, quæ præcipiunt facienda, prohibentq; contraria. Vnde etiam Stoici legem dicunt eſſe λόγον ὀρθὸν προστακτικὸν μὲν τῶν ποιητέων, ἀπαγορευτικὸν δὲ τῶν οὐ ποιητέων. 2, quia ſunt regulæ & menſuræ actuum agendorum vel omittendorum: ſeu vt alii loquuntur, ſunt canones iuſtorum & iniuſtorum. 3, quia ſunt εὕρημα καὶ δῶρον θεοῦ, δόγμα δὲ ἀνθρωπίνων φρονίμων, ἐπανόρθωμα δὲ τῶν ἑκουσίων ἁμαρτημάτων, πόλεως δὲ συνθήκη κοινὴ καθ' ἣν ἅπασι προσήκει ζῆν τοῖς ἐν τῇ πόλει: hoc eſt, *inuentum & munus Dei, decretum hominum prudentium, correctio peccatorum ſpontaneorum, commune pactum ciuitatis, ad cuius præſcriptum omnibus, qui in ciuitate ſunt viuere conuenit.* 4, quia leges ſunt anima & ſpiritus vitalis ciuitatis. Vt enim corporis viuentis vis omnis ab anima & ſpiritu vitali pendet: ita Reipublicæ, à legibus. Et ſicut corpus viuens ſublata anima interit: ita etiam Reſpublica, ſublatis legibus. Et hoc teſtatur etiam Seneca lib. 1. de Clementia, inquit legem eſſe vinculum, quo Reſpublica cohæret, & ſpiritum vitalem, quem trahit ciuitas: ita vt ſine

5 lege Reſpublica ſit futura onus & præda. 5, quia leges ſunt fundamentum firmum Reipublicæ,
6 quo eius ſtatus fulcitur & continetur. 6, quia leges ſunt oculus Reipublicæ, lucerna vitæ ciuilis, trutina iuſtitiæ, cuſtos libertatis, diſciplinæ & pacis publicæ, infirmorum auxilium, potentum
7 frenum. 7, quia leges omnis fœlicitatis publicæ
8 cauſæ ſunt. 8, quia leges nihil aliud ſunt quam
9 mutus magiſtratus. 9, quia ſicut Architectus ſine libella & linea opus ſuum rectè efficere non poteſt: ita neq; magiſtratus ſine legibus Rempublicam benè adminiſtrare. Ideoq; non malè le-
10 ges norma directrix imperii dici poteſt. 10, quia, vt Euripedes ait:

Οὐκ ἔστιν οὐδὲν κρεῖσσον, ἢ νόμοι πόλει καλῶς τεθέντες. *Non eſt quicquam melius ciuitati, quam leges benè condita.* Vnde à Cicerone lib. 1. de legib. ſub finē lex dicitur *vitiorum emendatrix, virtutumq; commendatrix.* Et à Petro Gregorio lib. 10. de Repub. c. 5. *fundamentum iuſtæ libertatis, fons æquitatis, mens, animus, conſilium & ſententia ciuitatis.* Item ibidem, quod *Deus eſt in mundo: gubernator, in naui: præcentor in choro: Dux, in exercitu: hoc lex dicitur eſſe in ciuitate.*

2 Vtrum lex magiſtratui: an magiſtratus legi præeſſe debeat?

HÆc quæſtio à Philoſophis in vtramq; partem diſputari ſolet, vt videre eſt apud Petrum Gregorium lib. 7. de Repub. cap. 10. Et Piccolomineum gradu 10. Philoſophiæ moralis c. 19. Caſum, lib. 3. Sphæræ ciuitatis cap. 11.

Pro priore parte Argum. Pro priore parte quæſtionis afferri ſolent hæc
1. argumenta: 1, quia lex eſt vox Dei & naturæ iubens

bens ea, quę facienda ſunt, prohibensq; contraria. 2, quia eſt recta ratio menti hominis, à Deo inſita dictitans quid ſit honeſtum & turpe, iuſtũ & iniuſtum. 3, quia eſt regula prudentiæ vitam ciuilem informans & dirigens. 4, quia regina eſt omnium rerum diuinarum & humanarũ, adeoque omnium hominum & immortalium, vt ex Pindaro docet Plutarchus in libro de Regno. 5, quia lex benè conſtituta erroribus & perturbationib. nõ eſt obnoxia, quẽadmodum magiſtratus. Ideoq; neq; vllo externo retũ aut perſonarũ reſpectu corrumpi poteſt. 6, quia qui legem prę eſſe iubet, videtur iubere Deum præeſſe & legẽ: qui autem hominem, iubet præeſſe & beſtiam. Libido quippe talis eſt quæ obliquos reddit etiã viros optimos in poteſtate conſtitutos, vt docet Piccolomineus & Petrus Gregorius in locis ſupra citatis. Hinc etiam Ariſtot. lib. 5. Ethic. Nicomach. docet non hominẽ, ſed rationem dominari debere. 7, quia Plato in lib. de legib. ait, *interitum paratũ eſſe illi ciuitati, in qua non lex magiſtratibus, ſed magiſtratus legib. præſunt: ſalutem verò illi, in qua lex magiſtratib. dominatur.* Hinc Solon rogatus *quomodo ciuitas in optimo ſtatu degeret*, reſpõdit: *Si ciues magiſtratui, magiſtratus vero legib. obediat.* 8, quia magiſtratus officio ſuo rectè fungi non poteſt, niſi illud ſecundum legum normam exequatur. Hinc Bodinus lib. 6. de Repub. c. 8. inquit: *Non magiſtratus de lege, ſed ſecundum legẽ iudicare neceſſe eſt, aut infamia notam ſubire.*

(Margin: 2, 3, 4, 5, 6, *Ariſtoteles lib. 1. Polit. c. 12. & lib. 4. c. 16.*, 7, 8)

At contra pro poſteriore parte quæſtionis adduci ſolent hæc argumẽta: 1, quia magiſtratus eſt lex viua & loquens, & quaſi anima ciuitatis.

Pro poſteriori parte. Argum. 1

Ideoque merito legi præeſſe debet, quatenus
2 eſt inanimata & muta. 2, quia prudentia eſt præſes & moderatrix omnium rerum; præſertim vitæ ciuilis. Illa autem non legi, ſed magiſtratui ineſt.
3 3, quia Deus præeſt legibus fati & naturæ. Ideoque cum magiſtratus ſit vicarius Dei, eiuſque imago animata, vt ſupra à nobis probatum fuit: ſequitur magiſtratum etiam
4 debere præeſſe legibus. 4, quia lex cum de rebus vniuerſalibus tractet, non poteſt omnes ſpeciales caſus exprimere: Ideoque in rebus ſingularibus contingentibus & futuris ſæpè deficit. Neceſſe igitur eſt, vt defectus eiuſmodi à
5 magiſtratu expleantur. 5, quia conditor legũ præeſſe debet legibus à ſe conditis. Magiſtra-
6 tus autem eſt conditor legum. 6, quia ſicut medicus nõ ſemper aſtrictus eſſe debet ad præcepta ſuæ artis, ſed interdum in caſibus ſpecialibus pro ſua prudentia agere in curando ægroto: ita etiam magiſtratus non ſemper aſtrictus eſſe debet ad leges, ſed interdum pro ſua prudentia regimen ciuile moderari. Hinc etiam fit, vt quẽadmodum melius eſt prudentem medicum, quàm artem conſulere: ita etiam melius eſt prudentem magiſtratum, quam legem conſulere, ſi
7 ciuitatem ſpectes. 7, quia leges ciuiles nihil valent niſi à magiſtratu omnem ſuam authori-
8 tatem & vim accipiant. 8, quia leges ſæpè nimis rigidæ & ſeueræ eſſent, niſi illas magiſtra-
9 tus æquitate temperaret & molliret. 9, quia magiſtratus gladium habet, quo putrida membra Reipublicæ poteſt percutere vel tollere: Lex
10 autem nõ. 10, quia ſicut aurifaber Lydio lapide ex-

explorat aurum, verumq; à falſo diſcernit: ita magiſtratus ſua prudentia explorat ius, verumq; à falſo & adulterino diſcernit, *11*, quia leges aranearum telis ſunt ſimiles, vt à Solone, Saleuco & Anacharſi dictum eſt. Sicut enim illæ muſcas, aliaq; inferiora animalia retinent: veſpas verò & alias violentiores beſtiolas tranſmittunt: ita legibus pauperes & impotentes aſtringuntur; diuites verò & potentes elabuntur. Ideoq; neceſſe eſt vt magiſtratus legibus præſit. *11*

Pro deciſione quæſtionis obſeruanda ſunt ſequentia theoremata: 1, legem ſine magiſtratu in Repub. non poſſe conſiſtere: neque magiſtratum ſine lege. Ideoq; neceſſariam eſſe vtriuſq; coniunctionem. 2, legem præeſſe debere magiſtratui, partim vt normam ſecundum quam imperium ſuum ſeu Reipublicæ adminiſtrationem inſtituere ac conformare poſſit; partim vt frenum, quo prauæ ipſius cupiditates & affectus coerceantur. 3, magiſtratum præeſſe debere legi partim vt principium ipſius efficiēs; partim vt cuſtodem & executorem; partim vt iudicem prudentem & iuſtum, qui legem rectè & ſecundum æquitatis normam interpretetur, eiuſq; in ſpecialibus quibuſdam caſibus defectū congruenter expleat. 4, melius & efficacius regi Rempublicam ab optimo magiſtratu, quàm ab optima lege. *Quæſtio deciditur per theoremata.* 1 2 3 4

3 *Vnde leges ſuam habeant originem?*

CVm tanta ſit præſtantia legum, vt ſine iis nulla hominum ſocietas conſtare poſſit: non immeritò quæritur, vnde illæ ſuam origi-

Ideoque merito legi præeſſe debet, quatenus
2 eſt inanimata & muta. 2, quia prudentia eſt præſes & moderatrix omnium rerum, præſertim vitæ ciuilis. Illa autem non legi, ſed magiſtratui ineſt.
3 3, quia Deus præeſt legibus fati & naturæ. Ideoque cum magiſtratus ſit vicarius Dei, eiuſque imago animata, vt ſupra à nobis probatum fuit: ſequitur magiſtratum etiam
4 debere præeſſe legibus. 4, quia lex cum de rebus vniuerſalibus tractet, non poteſt omnes ſpeciales caſus exprimere: Ideoque in rebus ſingularibus contingentibus & futuris ſæpè deficit. Neceſſe igitur eſt, vt defectus eiuſmodi à
5 magiſtratu expleantur. 5, quia conditor legũ præeſſe debet legibus à ſe conditis. Magiſtra-
6 tus autem eſt conditor legum. 6, quia ſicut medicus nõ ſemper aſtrictus eſſe debet ad præcepta ſuæ artis, ſed interdum in caſibus ſpecialibus pro ſua prudentia agere in curando ægroto: ita etiam magiſtratus non ſemper aſtrictus eſſe debet ad leges, ſed interdum pro ſua prudentia regimen ciuile moderari. Hinc etiam fit, vt quémadmodum melius eſt prudentem medicum, quàm artem conſulere: ita etiam melius eſt prudentem magiſtratum, quàm legem conſulere, ſi
7 ciuitatem ſpectes. 7, quia leges ciuiles nihil valent niſi à magiſtratu omnem ſuam authori-
8 tatem & vim accipiant. 8, quia leges ſæpè nimis rigidæ & ſeueræ eſſent, niſi illas magiſtra-
9 tus æquitate temperaret & molliret. 9, quia magiſtratus gladium habet, quo putrida membra Reipublicæ poteſt percutere vel tollere: Lex
10 autem nõ. 10, quia ſicut aurifaber Lydio lapide

ex-

explorataurum, verumq; à falſo diſcernit: ita magiſtratus ſua prudentia explorat ius, verumq; à falſo & adulterino diſcernit. 11, quia leges aranearum telis ſunt ſimiles, vt à Solone, Saleuco & Anacharſi dictum eſt. Sicut enim illæ muſcas, aliaq; inferiora animalia retinent: veſpas verò & alias violentiores beſtiolas tranſmittunt: ita legibus pauperes & impotentes aſtringuntur; diuites verò & potentes elabuntur. Ideoq; neceſſe eſt vt magiſtratus legibus præſit. 11

Pro deciſione quæſtionis obſeruanda ſunt ſequentia theoremata: 1, legem ſine magiſtratu in Repub. non poſſe conſiſtere: neque magiſtratum ſine lege. Ideoq; neceſſariam eſſe vtriuſq; coniunctionem. 2, legem præeſſe debere magiſtratui, partim vt normam ſecundum quam imperium ſuum ſeu Reipublicæ adminiſtrationem inſtituere ac conformare poſſit; partim vt frenum, quo prauæ ipſius cupiditates & affectus coërceantur. 3, magiſtratum præeſſe debere legi partim vt principium ipſius efficiēs; partim vt cuſtodem & executorem; partim vt iudicem prudentem & iuſtum, qui legem rectè & ſecundum æquitatis normam interpretetur, eiuſq; in ſpecialibus quibuſdam caſibus defectū congruenter expleat. 4, melius & efficacius regi Rempublicam ab optimo magiſtratu, quàm ab optima lege.

Quæſtio deciditur per theoremata.

1

2

3

4

3 Vnde leges ſuam habeant originem?

CVm tanta ſit præſtantia legum, vt ſine illis nulla hominum ſocietas conſtare poſſit: non immeritò quæritur, vnde illæ ſuam origi-

Ideoque merito legi præeſſe debet, quatenus
2 eſt inanimata & muta. 2, quia prudentia eſt præſes & moderatrix omnium rerum; præſertim vitæ ciuilis. Illa autem non legi, ſed magiſtratui ineſt.
3 3, quia Deus præeſt legibus fati & naturæ. Ideoque cum magiſtratus ſit vicarius Dei, eiuſque imago animata, vt ſupra à nobis probatum fuit: ſequitur magiſtratum etiam
4 debere præeſſe legibus. 4, quia lex cum de rebus vniuerſalibus tractet, non poteſt omnes ſpeciales caſus exprimere: Ideoque in rebus ſingularibus contingentibus & futuris ſæpè deficit. Neceſſe igitur eſt, vt defectus eiuſmodi à
5 magiſtratu expleantur. 5, quia conditor legũ præeſſe debet legibus à ſe conditis. Magiſtra-
6 tus autem eſt conditor legum. 6, quia ſicut medicus nõ ſemper aſtrictus eſſe debet ad præcepta ſuæ artis, ſed interdum in caſibus ſpecialibus pro ſua prudentia agere in curando ægroto: ita etiam magiſtratus non ſemper aſtrictus eſſe debet ad leges, ſed interdum pro ſua prudentia regimen ciuile moderari. Hinc etiam fit, vt quẽadmodum melius eſt prudentem medicum, quàm artem conſulere: ita etiam melius eſt prudentem magiſtratum, quàm legem conſulere, ſi
7 ciuitatem ſpectes. 7, quia leges ciuiles nihil valent niſi à magiſtratu omnem ſuam authori-
8 tatem & vim accipiant. 8, quia leges ſæpè nimis rigidæ & ſeueræ eſſent, niſi illas magiſtra-
9 tus æquitate temperaret & molliret. 9, quia magiſtratus gladium habet, quo putrida membra Reipublicæ poteſt percutere vel tollere: Lex
10 autem nõ. 10, quia ſicut aurifaber Lydio lapide
ex-

explorat aurum, verumq; à falſo diſcernit: ita magiſtratus ſua prudentia explorat ius, verumq; à falſo & adulterino diſcernit, *11*, quia leges araneatum telis ſunt ſimiles, vt à Solone, Saleuco & Anacharſi dictum eſt. Sicut enim illæ muſcas, aliaq; inferiora animalia retinent: veſpas verò & alias violentiores beſtiolas tranſmittunt: ita legibus pauperes & impotentes aſtringuntur; diuites verò & potentes elabuntur. Ideoq; neceſſe eſt vt magiſtratus legibus præſit. *11*

Pro deciſione quæſtionis obſeruanda ſunt ſequentia theoremata: 1, legem ſine magiſtratu in Repub. non poſſe conſiſtere: neque magiſtratum ſine lege. Ideoq; neceſſariam eſſe vtriuſq; coniunctionem. 2, legem præeſſe debere magiſtratui, partim vt normam ſecundum quam imperium ſuum ſeu Reipublicæ adminiſtrationem inſtituere ac conformare poſſit; partim vt frenum, quo prauæ ipſius cupiditates & affectus coerceantur. 3, magiſtratum præeſſe debere legi partim vt principium ipſius efficiēs; partim vt cuſtodem & executorem; partim vt iudicem prudentem & iuſtum, qui legem rectè & ſecundum æquitatis normam interpretetur, eiuſq; in ſpecialibus quibuſdam caſibus defectū congruenter expleat. 4, melius & efficacius regi Rempublicam ab optimo magiſtratu, quam ab optima lege. *Quæſtio deciditur per theoremata.* *1* *2* *3* *4*

3 *Vnde leges ſuam habeant originem?*

CVm tanta ſit præſtantia legum, vt ſine iis nulla hominum ſocietas conſtare poſſit: non immeritò quæritur, vnde illæ ſuam origi-

nem habeant. Etſi verò hac de re non concors
Origo legum explicatur. eſt Philoſophorum opinio: tamen maximè pro-
banda videtur ſententia eorum, qui originẽ le-
gum partim ad Deum, partim ad homines refe-
Deus eſt prima cauſa efficiens legum. runt. Deus enim eſt prima cauſa efficiẽs legum:
tum quia eſt ſupremus Monarcha mũdi, & ex ſe
1 poteſtatem imperandi, prohibendiq; obtinet:
2 tum quia ſapientiſſimus eſt & iuſtiſſimus, adeo-
3 que autor & exemplar omnis boni in natura:
tum quia hominibus, quatenus perſonam ma-
giſtratus gerunt, ipſiusq; vicarii ſunt ius condẽ-
di leges prudentiamq; nomotheticam largitur.
Homines ſunt ſecunda cauſa efficiẽs legum. Homines verò ipſi ſunt ſecunda cauſa efficiens
legum, quatenus iure condendi leges pruden-
tiaq; nomothetica à Deo ſunt inſtructi. Idcircò
Lycurgus dicitur cõdidiſſe leges Lacedęmoniis;
Draco & Solon Athenienſibus; Saleucus, Lo-
crenſibus; Charundas Carthaginenſibus; Philo-
laus Corinthiis & Thebanis; Zoroaſter, Bactria-
nis & Perſis; Mercurius Triſmegiſtus Ægyptiis;
Minos, Cretenſibus; Zamolxis, Scythis; Numa
Põpilius Romanis; Plato, Magneſiis, &c. Quo-
niam verò leges ab hominibus latæ nullam per
ſe vim habent, niſi conſentiant cum legibus di-
uinis, ab iiſq; rectitudinem & authoritatem ha-
beant: hinc factum eſt, vt Veteres Legislatores,
quantũuis veræ religionis fuerint ignari ſuas le-
ges ſemper ad authorem Deum, ſiue verum ſiue
fictum retulerint. Draco enim & Solon originẽ
ſuarum legum attribuerunt Mineruæ; Charun-
das, Saturno; Minos Ioui; Plato & Lycurgus A-
pollini; Mercurius Triſmegiſtus, Mercurio; Za-
molxis, Veſtæ; Numa Pompilius Nymphæ Æge-
riæ,

næ, & ſic deinceps. Proinde iure optimo (vt Plato in principio librorum de legibus affirmat) omnium conſenſione inuentio legum vel proximè, vel per media ad Deum referenda eſt.

4 *Quis ſit finis legum?*

CVm leges neq; à Deo, neq; à viris prudentibus temerè & fruſtra cōdantur, ſed ſemper alicuius boni gratia: nō ſine cauſa quæritur, quis ſit finis legum. Ac Plato quidem lib. 1. & 2. de legib. illum ſtatuit eſſe virtutem: propterea quod hominib. duces ſunt ad virtutem: & quia ex virtute oritur Dei cultus & vitæ puritas. Idcircò idem in Epinomide, hoc eſt appendice legum, earum finem eſſe dicit, vt Dei cultu & vitæ puritate pulcherrimum vitæ exitum conſequamur. Cicero verò lib. 2. de legib. factas eſſe leges dicit, vt maneat hominū vita beata & quieta. Sic Piccolomineus gradu 10. Philoſophię moralis c. 28. finem legum eſſe aſſerit, 1, vt ciuibus omnib. ea viuendi forma proponatur, per quam congruēter ſe parent, recteq; erga alios diſponantur: ex quo ſummum ſingulorum bonum conſurgit: 2, vt qui amore virtutis nolint à vitio abſtinere, id faciant formidine pœnæ. Iſodorus autem lib. 2. Etymologiarum docet leges eſſe factas, vt earū metu humana coerceatur audacia, tutaq; ſit inter improbos innocētia. Etſi verò ex his opinionib. nulla eſt reiicienda: tamen clarior & diſtinctior videtur eſſe ſententia eorum, qui finem vltimum legum, præſertim humanarum poſt gloriam Dei ſtatuunt eſſe ſalutem & felicitatē Reipub. Intermedium vero ſeu ſubordinatum finē, probam & piam vitam hominum, qui in aliqua Repub. viuunt.

De fine legū ſententiæ aliorum recenſentur.

1

2

3

4

5

5 *De quibus rebus leges ferri ſoleant & debeant: & quibus hominibus?*

EXplicata origine & fine legum conſequens eſt vt breuiter declaretur earundem ſubiectum tum occupans, tum recipiens, hoc eſt, de quibus rebus leges ferri ſoleant & debeant: & quibus hominibus. Quod ad primum attinet, ſciendum eſt non de quibuslibet rebus leges ferri poſſe, ſed tantum de certo rerum genere. Nullus enim prudens & ſanæ mentis Legiſlator leges fert de rebus, quæ vel ſimpliciter ſunt neceſſariæ & aliter ſe habere non poſſunt vel ſunt impoſſibiles, vel merè fortuitæ: ſed ſemper de rebus contingentibus & poſſibilibus, & quæ libero hominis arbitrio ſunt ſubiectæ, quæque ab homine libere agente fieri poſſunt. Et hoc etiā teſtatur Piccolomineus gradu 10. Philoſophiæ ciuilis c. 23. cum ait, leges non de illis eſſe, quæ ſecus ſe habere nequeūt; ſed ſolum de rebus, quæ humanæ libertati ſubiiciuntur & varietati ſunt obnoxiæ. Sic Iunius parte 3. quæſt. Polit. quæſt. 88. inquit: *Sint leges de iis, quæ poſſunt fieri.* Alias erunt vota inania, & non leges, & ad deſperationem ſubditos impellunt. Et Plato lib. 8. de legibus ait: *τύχης νομοθέτης οὐδεὶς ἱκανὸς ἄρχειν: Nullus legiſlator fortunæ imperare poteſt.*

De quibus rebus leges ferri vel non ferri poſſint.

Præterea leges non de rebus turpibus, iniuſtis & inutilibus, ſed honeſtis, iuſtis & vtilibus ferri debent. Niſi enim hoc fiat, legum appellatione ſunt indignæ, meritoque reiici poſſunt. Lex enim in Latina lingua à legendo dicta eſt; propterea quod ex multis, quæ fieri poſſunt, con-

conſultatione & conſenſione conuenienti le-ctâ ſit. In Græca verò lingua dicitur νόμος vel à νέμω, quod per eam ſuum cuiq; tribuatur, vel vt Plato vult, à νόος mens, quod à mente diuina prodiens per mentem humanam in vrbes & cõgruentes mores manet. Et propterea etiam Cicero lib. 1. Rhetoricorum veterum ait: *Nulla eſt lex, quæ aliquam rem inutilem, aut iniquam fieri velit.* Porrò non quibuslibet hominibus ſine diſcrimine leges ferri ſolent & debent: ſed tantũ iis, qui ad illas ſeruandas ſunt apti & obligati; & niſi hoc faciant, pœnarum irrogatione iure coerceri poſſunt. Tales autem ſunt, qui ſunt membra Reipublicæ, naturalemq; & intelligendi & præſtandi leges facultatem habent. Proinde à ſubiecto legum recipiente excluduntur non tãtum infantes & moriones, qui leges neq; intelligere, neq; præſtare poſſunt: ſed etiam illi, qui ad Rempublicam, in qua leges feruntur, omninò non pertinent, ſed prorſus ſunt extranei & peregrini. *Quibus ferenda ſint leges.*

6 *An pauca potius, quam multa leges ſint ferendæ?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt 1, quia legum multitudo perturbat ciues, minuſq; obſequentes efficit. 2, quia ſignum eſt malè conſtitutæ Reipub. vbi multæ leges ſunt. Sicut enim medicorum & pharmacorum in aliqua ciuitate multitudo arguit ægrotorum & morborum multitudinem: Ita multitudo legum, vitiorum dominantium multitudinem. 3, quia ſi ſuo magiſtratus fungatur officio, legum *Pro theſi affir. Ratio.* 1 2 3

multitudo eſt ſuperuacanea: ſi non fungatur, eſt moleſta & pernitioſa.
4 4, quia quo plures leges iubent, eò plures lites & controuerſiæ oriuntur
5 ex diuerſa illarum interpretatione. 5, quia quò pauciores ſunt leges, eò melius & facilius à ciuibus cognoſci & obſeruari poſſunt. His rationib. motus Solon paucas leges; Lycurgus, pauciores tulit, vt docet Plutarchus in vita vtriuſq;: Et Plato pauciſſimas eſſe promulgādas leges putauit.

7 An omnes leges debeant eſſe honeſtæ, iuſtæ, vtiles & neceſſariæ?

Pro theſi aff. Ratio. Statuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1,
1 quia leges debent eſſe normæ directrices vitæ humanæ benè & laudabiliter inſtituendæ: 2,
2 quia ex prudentia & virtute tanquam ex fonte
3 ſuam habent originē. 3, quia debent eſſe media bonum publicum, nempe ſalutem & felicitatē
4 Reipublicæ promouendi & conſeruādi. 4, quia debent tradi non niſi de rebus honeſtis, iuſtis &
5 vtilibus vt patet ex Quæſt. quinta. 5, quia leges vitiorum emendatrices eſſe oportet, commendatricesq; virtutum, vt docet Cicero lib. 1. de legib. Vnde etiam Ariſtoteles lib. 5. Ethic. Nicom. c. 5. ait: καθ' ἑκάστην ἀρετὴν, προστάττει ζῆν, καὶ καθ' ἑκάστην μοχθηρίαν κωλύει ὁ νόμος: hoc eſt, *Lex iubet ſecundum vnamquamq; virtutem viuere, & prohibet ſecundum*
6 *vnumquodq; vitium viuere.* 6, quia leges inhoneſtæ, iniuſtæ & inutiles, non reipſa ſed nomine tenus tantum ſunt leges. Ideoq; etiam ad obedi-
7 entiam neminem in conſciētia obligant. 7, quia leges non debent eſſe ſuperuacaneæ, ſed ita cōparatæ, vt ſine iis neq; bonum publicum conſequi, neq; malum propulſare poſſimus.

8 An

1 *An omnes leges ſua natura debeant eſſe poſſibiles & nulla impoſſibilis?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia leges nihil aliud præcipere & prohibere debent, niſi quæ homini ſunt facienda, aut omittenda. 2, quia leges informare debent actiones voluntarias hominum, vt ſint honeſtæ, laudabiles, vtilesq; Reipublicæ. Ideoq; cum hæ actiones verſentur circa res, quę ab homine liberè operante fieri, aut omitti poſſunt; ſequitur etiam leges circa eaſdē occupari debere. 3, quia leges exigunt obedientiam ab eo, cui feruntur. Iam autem obedientia verſatur circa ea quæ in facultate obedientis ſunt poſita, vt docet Piccolomineus gradu 3. Philoſophiæ moralis c. 11. 4, quia omnes leges ex prudentia eius, qui legitimè imperat, æſtimari debent. Is autem nō iubet fieri niſi ea ſolum, quæ ſunt in facultate obtemperantis vt ibidem tradit Piccolomineus. 5, quia is, qui obtemperat, ad alia non tenetur, niſi ad ea efficienda, quæ vires eius non ſuperant, teſte ibidem Piccolomineo. Vnde rectè vulgò dici ſolet: *Nemo ad impoſſibile obligatur.* 6, quia finis legum eſt, vt ab iis, qui feruntur, obſeruentur, vitaq; rectè & congrue inſtituatur. Illum autē finem conſequi nō poſſunt, niſi ſint poſſibiles. 7, quia leges ſunt media per conſultationē electa, quib. homines ad finē Reipub. cōmodè deduci poſsūt. Eiuſmodi autē media omnia neceſſe eſt, vt ſint poſſibilia. Nemo enim per conſultationē eligere ſolet ea, q̄ planè ſunt impoſſibilia. 8, quia

Pro thesi affir. Ratio. 1 2 3 4 5 6 7 8

ad leges ſeruandas Deus & homines prudentes ſubditos hortari ſolent. Nemo autem alium ad rem impoſſibilem, ſed tantum poſſibilem hortari ſolet. 9, quia tranſgreſſores legum iniuſtè punirentur, niſi in ipſorum facultate fuiſſet leges illas ſeruare.

Obiectio. Cæterum contra hanc ſententiam obiici poteſt: 1, teſtimonium ſacræ Scripturæ, quæ affirmat non tantùm hominem perfectam obediẽtiam legi Dei in hac vita præſtare non poſſe: ſed etiam hominem malum & improbum non poſſe benè agere, perinde ac arbor mala non poteſt bonos fructus ferre. 2, teſtimonium communis experientiæ, quæ teſtatur tantam eſſe impotentiam hominum in ſeruandis legibus vel ciuilibus, vt frequentius eas violent, quam ſeruent.

Soluuntur obiectiones. Reſpondeo ad primam obiectionem: 1, nuſquam ſacram Scripturam expreſſis verbis affirmare hominem in hac vita perfectam obedientiam legi Dei præſtare non poſſe: imò contrariũ potius in ea reperiri, dum paſſim hominem ad perfectam obedientiam legi Dei in hac vita præſtandam hortatur: & de quibuſdam affirmat, quod in omnibus mandatis & conſtitutionibus Domini inculpatè inceſſerint. 2, etiamſi in ſacra Scriptura eiuſmodi affirmatio inueniretur: illam tamen non ita eſſe intelligendam, as ſi homo nullam prorſus habeat potentiam perfectè obediendi legi Dei, & ſic lex Dei ipſi ſit ſeruatu ſimpliciter impoſſibilis: cum aliud ſit non poſſe, & aliud non habere potentiam faciendi aliquid, vt lib. 2. metaphyſ. in capite de poſſibili-

tate

tate à me traditum fuit: ſed tantum quod perfe-
cta obedientia erga legem Dei actu in homi-
nem propter impedimenta quædam actu cade-
re non poſſit. Præterea illam non ſimpliciter
de quolibet homine eſſe intelligendam, ſed tã-
tum de homine carnali ſeu mundano, aut ſaltẽ
de eo, qui nondum perfectum pietatis habitũ
contraxit. Ille enim, quamdiu talis manet, non
poteſt benè agere, perinde ac arbor mala non
poteſt bonos fructus ferre: multò minus po-
teſt perfectam obedientiam legi Dei præſtare.

2 Ad alteram obiectionem reſpondeo cauſam,
cur homines frequentius legem violent, quam
ſeruent, non eſſe in impotentia, præſertim na-
turali hominis: ſed partim in libero hominis
arbitrio, per quod homo indifferens eſt ad v-
trumq; oppoſitum, & tam hoc, quam illud fa-
cere, aut non facere poteſt: partim in prauita-
te & vitioſitate morali hominis, per quam non
tantum iudicium & proæreſis ipſius corrumpi-
tur: ſed etiam idem procliuis redditur ad malũ
potius quam bonum agendum.

9 *An leges conſuetudinibus, moribus, locis, tempo-
ribus & perſonis debeant eſſe conuenientes?*

PRo theſi affirmante adduci poſſunt hæc ar- *Pro theſi af-
gumenta: 1, quia leges debent eſſe naturæ *fir. Argum.*
conſentaneæ. Conſuetudo autem eſt altera na- 1
tura. 2, quia iuris cenſor & explicator grauis 2
eſt conſuetudo, vt docet Liuius Decade 4. lib. 4.
3, quia leges ad Rempub. ſunt accommodandæ, 3
non Reſpublica ad leges. Ideoq; neceſſaria eſt
ad rectam legum lationem diuerſarum Rerum-

pub. cognitio, præſertim eius, in qua leges feruntur. 4, quia leges nihil proficiunt, niſi morib. v-
4 tentium approbentur & firmentur. 5, quia leges
5 ciuiles ex particulari quadam loci & perſonarũ
6 ibidem habitantium ratione conflantur. 6, quia vnumquodq; tempus ſuos mores affert, quibus
7 accommodandæ ſunt leges. 7, quia ſicut vnum Collyrium non prodeſt omnium oculis: neque idem calceus omni pedi eſt aptus: Ita neq; eadem leges omnibus conueniunt. 8, quia leges
8 eſſent veluti tyranni, ſi mutatis cauſis conſtitutionis, & rationibus introductionis ceſſantibus illæ eædem imperarent.

I. pro thesi neg. Argum. Contra pro theſi negante afferri poſſe videntur hæc argumenta: 1, quia conſuetudo impedi-
1 re non debet, quò minus Legiſlator in ferendis legibus veritatem ſequatur. Eſt enim *conſuetudo ſine veritate vetuſtas erroris*, vt ait Cyprianus. Idcircò etiam Auguſtinus lib. 2. de vnico baptiſmo ait: *Veritate manifeſtata conſuetudo cedat veritati.* Ibidem; *Nemo conſuetudinem rationi & veritati præponat.* Quia conſuetudinem ratio & veritas ſemper excludit. In quam ſententiam etiã Demoſthenes inquit: *Noli dicere, quod hoc ſæpe ſit factum, ſed oſtende, quod rectè ſit factum, & ita fieri*
2 *oportuerit.* 2, quia leges debent eſſe prauarum conſuetudinum & morum prauorum emendatrices & expultrices. 3, quia leges debent eſſe
3 normæ directrices actionum humanarum, ducesq; ad virtutem: Ideoq; ad diuerſam locorum, temporum & perſonarum affectionem nõ ſunt inflectendæ.

Pro

Pro deciſione quæſtionis notandum eſt illam eſſe intelligendam de conſuetudinib. non prauis ſed honeſtis & probatis, quæ in leges transferri poſſunt, vt firmius obſeruentur: neq; de qualibet conuenientia legum cum locis temporibus & perſonis: ſed tantum de illa, quam recta ratio præſcribit, & determinat in conſtituendo medio, circa quod virtus moralis verſatur. *Quæſtio deciditur per diſtinct.*

10 *An leges debeant eſſe perſpicuè ſcriptæ?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia nihil magis cōfert ad rectam legum interpretationem ac intelligentiam, quam perſpicuitas. 2, quia legum virtus eſt controuerſias aut nullas, aut paucas parere; & ortas ſubitò tollere. Illa autem virtus pendet à perſpicuitate legum. 3, quia obſcuritas legum impedit rectum illarum intellectum, & occaſionem præbet interpretibus ad natiuum legum ſenſum ſuis gloſſis corrumpendum & adulterandum. 4, quia ex legibus obſcuris oritur Ilias controuerſiarum & litium forenſium, quæ etiam non niſi longo temporis ſpatio componi poſſunt. 5, quia Cicero Rullum reprehendit, quod leges ferat ambiguas: & eadem de cauſa Antonium quoq; in Philippicis perſtringit. *Pro theſi affir. Ratio.* 1 2 3 4 5

11 *An legum promulgatio ſit neceſſaria, & quomodo fieri debeat?*

NOn ſatis eſt magiſtratum cōdere leges, niſi etiā curet, vt cōditę promulgētur. Qūādiū enim publicè nō proponūtur, vt ab iis, quib. ſunt cōditę cognoſci poſſint, nemine vel ad obediētiā *Neceſſitas promulgādi leges probatur.*

tis præſtandam, vel ad pœnam earum violatori-bus conſtitutum ſoluendam obligat. Quomodo autem fieri debeat eiuſmodi promulgatio, non ineptè quæritur. Ac licet pro Rerumpub. diuerſitate diuerſus quoq; modus promulgandi obſeruetur: tamen vulgatus & vſitatus modus eſt, vt leges ſiue ſcriptæ, ſiue excuſæ in publicis ordinum populi conuentibus ſolenniter proponantur: ſimulque breuiter cauſæ, cur latæ ſint, exponantur, quarum præcipuæ ſunt illarum neceſſitas vtilitas & æquitas.

Quomodo leges ſint promulgandæ.

12 *An liceat magiſtratui Politico leges condere legi naturali & diuinæ contrarias?*

Pro theſi neg. Ratio.

STatuitur theſis negatiua. Rationes ſunt: 1, quia magiſtratus eſt vicarius Dei: Ideoque
1 nihil præcipere & prohibere debet, quod vo-
2 luntati Dei ſit contrarium. 2, quia magiſtratus in condendis legibus rectæ rationis ductum ſe-
3 qui debet. Id autem non fit, quando eius leges legi naturali ſunt contrariæ. 3, quia leges ciuiles non aliunde, quam ex lege naturali & diuina
4 tanquam riuuli ex fonte ſunt deducendæ. 4, quia quicquid legi naturali & diuinæ eſt contrarium, illud eſt iniuſtum & iniquum. Quod autem iniuſtum eſt & iniquum, id non licitum eſt
5 magiſtratui præcipere. 5, quia magiſtratus Politicus debet eſſe cuſtos & defenſor legis naturalis & diuinæ. Id autem fieri non poteſt, quando leges his contrarias ſancit.

Error Q. Politici taxatur.

Neque obſtat quod quidam Politici aſſerūt leges ciuiles leges generales reſtringere ad ſpeciales circumſtantias, pro cuiuſq; loci vtilitate, condi-

conditione, natura aliisq; circumſtantiis. Ideoque partim cum iis conſentire, partim ab iiſdem diſcrepare. Non enim ſtatim à legibus generalibus ciuiles leges diſcrepant quia circumſtantiarum determinatione ab iis differunt.

13 *An leges ciuiles differant à legibus naturalibus & diuinis?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia leges naturales & diuinæ, quatenus ſunt morales, omnes communiter homines obligant: ciuiles autem non niſi eos, qui eius, in qua latæ ſunt Reipublicæ ſunt membra. 2, quia leges ciuiles quatenus rectè ſunt conditæ, ſunt riuuli ex legibus naturalibus & diuinis tanquam ex fonte deriuatæ. 3, quia leges naturales immediatè præſcribit recta ratio, prout illa eſt in omnibus ſanæ mentis hominibus: diuinas ipſe Deus: ciuiles magiſtratus Politicus. 4, quia leges ciuiles pro diuerſa Reipub. forma & ſtatu ſunt variæ & mutabiles: naturales autem & diuinæ, quatenus ſunt morales, ſunt vniformes & immutabiles. 5, quia leges naturales & diuinæ ſunt normæ & menſuræ legum ciuilium. Ideoque quæcunq; leges ciuiles cum his normis & menſuris non congruunt, ſed pugnant, illæ ſunt prauæ & iniuſtæ, hominesq; in conſcientia non obligant.

Pro theſi aff. Ratio. 1 2 3 4 5

14 *An conſultum ſit Republica leges veteres mutare, & nouas ſurrogare?*

PRo theſi negante afferri ſolent hęc argumẽta: 1, quia omnis mutatio in Republica eſt periculoſa & exitioſa iuxta illud Xenophon-

Pro theſi neg. Argum. 1

tcum: πᾶσαι πολιτειῶν μεταβολαὶ θανατηφόροι, *omnes R*
rumpub. mutationes ſunt mortiferæ. Ergo etiam le
2 gum mutatio. 2, quia mutatio legum ſecum cō
temptum affert legum, quatenus earum autor
tatem eneruat. Dum enim homines vident leg
abrogari & annihilari opinionem prauam cō
cipiunt de legibus in genere quod non ſint ve
ræ regulæ benè viuendi: cum veræ regulæ pro
3 prium ſit, vt ſit perpetua & conſtans. 3, quia ma
giſtratus authoritas vileſcit per legum mutatio
nem. Cogitant enim homines magiſtratum n
ea eſſe prudentia vt poſſit rectè proſpicere tem
porum, perſonarum, ac locorum futuras circu
ſtantias, dum nempè cogitur aliquando id mu
tare, quod ſemel ei aut ſaltem maiorib. placui
4 4, quia mutatio legum obtemperandi eneruat
conſuetudinem & ſeditionum ciuilium flam
5 mas accendit. 5, quia nihil eſt quod Rempubl
cam magis conſeruat quam hominum de legi
honeſta opinio. Huic autem contrariatur leg
mutatio tanquam quædam earum corruptio
Quod enim corruptibile eſt, id pro excellen
6 non habetur. 6, quia lex nullam vim habet
ipſi pareatur niſi ex conſuetudine vt docet Ar
ſtoteles lib. 2. Polit, cap. 8. Conſuetudo autem
non niſi temporis longinquitate introducitu
Idcircò mutare leges eſt vim earum infirma
7 reddere. 7, quia non eſt tantum commodi i
mutatione legum, quantum damni in ſtud
8 nouitatis. 8, quia ipſa vetuſtatis ſpecies, vt a
Bodinus lib. 4. de Repub. cap. 3. tam chara cu
que eſt, vt lex antiqua ſine magiſtratibus faci
[illegible] ſe tu

ſe tueri poſſit: Legum verò nouitas vix vlla præmiorum ſpe aut metu pœnarum aut magiſtratuum officiis conſiſtere poſſit. 9, quia qui leges, quæ ad ſtatum Reipublicæ pertinent, mutare ſalua Repub. conatur, perinde facit vt ii, qui ædium altiſſimarum ſubſtructiones ac fundamenta renouare ſe poſſe putant ſaluis ædibus, quæ niſi ruant, plus tamen ipſa concuſſio domus incommodi quam noua materia vtilitatis eſt allatura: eoque magis cum ciuitas quaſi vetus & caduca domus diutiſſimè in eodem ſtatu ſtetit: vt idem Bodinus ait in citato loco. 10, quia ſicut in ædificio ruunt omnia, vno aliquo ligno exempto: ſic vnius legis mutatio ruinam trahit omnium: qua ex re neceſſe eſt infinitos motus exiſtere. 11, quia vt ſine valetudinis iactura nemo victus rationem mutat ita nec leges ſine publica perturbatione mutantur. 12, quia ad ciuitatum ocium & ad concordiam ſtabiliendam, nihil perinde conducit atque veterum legum morumque conſeruatio. Et hoc teſtatur etiam verſiculus ille Veteris Poetæ memorabilis:

9

10

11

12

Moribus antiquis res ſtat Romana viriſq;.

13, quia omni tempore omnes ſapientes Reipublicæ gubernatores quanto potuerunt ſtudio cauerunt, non neceſſarias mutationes legum & Rerumpub. ac maluerunt aliqua parua incommoda condonare cõſuetudini: ne mota Repub. vt ægro corpore maiora mala accidant: imo ipſi inueteratæ conſuetudinis vitia, ſi nõ prorſus eſſent enormia, ſapienter tolerarunt ac diſſimularunt, ſicut næuos corporũ, qui ſine deformitate

13.

multò maiore elui vel expungi non potuerunt: ne noua mutatione occaſio periculis & ſeditionibus præbeatur. Hinc etiam Plato vitia Politiarum inueterata tolerare ſuadet, ſicut errata parētum ſenio aut morbo delirantium: 14, quia eſt ab antiquis accepta & poſteritati diu probata ciuitatum conſeruandarum diſciplina: ſcilicet in ea Repub. quæ diutiſſimè floruit eodem ſtatu, quantacunq; vtilitatis ſpecies appareat in ſperata conuerſione nihil eſſe mutandum vt docet Bodinus lib. 4. de Repub. cap. 3. Facile enim eſt, vt ait Pindarus, cuiuis mutare ciuitatis ſtatum: ſed commotum turbatumq; ſedare & in tranquillum reſtituere ſolius Dei opus eſt. Et hoc etiam monet vetus illud & multorum ſcriptis celebratum Prouerbium: *Τὸ κακὸν εὖ κείμενον μὴ κινητέον.* Cui verſiculus Phocylidis congruit:

Μὴ κινεῖν Καμαρίναν: ἀκίνητος γὰρ ἀμείνων.

Ne moueas Camarinam: immotus enim eſt melior.

15 15, quia veteres leges mutare ſecundum Platonem perinde eſt ac Hydræ capita præcidere. Et ſecundum Thucydidem, tutiſſimæ ſunt Reſpublicæ quæ quam minimum in legibus veteribus mutant: etiamſi habeant aliquid vitii. Hinc Solon cum videret quantis cum periculis mutatio legum & ſtatus Reipublicæ coniuncta eſſet: adegit ſenatum ad iuramentum, quo pollicebatur ſanctè ſe ſeruaturum eſſe leges, à Solone latas. Et Lycurgus obſtrinxit ciues iuramento, ne mu-
16 tarent leges vſque ad ſuum reditum. 16, quia Scriptura Sacra legum veterum mutationem improbat & prohibet cum ait Prouerb. 22. *Ne transferas limites quos ſtatuerunt patres tui*: id eſt ne

mutes

mutes leges, quas vetuſtas graui autoritate tradidit. Item Eccleſiaſt. 10. *Qui diruit ſepem, mordetur à colubro*: id eſt, qui mutat leges & præſentem Reipub. ſtatum opprimetur ab hominibus ſceleratis, quibus laxauit frenos. Vel, qui veterem formam Reipublicæ conuellit & labefactat; is accerſit ſibi exitium. Sicut enim ſerpentes penetrant in hortum rupto pariete: ita conceditur improbis licentia graſſandi in Repub. poſtquam authoritas legum nouo exemplo labefactata eſt. Item ibidem: *Qui transfert lapides affligetur ab eis*: id eſt, qui mutat leges & formam Reipub. exercebitur magnis periculis. 17, quia experientia teſtatur 17
tutiorem eſſe Rempub. quæ iiſdem legibus, etiam malis vtitur; quam quæ mutationibus gaudet. Hinc Polybius diſputans de cauſis cur Carthago toties victa & tandem oppreſſa & deleta ſit à Romanis: cum contra vrbs Romana creuerit, illam transfert in ſtudium diuerſum populi vtriuſque: quod eò tempore multò negligentius Carthaginenſes, quam antea; Romani multò diligentius conati ſint tueri ac defendere leges patrias. Et Locrenſes adeo impenſe mutationem legum oderunt vt ſi quis legem ferre nouam vellet, iuberetur illud facere collo in laqueum inſerto: vt ſi lex videretur bona, eius author incolumis abiret: ſin diſpliceret, laqueo ei gula frangeretur, vt teſtatur Demoſthenes in oratione contra Timocratem. Idcirco etiam rectè Menander ait: νόμοις τοῖς ἐγχωρίοις ἕπεσθαι καλόν *leges patrias ſequi eſt pulchrum.*

Pro thesi aff. Argum. At contra pro theſi affirmante militant hæc argumenta: 1, quia mutatio morum eſt cauſa
1 mutationis legum. Illa igitur in Republica po-
2 ſita neceſſe eſt hanc quoque poni. 2, quia mutatio negociorum, temporum & locorum mu-
3 tationem legum interdum flagitat. 3, quia ſalus populi, quæ ſuprema lex eſt, quandoq; exigit vt leges veteres mutentur & nouæ in earum
4 locum ſurrogentur. 4, quia recta ratio dictitat lege meliore inuenta veterem eſſe antiquandā: præſertim ſi hæc ſit barbara, iniqua, noxia aut
5 abſurda. 5, quia ſicut poſteriora cogitata hominum plerunque meliora ſunt prioribus: ita etiam leges nouæ meliores ſunt plerunq; veteribus.

Quæſtio deciditur per theoremata. Pro deciſione quæſtionis notanda ſunt ſequentia theoremata: 1, leges veteres Reipu-
1 blicæ non eſſe mutandas ſi omnes conditiones bonarum legum habeant, hoc eſt, ſi ſint iuſtæ, poſſibiles, ſecundum naturam & conſuetudinem patriæ, loco & tempori conuenientes, neceſſariæ, vtiles, apertæ, non priuato commodo, ſed totius ciuitatis vſu bonoque præſcriptæ vt
2 Caſus docet lib. 2. Sphæræ ciuitatis, cap. 6. 2, leges veteres Reipublicæ interdum mutari poſſe ſi omnes conditiones bonarum legum non habeant: ſed illam mutationem eſſe ſuſcipiendum non frequenter ſed rarò: neque temerè ſed prudenter, antegreſſa deliberatione matura, & exigente hanc neceſſitate, vtilitate & ſalute Reipublicæ: neque ſubitò ſed lente: neque duriter ſed leniter: neque citra, ſed cum conſenſu populi. Sicut enim in corpore humano victus muta-

mutato ſi ſit ſubitanea, inconſueta & violenta parit omnis generis morbos: Ita in ciuitate legum mutatio, ſi ſit inconſiderata, ſubita & violenta, omnis generis mala gignit: Et ſicut in corpore cacochymo ex ſententia Medicorum non vtile eſt humores ſubitò & nimium commouere: ne iſta commotione irritati & exaſperati maius damnum & detrimentum ei inferāt: Ita in Reipublicæ corpore languente non eſt vtile leges veteres ſubitò & immoderatè mutare, ne animi ſubditorum illa mutatione irritentur ac exaſperentur ad ſeditionem & rebellionem aduerſus magiſtratum ſuſcipiendam.

CAPVT V.

De diſciplina ciuili.

PRÆCEPTA.

1 *Hactenus explicata eſt ſanctio legum. Sequitur nunc earundem executio, per quam leges ad vſum Reipublicæ prudenter à magiſtratu applicantur.*

2 *Illa verò perficitur partim per diſciplinam, partim per iuriſdictionem ciuilem.*

3 *Diſciplina ciuilis eſt vitæ ciuilis ſecundum leges conformatio.*

4 *Eius conſideratur partim recta conſtitutio, partim conſeruatio.*

5 *Conſtitutio recta diſciplinæ ciuilis eſt, quæ legibus eſt conſentanea & ab iiſdem pendet.*

6 Eius fundamentum primum eſt legitima liberorum in Republica tum procreatio, tum educatio & inſtitutio. Ideoq́; vtriuſq́; curam habere magiſtratum oportet.

7 Conſeruatio diſciplinæ ciuilis conſiſtit in iuſta tum præmiorum, tum pœnarum diſtributione.

8 Diſtributio iuſta præmiorum fit, quando Magiſtratus eos, qui leges ritè obſeruant, & de Repub. benè merentur, dignis præmiis afficit.

9 Diſtributio iuſta pœnarum fit, quando Magiſtratus legum tranſgreſſoribus dignas pœnes erogat.

1 *An legum executio in Repub. ſit neceſſaria?*

Pro theſi affir. Ratio. Statuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia leges ſunt inſtrumenta vitam ciuilem
1 benè inſtituendi & peragendi. Iam autem omnis inſtrumenti natura conſiſtit in vſu, & ex-
2 tra vſum nihil habet rationem inſtrumenti. 2, quia legum natura non tantum in eo conſiſtit, vt benè illæ ſint conditæ & ſcriptæ: ſed vt benè his pareatur. Idcircò rectè ait Diogenes Pythagoræus in libro de ſanctitate: Τὼς νόμως οὐκ ἐν οἰκήμασι καὶ θυρώμασιν ἐμμῆμεν δεῖ, ἀλλ᾽ ἐν τοῖς ἤθεσι τῶν πολιτευομένων· hoc eſt, *leges non in ſcriniis & tabulis ſed in moribus ciuium ineſſe oportet*, vt citat Stobæus
3 Serm. 41. 3, quia melius eſt non eſſe prorſus le-
4 ges, quam legibus non obtemperare. 4, quia leges

leges, ſine executione ſunt vanæ & inutiles, ſimileſque campanis piſtillo carentibus. 5, quia 5
Reſpub. quæ bonas habet leges, his verò non vtitur, ſimilis eſt homini incontinenti vt docet Ariſtoteles lib. 7. Polit. cap. 10. 6, quia legum 6
finis eſt proba beataq; vita hominum. Ille autem finis obtineri nequit ſine executione legũ.
7, quia Magiſtratus propterea adiunctus eſt legibus, vt ſit earum cuſtos & executor. 7
Hinc Lacedæmonii non tam de legibus ferendis fuerunt ſoliciti, quam de earum obſeruantia & cultu. Vnde legatus Athenienſis cum domum reuerſus Sparta à Senatu interrogaretur, *quomodo Spartani Rempub. ſuam adminiſtrarent, funem, furcam & gladium ſecum in curiam attulit, & ijs monſtratis, in his poſitam eſſe ſalutem ciuitatis, haſce leges Spartanorum eſſe dixit.*

2 *An diſciplinæ ciuilis cura neceſſario à magiſtratu ſit ſuſcipienda?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, *Pro theſi affir. Ratio.*
quia imperium ciuile ſine diſciplina ciuili 1
conſiſtere non poteſt. 2, quia nulla poteſt fieri 2
legum executio ſine diſciplinæ ciuilis conſtitutione & conſeruatione. 3, quia diſciplina ciuilis 3
eſt vinculum Reipublicæ, quo ſingula eius membra arctiſſimè inter ſe colligantur ad communem totius corporis ciuilis ſalutem. 4, quia 4
eſt inſtar gubernaculi, quo nauis Reipúblicæ benè regitur, vt tuta & ſalua ad portum optatum perueniat. 5, quia eſt frenum licentiæ & 5
improbitatis ad peccandum petulanter ſpe impunitatis ruentis. 6, quia diſciplinæ ciuilis ne- 6

glectus feneſtram aperit ciuibus ad licentioſè viuendum, omnisque generis ſcelera & flagitia impunè perpetrandum. Ex quo tandem neceſſario interitus Reipublicæ conſequitur.
7 7, quia tam diu vigent Reſpublicæ, quam diu leges in his bonæ dominatum obtinent & conſeruantur, vt docet Plato in Critia, & Ariſtoteles lib. 5. Politic. cap. 8. Idcircò etiam teſte Polybio lib. 6. non poſtrema tempore belli Punici cauſa Carthaginenſium infortunii, & felicitatis Romanorum ea affertur quod leges illi neglexerint: hi verò ſtudioſè & religioſè obſeruarunt.

3 *An magiſtratus de recta liberorum procreatione, educatione & inſtitutione debeat eſſe ſolicitus?*

Pro theſi affir. Ratio. STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt:
1 1, quia liberi non tantum parentibus, ſed etiam Reipublicæ naſcuntur. Ideoq; de iis non minus magiſtratus ac parentes; debet eſſe ſolicitus.
2 2, quia liberi ſunt nouæ & tenellæ plantæ Reipublicæ. Ideoque ſicut hortulanus, qui arbores bonas & fructuoſas habere cupit, de recta earum ſatione & cultu curam ſuſcipere debet: Ita etiam magiſtratus, qui ciues bonos in Repub. habere cupit, de recta liberorum procreatione, educatione & inſtitutione ſolicitus eſſe debet.
3 3, quia honeſta procreatio liberos reddit honeſtos, confidentes & animoſos: ſicut contra inhoneſta reddit inhoneſtos & opprobriis per totam vitam obnoxios, eorumque animos deiicit & deprimit. Idcircò

circò Euripedes in Hercule furente ait, *malè agi cum iis liberis, quorum generationis fundamentum non benè eſt iactum.* 4, quia Legiſlatores olim non tantum præſcripſerunt ciuibus, quales vxores, & quo ætatis tempore ſint ducendæ: ſed etiam præmia & pœnas conſtituerunt iis, qui leges nuptiales obſeruarunt aut violarunt. 5, quia fundamentum totius Reipublicæ eſt recta iuuenum educatio & inſtitutio. 6, quia ſicut melius eſt non ſerere plantas, quam permittere, vt illæ natæ ſine cura & cultu pereant: Sic melius eſt non gignere liberos, quam permittere, vt ſine recta educatione & inſtitutione deprauentur & corrumpantur. 7, quia non tantum multa priuata, ſed etiam publica mala & damna oriuntur ex neglectu rectæ procreationis, educationis & inſtitutionis liberorum. Proinde eius cura magiſtratui Politico apprimè debet eſſe commendata.

4 *An in benè conſtituta Repub. præmiorum diſtributio ſit neceſſaria?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia æquum eſt, vt vnuſquiſq; fructum ſuarum virtutum recteque factorum percipiat. 2, quia ſpes præmiorum inflammat ciues ad ſtudium virtutis, honeſtarũq; actionũ. Nihil enim non aggrediuntur homines quando magnis conatib. vident præmia magna proponi. 3, quia ſicut frugum copiam gignit bona aeris temperies: ita bonorum virorum multitudinem parit magiſtratus in dandis præmiis liberalitas. 4, quia vbi virtutibus ſua ſunt præmia propo-

Pro theſi aſſir. Ratio.

ita: it iad gubernacula Reipub. optimi quiq; promouentur: & ſic eius ſtatus felicior redditur. Hinc Solon *illam ciuitatem optimè habere dixit, in qua viros bonos honoribus affici; contra autem improbos pœnis, mos fuerit.* 5, quia malè agitur
5 cum illa Repub. in qua viri boni & mali vno eodemq; loco habentur: nihilq; plus fortes &
6 ſtrenui, quam ignaui auferunt. 6, quia in hiſtoriis malè audiunt illi, qui erga benè meritos ciues ingrati fuerunt, iiſque debita præmia non
7 tribuerunt. 7, quia olim pœnæ conſtitutæ fuerunt in eos, qui benè meritis præmia denegarunt.

Obiectio. Sed contra hanc ſententiam obiici poteſt: 1,
1 virtutem, ſibi eſſe pulcherrimam mercedem ſatisq; in ipſa conſcientia facti pulcherrimi eſſe fructum. Ideoq; præmiis externis opus non eſ-
2 ſe. 2, virum bonum amore virtutis & Reipub. potius, quam commodi aut præmii ſpe adductum rectè agere aliiſque benefacere debere.
3 3, diſtributionem præmiorum ærarium & facultates Reipublicæ exhaurire.

Soluuntur obiectiones. Reſpondeo ad illas obiectiones: 1, virtutem
1 quidem ſeipſa eſſe contentam, & per ſe ſibi eſſe ampliſſimam mercedem, neque præmia externa deſiderare: interim tamen tantam eius eſſe præſtantiam, vt ſua natura ſit digna, quæ præmi-
2 is afficiatur. 2, virum bonum omnia quidem agere debere amore potius virtutis & Reipub. quam ſpe alicuius commodi ſeu præmii: Interim tamen non peccare, ſi ſpe præmii etiam ad rectè agendum excitetur. Et propterea Deus ipſe ſuis cultoribus præſtantiſſima præmia promittit,

mittit, vt illorum ſpe ad vitæ piæ ſanctæq; ſtudium excitentur. Quod certè non faceret, ſi à viro bono ſimpliciter eſſet alienum ſpe præmii rectè agere. 3, virtutem quidem per & propter ſe eſſe expetendam ob naturæ ſuæ excellentiam & dignitatem. Sed quia ſecundum Poetam: 3

Non inuenies multis de millibus vnum,
Virtutem pretium qui putet eſſe ſui. Quia etiam
Ipſe decor recti, facti ſi præmia deſint
Non mouet, & gratis pœnitet eſſe probum:

Idcirco neceſſe eſt vt in Republica bene conſtituta virtuti & rectè factis præmia ſint propoſita. 4, ærarium & facultates Reipub. non exhauriri diſtributione præmiorum, ſi illa inſtituatur ſecundum normam liberalitatis & beneficentia & ab omni prodigalitate ſit remota. 4

5 *Quæ in præmiorum diſtributione conſideranda ſint Magiſtratui?*

NOn ſatis eſt magiſtratui ſcire præmiorum diſtributionem in Repub. benè conſtitutà eſſe neceſſariam: niſi etiam ſciat, quæ in illa peragenda ſint conſideranda. Idcirco neceſſe eſt, vt hæc quoq; breuiter explicentur. Ac primum quidem conſiderare debet, quibus ſint diſtribuenda. Non enim omnibus ſine diſcrimine præmia ſunt conferenda: ſed tantum iis, qui digni ſunt. Digni autem ſunt in genere qui ſapientiæ & virtutis ſunt cultores, & de Republica benè meriti: ſicut contra indigni, qui à virtutis & ſapientiæ ſtudio ſunt alieni & de Republica malè meriti, aut ſaltem inutilia terræ pondera. Proinde in hiſtoriis laudantur Reges, Impera-

Quibus præmia ſunt diſtribuenda. Non eſt lotis pedibus; farina manib. tractanda.

tores & Principes, quod literatos & doctos, præſertim artium liberalium & Philoſophiæ Profeſſores priuilegiis & immunitatibus variis, aliisque præmiis ornauerint. Contra vituperantur illi, qui in indignos præmia contulerunt: quo nomine reprehenduntur Athenienſes, qui auream coronam ei dederunt, qui in Bacchi feſto bibendo alios ſuperaret. Item Xerxes, quod præmium propoſuit illi, qui nouum aliquod voluptatis genus inueniſſet: Item Rancimus Ægypti rex, quod ob artificioſum furtum filiam ſuam furi elocauerit.

Quæ & quãta præmia ſint diſtribuenda. Deinde conſiderabit magiſtratus quæ & quáta præmia ſint diſtribuenda. Non enim eadem, neque æqualia ſunt tribuenda omnibus ſed alia atque alia eaque vel maiora, vel minora, prout *Cautela.* maior vel minor eſt meritorum dignitas. Qua in re cauendum eſt, ne vel magis vel minus quá oportet prҫmiis afficiantur homines: ſed vt modus, qui in omnibus rebus eſt optimus ſeruetur.

6 *An ſint diuerſa premiorum in Repub. diſtribuendorum genera?*

Sententia affirmatiua defenditur. CVm magna ſit varietas eorum, qui præmiis digni ſunt, diuerſaq; meritorum magnitudo, nec non diuerſæ in diuerſis Rebuspublicis *Vera præmiorum genera numerantur.* conſuetudines in diſtribuendis præmiis obſeruentur: mirum non eſt diuerſa quoq; eſſe præmiorum genera. Inter hæc verò numerantur: 1, priuilegia & immunitates, ſiue à vectigalibus &
1 exactionibus, ſiue ab aliis oneribus & muneri-
2 bus publicis. 2, tituli, nomina, cognomina, aliæq;

aliæque appellationes honorificæ. 3, promotiones ad officia publica & honorifica. 4, encomia viuorum & mortuorum ſiue ſoluta ſiue ligata oratione ſcripta. 5, donationes donorum mobilium & immobilium, cuiuſmodi ſunt e. g. veſtimenta, monilia, vaſa pretioſa, numi aurei & argentei, vinum honorarium, domus, agri, prædia & id genus alia. 6, inſignia honorifica, cuiusmodi ſunt diademata, coronæ, ſigilla, &c. 7, ſepulturæ honorificę & monumenta ſepulchralia. 8, erectiones ſtatuarum & columnarum. 9, nutrimenta publica vxorum & liberorum. 10, conceſſiones triumphorum. 11, occurſus honorifici & fauſtæ acclamationes. 12, προεδρίαι hoc eſt ſeſſionum prærogatiuæ. 13, geſtus corporis honorifici, cuiuſmodi ſunt capitis detectiones, genuflexiones, exoſculationes, manuum motiones honoris gratia factæ.

Quæ ſint falſa præmiorũ genera.

His annumerari ab aliis ſolent deificationes & conſecrationes, hoc eſt hominum in numerũ deorum, vel dearum, ſanctorum vel ſanctarum relationes, exſtructiones templorũ, erectiones altarium in honorem hominum factæ, inuocationes religioſæ ſanctornm & ſanctarum. Sed nos illas honorum ſpecies omnes reiicimus tanquam ſuperſtitioſas & impias. Notandum autẽ Bodinum lib. 5. de Repub. capit. 4. omnia illa præmiorum genera, quæ ſupra ſunt enumerata ad tria ſumma genera reuocare dum ait omnia præmia vel ad decus, vel ad vtilitatem vel ad vtramq; comparari. Vbi etiam, ſubiicit præmia, quò plus habent vtilitatis, eò minus honeſta dici: propterea quod homines opibus & pecuniis vtilitatem metiantur. Quæ autem

Quot ſint præmiorum genera ſecundum Bodinũ.

omninò ad verum decus ſpectant, quo ſunt ab illa vtilitate remotiora, eò ſplendidiora iudicari debere: propterea quod dignitas vtilitate eleuetur.

7. *An in Republica bene conſtituta pœnarum irrogatio ſit neceſſaria?*

Pro theſi affir. Ratio. 1 STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia vulgus hominum neceſſitati potius, quã rationi, & pœnis magis quam honeſtati paret: Ideoque pœnis coercendum & in officio continendum eſt.

2 2, quia leges vanæ & irritæ ſunt, niſi earum transgreſſores competentibus pœnis ſubiiciantur.

3 3, quia pœnæ improborum ſunt flagella & frena; proborum verò cuſtodiæ & propugnacula.

4 4, quia ſunt remedia quibus morbi Reipublicæ profligantur & curantur.

5 5, quia impunitas, peccandi magna eſt illecebra, iniuriæ & inſolentiæ mater, radix impudentiæ, & transgreſſionum nutrix: ſiquidem magna ad peccandum facinoroſis feneſtra aperitur: cum ſcelera non puniuntur, & ad iniuriam inferendam proni homines redduntur.

6 6, quia felix & floridus eſt Reipublicæ ſtatus, quãdo ciues non tantum ſpe præmiorum officium ſuum facere ſatagunt: ſed etiam metu pœnarũ à maleficiis abſtinent. Et propterea Solon teſte Plutarcho in eiuſdem vita non temerè dixit Reſpublicas duabus rebus contineri pœnis & præmiis.

7 7, quia vbi delicta, etiam parua non puniuntur, ibi occultè violandarum legum conſuetudo latius ſerpit, adeoq; etiam bona ingenia ob nimiam peccandi licentiam corrumpuntur.

puntur. 8, quia vt fulmina paucorum periculo cadunt, omnium metu: ita pœnæ terrent latius, quàm nocent, vt ait Seneca lib. 1. de Clementia cap. 8. 9, quia Deus magiſtratui ius gladii conceſſit ad puniendum improbos, & defendendũ probos. 10, quia intermiſſio pœnarum ciuilium iram & vindictam Dei prouocat, totamque Rempub. in maxima mala & pericula, ne dicam, exitium præſentiſſimum conicit. 8 9 10

Quod ſi quis obiiciat magiſtratum maximè decere clementiam quæ ſecundum Lipſium lib. 2. Polit. cap. 12. eſt *virtus animi à pœna, & vindicta ad lenitatem cum iudicio inclinantis*: Ideoque non neceſſe eſſe, vt ſemper pœnas facinoroſis hominibus irroget: Reſpondendum eſt clementiam non prohibere, ſed tantum moderari pœnarum irrogationem. Ideoq; cum hac optime conſiſtere poſſe. *Obiectio.* *Solutio obiectionis.*

8 *Quæ in pœnarum irrogatione conſideranda & vitanda ſint magiſtratui?*

SIcut in præmiorum diſtributione: ita etiam in pœnarum irrogatione variis modis peccari ſolet. Itaque vtile eſt hoc loco docere, quæ in decernendis & infligendis pœnis conſiderãda & vitanda ſint magiſtratui. Ac primum quidem conſiderabit diligenter ipſa peccata, eorumque naturam, qualitatem & quantitatẽ. Non enim eadem, neque æqualia ſunt omnia peccata vt Stoici falſo exiſtimabant: neque eædem & æquales pœnæ omnibus debentur, vt perperam iudicauit Draco Athenienſium legiſlator, qui omnibus peccatis capitis pœnam cõ- *Quæ in puniendo conſideranda & vitanda ſint Magiſtratui.*

ſtituebat: & propterea eius leges non atramento, ſed ſanguine ſcriptæ eſſe dicebantur. 2, conſiderabit hominum peccantium ætatem, ſexum, qualitatem, dignitatem, conditionem, genus, vitam anteactam & merita. 3, rationem habebit cauſarum homines ad peccandum impellentium, cuiusmodi ſunt ætas, ebrietas, ira, impetitia, error, caſus, imprudentia & id genus alia. 4, cauebit magiſtratus, ne in puniendo vel nimis ſit ſæuus & rigidus, vel nimis lenis: ſed miſericordia & clementia pœnas temperabit & mitigabit. Ideoq; ignoſcendi potius cauſas, quam puniendi occaſiones quærat: & in dubiis caſibus melius eſſe iudicabit iniuſtè reum abſoluere, quam iniuſtè perdere: quod illud peccatū quidem: hoc verò impietas ſit. 5, vitabit in animaduerſionibus lætitiæ & voluptatis cuiuſdam ſuſpicionem, ne delectari aut gaudere videatur ob eorum pœnam, qui ſunt puniendi: tum quia ferina rabies eſt ſanguine & vulneribus gaudere, vt ait Seneca lib. 1. de Clementia: tum quia ſuſpicio inde oritur, quaſi magiſtratus non boni publici, ſed ſuæ libidinis & ſæuitiæ explendæ cauſa puniat. 6, vitabit nimiam in puniendo præcipitantiam & celeritatem: præſertim in cognoſcendis cauſis capitalibus. Nam vt Seneca inquit in citato loco, Propè eſt, vt libenter damnet, qui citò damnat: & ſi in alterutram partem peccandum eſt, melius eſſe impunitum relinquere facinus, quam innocentiam condemnare. Ideoq; Romanorum ſecures fuerunt faſcibus alligatæ, vt reſolutione mora interii-

teriiceretur. Quam ob cauſam etiam Anaxandrides Spartanus interrogatus, cur Lacedæmonii plures dies inſumerent in cognoſcendis capitalibus cauſis? reſpondit, *quod ſi in his ſemel erratum fuerit, non eſſet corrigendi conſilij poteſtas.* 7, vitabit nouitatem pœnarum & ſuppliciorum magiſtratus: tum quia nouitas omnis ingrata & inuiſa eſt: nec modò difficulter, verum etiam minus tutò introducitur: tum quia nouitas ſuppliciorum crudelitatis ac tyrannidis ſpeciem præ ſe ferre videtur. Idcircò Mezentius apud Virgilium 8. Æneidos malè audit, quod corpora mortua coniungebat viuis, manibuſque manus, atque oribus ora. 8, vitabit, ne ipſe ſit ſpectator ſuppliciorum, præſertim capitalium. Hoc enim nomine Verres à Cicerone reprehenditur in 5. Verrina. Et Volaſus Aſiæ Proconſul vituperatus fuit, quod cum trecentos vna die percuſiſſet, incedens inter cadauera vultu ſuperbo quaſi magnificum & conſpiciendum aliquid feciſſet, exclamauit: O rem regiam. 7 8

9 *An pueri & adoleſcentes mitius ſint puniendi, quam viri & ſenes?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia pueri & adoleſcentes nō ſunt tam mali, quam fiunt mali ex aliorum inſtinctu & conuerſatione: præſertim ſi duriter educati fuerint, & pòſt mel licentiæ guſtare cœperint. 2, quia iuniorum natura eſt ardens ac velut ignea: neque quieſcere facilè poteſt: Ideoque malè ſæpè agunt. 3, quia ſunt imperiti huius *Pro theſi aſfir. Ratio.* 1 2 3

vitæ actionum: Ideoque facilè decipi poſſunt.
4 4, quia variis animi perturbationibus ſunt obnoxii, hisque ſtudioſe inſeruiunt.
5 5, quia cupiditatibus plurimis redundant & agitantur.
6 6, quia maxima conſilii & iudicii imbecillitate laborant.
7 7, quia fieri plerunq; ſolet vt magna adoleſcentium indoles magnis quoq; vitiis laboret, idemq; planè his accidat, quod vinis recentioribus, quæ quieta in dolio non probantur: & agris, qui quò ſunt fertiliores & feraciores, eo magis noxiis herbis infeſtantur.
8 8, quia ſi in prima ætate adoleſcentiæ illicò & grauiter puniréntur, impedirentur horum actiones multæ præclaræ. Videmus enim ſummos homines & clariſſimos ciues factos fuiſſe non paucos, cùm adoleſcentiæ cupiditates deferbuiſſent: nec deſunt exempla in hiſtoriis. Themiſtocles enim qui in prima ætate petulans & prodigus fuit, vir poſtea ſummus euaſit: neque id diſſimulauit, ſed dixit, *ex ferociſſimis pullis optimos equos fieri, ſi rectè informentur atq; educentur*. Similiter Valerius Flaccus adoleſcens fuit luxu perditus: poſteà verò modeſtiæ & ſanctitatis exemplum in
9 Repub. Romana extitit. 9, quia leges ciuiles eodem loco pueros, quo furioſos habent: Ideoque puniri grauiter nolunt. Et Plato lib. 9. de Legibus, peccatis, quæ committuntur in pueritia pœnas præſcribit mitiores, eiſque non exiguam veniam concedendam eſſe ait. Idcirco etiam Iulius Cæſar Ptolomæum Ægypti regem non eodem modo puniri voluit, quo eius conſiliarios, hac addita ratione: quod puer, rex eſſet: conſiliarii autem ſenes. Et Spartani ab hiſtoricis

ſtoricis reprehenduntur, quod Ægidæ adhuc adoleſcenti capitale ſupplicium intulerint.

10 *An ebrius flagitium committens grauiori pœna ſit afficiendus, quam ſi ſobrius id commiſiſſet?*

HÆc quæſtio in vtramque partem diſputari poteſt. Ac pro theſi quidem affirmante faciunt hæc argumenta: 1, quia in ebrii poteſtate primò fuit non inebriari, vt docet Ariſtoteles lib. 3. Ethic. cap. 5. 2, quia ebrius, quando peccat, variis modis peccat, nempè in naturam, Rempublicam & ſeipſum. In naturam: quia infirmam hanc variisq; malis obnoxiam reddit: In Rempub. quia hanc ciue bono ſpoliat, qui vini flamma læditur: In ſeipſum: quia tollit pretioſiſſimum theſaurum ingenii & aciem mentis, quæ ebrietate, & crapula hebetatur. 3, quia ebrietas eſt fons & origo non tantum multorũ flagitiorum: ſed etiam incommodorum tam priuatorum, quàm publicorum. 4, quia homines ad omnes actiones honeſtas & vtiles ineptos reddit. 5, quia Pittacus Mitylenenſis vnus ex ſeptem ſapientibus Græciæ ebrios, ſi peccauerint, duplici pœna afficiendos eſſe cenſuit: vna propter ignorantiam, quæ craſſa eſt & ſupina: altera ob culpam commiſſam vt teſtatur Ariſtoteles lib. 2. Polit. cap. 10. & Laertius lib. 1. cap. 5. Hinc etiam Mahometi lex eſt, vt ebrius 80. ictibus puniatur. 6, quia Athenienſes ebrietatis actionem inſtituerunt, & Oenoptas etiam ordinarunt, qui in conuiuiis obſeruarent, quid quiſq; biberet.

Pro theſi aſſir. Ratio.
1
2
3
4
5
6

Z

Pro theſi neg. Argum. At contra pro theſi negante adduci poſſunt hæc argumenta: 1, quia ebrius cum peccat,
1 non ex propoſito aut dolo malo peccat qui
2 in omnibus delictis conſideratur: ſed impetu. 2, quia ebrius, vt ſenex, bis puer eſt. Pueros autem delinquentes lenius eſſe puniendos in præcedente quæſtione probatum fuit.
3
4 3, quia ebrius ſimilis eſt ignoranti: & propterea tantum puniendus quia nimium bibit. 4,
5 quia ebrius ſenſibus interceptis nihil rectè diiudicare poteſt: Ideoque huic ignoſcendum. 5, quia quo peccatum magis eſt voluntarium, eo etiam grauius eſt puniendum. Iam autem
6 peccatum ſobrii magis eſt voluntarium quam ebrii: Ideoque magis ſobrius, propter ſcelus commiſſum eſt puniendus, quam ebrius. 6, quia ebrius inſano eſt ſimilis: cum non minus ac ille vſu rationis, ſit priuatus. Ideoque ſi inſanus mitius eſt puniendus, quam mentis compos, etiam ebrius.

11 *An qui ex errore, caſu & imprudentia peccant mitius & lenius ſint puniendi?*

Pro theſi neg. Ratio.
1 STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia quæ ex improuiſo caſu potius quam
2 fraude accidunt, plerunq; fato, non noxæ imputantur. 2, quia cunctis in rebus ſpectanda voluntas: & quæ conſultò facta nõ ſunt, fraudi eſſe
3 non debent. 3, quia nihil videtur indignius &
4 iniquius quam eum, qui culpa caret, ſupplicio non carere: euentum, nõ animum ſpectari: pœna af-

na affici pari flagitia & aduerſos caſus. 4, quia commune eſt omnibus hominibus, vt imprudentia quadam labantur & peccent: improborum verò eſt alios iniuria afficere. 5, quia 5
inter media purgandi crimina recenſet Ariſtoteles lib. 1. Rhetor. cap. 13. caſum & imprudentiam: Et ibidem æquitatis eſſe docet non factum ipſum, ſed animum conſiderare: nec pari pœna digna, ſtatuere ἁμαρτήματα, ἀτυχήματα, καὶ ἀδικήματα, hoc eſt *errores, infortunia & iniurias*: cum in his dolus conſideretur, qui non eſt in
errore & infortunio. 6, quia lex diuina mitius 6
vult tractari eos, qui ex errore & caſu delin-
quunt, vt videre eſt in libris Moſis. 7, quia A- 7
thenienſes in voluntariis peccatis aras conſtituerunt ad quas, qui ita peccarunt, confugere poſſent teſte Thucydide lib. 4. Iidem habuerunt diſtincta tribunalia in cædibus voluntariis, atque ex errore & caſu factis. Illas ſiquidem in pago Martio: has in palatio diiudicarunt. Hinc etiam Plato in libro de Legibus, *Si quis*, inquit, *in pugna & certaminibus nolens, ſiue e veſtigio, ſiue poſtea morte ſecuta amicum inter-
fecerit, vel in exercitatione bellica, is mundus cen-* 8
ſeatur. 8, quia iuris ciuilis interpretes lege Cornelia de Sicariis teneri non aſſerunt illum, qui vel ramum amputatum ex arbore deiiciens in locum, vbi nullum eſt iter hominem interfecit, vel ex alto ſe præcipitans & ſuper alium cadens eum occidit: vel in venatione telo in feram miſſo hominem interficit. Hinc etiam Adraſtus, cum in venatione

fortè aprum ſectatus interfeciſſet Crœſi regis filium, veniam à parente impetrauit: eò quod per errorem hoc feciſſet; quemadmodum teſtatur Herodotus. lib. 1.

12 *An nobilis mitius ſit puniendus quam ignobilis?*

Pro theſi affir. Argum.

PRo theſi affirmante afferri ſolent hæc argumenta: 1, quia iuſtitia diſtributiua requirit, vt tam in pœnis, quam in præmiis decernendis proportio non Arithmetica, ſed Geometrica obſeruetur: & ſic dicens perſonarum dignitatis & ordinis ratio habeatur. 2, quia nihil Reipublicæ calamitoſius & peſtilentius, quam ſi diſcrimine dignitatis & ordinis ſublato, eodem modo nobilis & ignobilis puniatur. Ex hac enim rerum confuſione & perturbatione oriuntur ſeditiones & factiones inter optimates & plebem, aliaq; omnis generis mala. 3, quia iniquum eſt hominem ignobilem, in quo nulla dignitas, fama, exiſtimatio, facultates, honores, maiorumq; commendationes apparent, æquiparare nobili, in quo eiuſmodi bona reperiuntur. 4, quia ipſa virtus vileſcit & in contemptū trahitur, ſi nulla nobilitatis, quæ à virtute pendet, in puniendo habeatur ratio. 5, quia magiſtratus Politicus imitari debet medicos, qui in eodem morbo homines liberos mollius quam ſeruos tractant. 6, quia in puniendo nobili habenda eſt ratio parentum & maiorum, ex quib. natus eſt: præſertim ſi illi de Republica optimè ſint meriti. Alias enim turpiſſimum ingratitudinis crimen Reipub. obiici poterit. 7, quia nullum

nullum manifeſtius & certius tyrannidis & barbariæ ſignum eſt, quam ſi nulla pœnarum diſcrimina in diuerſis hominum ordinibus obſeruentur. 8, quia Vlpianus præcipit pœnam ſceleris alicuius pro qualitate perſonæ, proque rei, temporis, ætatis, & ſexus conditione, vel ſeuerius, vel mitius irrogandam eſſe. Idem alibi ſcribit homines ſi humiliori loco ſint grauiore: ſi verò in aliquo gradu & dignitate conſtituti ſint, mitiore pœna afficiendos eſſe. In quam ſententiam etiam rectè Auguſtinus monet, in iniungendis pœnis, pœnas ex perſonarum conditione & rerum qualitate diligenter & neruosè eſſe æſtimandas, ne quid vel durius vel remiſſius conſtituatur, quam vel cauſa poſtulet, vel æquitas vel ipſa Suada ſuadeat. 9, quia idem cõprobant multarum gentium, populorum & Rerumpublicarum inſtituta, mores & conſuetudines. 8 9

At contra pro theſi negante adduci ſolent hæc argumenta: 1, quia nobilitatis nulla ſunt priuilegia, nulli fauores in delictis: ſiquidem flagitioſa vita amittitur nobilitas: & nemo in Iudiciis nobilis habetur, niſi ſeipſum nobilem integritate, virtute & totius vitæ innocentia præſtiterit. 2, quia quo maior eſt perſona delinquẽtis, eò maius eſt ipſum delictum: Ideoq; maiore pœna dignum. 3, quia nobilis magis obligatus eſt ad virtutum actionumq; honeſtarum ſtudium quam ignobilis: ſiquidem nobilitas virtutis eſt præmium, eiuſdemq; nota & teſſera: Ideoque etiam grauius peccat. 4, quia nobilis flagitium committens non tantum alios, ſed et- *Pro theſi neg. Argum.* 1 2 3 4

iam ſeipſum, parentes & maiores ſuos lædit in-
5 iuria & contumelia inferenda. 5, quia delicta
nobilium plus exemplo nocent, quam ignobi-
lium: non ſecus ac verrucæ in facie magis de-
formant corpus humanum, quam in aliis illius
6 partibus. 6, quia nihil indignius & iniquius eſt,
quam nobilitatis virtutisque fauore ac præſidio
frui, ac defendi eum, qui vtramque, quantum
in ſe eſt, omnibus iniuriis & contumeliis af-
ficit. Siquidem nobilis ſuis flagitiis omnem
nobilitatis dignitatem & ſplendorem extin-
guit, adeoque ipſam nobilitatis originem &
parentem virtutem lædit, ac quam longiſſimè
7 à ſeſe remouet. 7, quia peſſimi exempli res illa
futura eſſet, magnamque Reipub. perniciem
afferret: ſi nobilis, qui aliis virtute prælucere,
omniumque maxime leges tueri, ac propugna-
re, hominumque vitam ab iniuriis & contu-
meliis defendere debet leuitate pœnæ, legum-
que conniuentia ad nequitiam & ſcelera inui-
tetur, maioremque peccandi licentiam habe-
8 at. 8, quia maiore odio & pœna dignus eſt,
qui cum prodeſſe Reipub. eiuſque dignitatem
amplificare & conſeruare debeat, illi obeſt,
9 & tenebras ſuis flagitiis offundit. 9, quia in-
æqualitas pœnarum anſam præbet vulgò ho-
minum ad iterandas querelas vſitatas, nempè
mitius agi cum nobilibus: coruis dari veniam,
columbas vexare cenſuram: de corio humili-
um ludi: gratiam in ſententiis dominari: iu-
dicium nobilitati fauere: pauperem ſemper &
vbique iacere: leges eſſe ſimiles telis aranea-
rum, quibus muſcæ adhæreſcunt, crabrones
verò

verò erumpant & elabantur. *10*, quia idem comprobant laudatiſſimarum Rerumpub. conſuetudines, ſententiæ iudicatæ & exempla. 10

13 *An magiſtratui Politico licitum ſit hominem innocentem punire propter peccata aliena?*

PRo theſi negante videntur facere hæc argumenta: 1, quia pœna eſt effectum peccati. 1
Ideoque ei tantum irroganda eſt, qui peccauit. 2, quia lex diuina & humana rectè condita ad 2
pœnam non obligat, niſi ſui transgreſſorem. Et hoc expreſſe teſtatur Deus ipſe Ezech. 18. v. 20. *Anima, quæ peccauit, ipſa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris: & pater non portabit iniquitatem filij: iuſtitia iuſti ſuper eum erit: & impietas impij erit ſuper eum.* In quam ſententiam etiam dicitur Deuter. 24. verſ. 16. *Non occidentur patres pro filiis, nec filij pro patribus: ſed vnuſquiſque pro peccato ſuo morietur.* 3, quia pec- 3
catum nocentis non poteſt fieri peccatum innocentis. Ergo neque pœna nocentis, poteſt fieri pœna innocentis. 4, quia non 4
modo ab omni iuſtitia alienum eſt: ſed etiam plus quam immane & beluinum eſt innocentem punire propter peccata aliena. 5, 5
quia pugnat cum recta ratione omniumque gentium conſenſu vt innocens propter peccata aliena puniatur. 6, quia acerbum eſt, 6
aiunt Iuriſconſulti, parentis ſcelera filiorum pœnis lui. Item alieni ſceleris quenquam

pœnas pati iura non ſinunt. Hinc etiam Abraham Geneſ. 18. inquit: *Abſit, vt is qui vniuerſam terram iudicat, perdat iuſtum cum iniuſto.* Et Salomon in Prouerbiis ait: *Qui iuſtificat impium & condemnat iuſtum, vterque eſt abominabilis apud Deum.*

Pro theſi affir. Argum.

At contra pro theſi affirmante adduci poteſt: 1, ius ciuile, quod propter delicta eius, qui crimen læſæ maieſtatis commiſit, non tantum ſolet ipſum authorem punire: ſed etiam ſæpe totam eius familiam. 2, exemplum Saleuci Legiſlatoris Locrenſis, qui cum filius ipſius delictũ quoddam commiſiſſet propter quod lege à patre ipſo lata vtroq; oculo priuandus erat, ne filium cæcum haberet, & interim legi ſatisfaceret, ſibi vnum, & filio item vnum oculum eripit.

Quæſtio deciditur per diſtinct.

Pro deciſione quæſtionis quidam diſtinguũt inter pœnam pecuniariam & corporalem. Illam enim vnius delicto debitam ab alio præſtari poſſe, ſi ſcilicet vltrò ad eam præſtandam ſeſe obligauerit: hanc verò à nemine, præterquam ab eo ipſo, qui peccauit, iure præſtari poſſe: neque vnquam vel lege vel conſuetudine receptũ eſſe, vt pœnam quam quis in corpore luere tenetur, alius, quiſquis tandem ille ſit, pro eo ſoluere poſſit. Ideoq; magiſtratui Politico licitum quidem eſſe illam innocenti infligere propter peccatum alienum: hanc verò minimè.

Reſponſio ad argumenta pro theſi affir.

Ad argumenta verò pro theſi affirmante allata reſpondent, in illis committi fallaciam petitionis principii; cum dubium per æquè dubiũ probetur. Nominatim verò factum Zaleuci

vituperatione dignum eſſe ſtatuunt, quod dum pater & nocenti filio parcere & legi ſimul ſatisfacere curat, neutrum facit: quippe qui fœdè mutilet; legem autem, quæ illum vtroq; oculo non altero tãtum priuari iubebat, apertè infringat: cui malo dum ſibi ipſi alterum oculum effodiendo mederi ſe putat, in ſeipſum crudelis eſt & ſæuus.

14 *An magiſtratui licitum ſit pro libitu facinoroſis hominibus impunitatem concedere?*

STatuitur theſis negatiua. Rationes ſunt: 1, quia magiſtratus ſubiectus eſt imperio ipſius Dei: Ideoque ab eius voluntate ipſi non licet pro libitu recedere. 2, quia magiſtratus debet eſſe cuſtos & executor legis diuinæ, quantum ad externam & ciuilem diſciplinam attinet. Illa autem obligat hominem vel ad obedientiam, vel ad pœnam, Ideoque niſi legis diuinæ tranſgreſſores puniat, non poteſt officio ſuo ſatisfacere. 3, quia magiſtratus miniſter eſt Reipub. Ideoque ipſi licitum non eſt impunitatem concedere iis, qui Rempublicam offenderunt, eiuſq; leges violarunt: Siquidem Reipublicæ intereſt ſontes punire, & eam ob cauſam, vt puniantur, lege cauet: atque hac ratione ius puniendi ſibi acquirit. 4, quia impunitas facinoroſis conceſſa feneſtram aperit ciuibus, ad vitæ morumq; licentiam exercendam, aliisq; iniuriam inferendam.

Pro theſi neg. Ratio. 1 2 3 4

At contra obiici poteſt Deum pro ſuo beneplacito, ex mera gratia & miſericordia peccatoribus reſipiſcentibus omnes pœnas tam tempo-

Obiectio. 1

rales, quam æternas, quas peccatis ſuis promeruerunt remittere ac condonare. Ideoq; cum magiſtratus ſit vicarius Dei, non peccare videtur, ſi ipſe quoque ex miſericordia interdum hominibus facinoroſis impunitatem concedat.

Solutio obiectionis. Reſpondeo: 1, magnum eſſe diſcrimen inter Deum & magiſtratum Politicum, quantum etiam attinet ad ius concedendi aliis impunitatem. Deus enim eſt ſupremus Dominus & monarcha, cuius ſola voluntas omnium rerum lex eſt & perfectiſſima norma: Magiſtratus autem Politicus ſubiectus eſt imperio & voluntati ipſius Dei. Ideoque nihil ipſi eſt licitum, quod legibus diuinis repugnat. 2, Deum dum peccatoribus reſipiſcentibus pœnas peccatorum liberaliter condonat, id facere ex gratuita ſua promiſſione, & in ea re peragenda de ſuo tantum, non alieno iure remittere. Vnicuique autem licitum eſſe de ſuo iure remittere, quantum velit remittere: non autem de iure alieno. 3, magiſtratui Politico quidem licitum eſſe de ſuo iure quantum velit, remittere: imò quatenus vult eſſe verus Chriſtianus, neceſſe eſt, vt ad exemplum Dei offenſas & iniurias ſibi tanquam priuatæ perſonæ illatas libenter ſuo proximo condonet, & quamuis poſſit, eas tamen minimè vlciſcatur. Non autem licitum eſſe de iure alieno nempe Dei vel Reipub. quicquam remittere.

15 *An lupanaria in Republica bene conſtituta magiſtratui Politico vllo modo ſint permittenda?*

SEntentiam affirmantem videtur defendere Petrus Gregorius lib. 14. de Repub. cap. 1. non quidem abſolute, ſed comparatè. Licet enim neget lupanaria vllo modo eſſe approbanda: tamen ſtatuit ſatius eſſe permittere illa, quam prohibere. Rationes ipſius ſunt: 1, quia ad euitandum maius malum, minus eſt permittendum. Iam autem in quibuſdam Rebuspub. tam corrupti & libidinoſi ſunt mores hominum vt ſi lupanaria omnia, & cum iis meretrices publicæ omninò tolerentur, futurum ſit, vt non tantum virginum & matronarum honeſtarum pudicitia periclitaretur; & ſic ſtupra ac adulteria cumularentur: ſed etiam, quod horrendũ ac nefandum eſt, puerorum concubitus attentaretur. 2, quia ſordes permittendæ ſunt ſordeſcentibus, vt qui in ſordibus ſunt, ſordeſcant adhuc, ne aliorum aut aliarum honeſtatem incendio libidinis violare attentent. 3, quia magiſtratus Politicus permiſſionem lupanarium ita poteſt limitare & reſtringere infamiæ publicæ notis, vt illi quos timor Dei & honeſtatis amor à turpitudine reuocare non valet, ſaltem infamiæ publicæ metus coerceat.

Pro theſi aff. Ratio. 1 2 3

Sed hæc ſententia nullo modo videtur eſſe concedenda & probanda, præſertim ab iis, qui Chriſtianam religionem profitentur.

non

Rationes ſunt: 1, quia magiſtratus Politicus debet eſſe cuſtos & executor legis diuinæ, quæ omnem illicitum concubitum prohibet. Hoc autem munere fungi non poteſt, ſi non tantum transgreſſores illius non puniat; ſed etiam lu-
2 panaria in Republica permittat. 2, quia lupanaria homines ab honeſtatis & virtutis ſtudio auocant, feneſtramq; aperiunt ad impune peccandum, libidinemq; procacem exercendam.
3 Ideoq; magiſtratus Politicus non tantum non approbare, ſed neque permittere debet. 3, quia magiſtratus curare debet, vt liberi in Republica honeſtè procreentur, educentur ac inſtituātur. Id autem fieri non poteſt, ſi lupanaria permit-
4 tat. 4, quia lupanaria ſunt ſpirituum immundorum templa, Syrenum antra, corruptelæ iuuentutis, cloacæ impudicitiæ, fœdarum voluptatū & libidinum ſentinæ, denique omnium vitio-
5 rum latibula. 5, quia quicquid cum lege Dei pugnat, id nullo modo licitum eſt magiſtratui Politico, quippe qui vicarius Dei eſt, eiuſq; legibus ſubiectus, permittere. Lupanaria autem
6 cum lege Dei pugnant. 6, quia lupanaria iram & vindictam Dei grauiſſimam prouocant aduerſus Rempub. eique ruinam & interitum accelerant, vt teſtantur non tantum florentiſſima Sodomæ & Gomorrhæ regna, quæ igne piceo & ſulphureo conflagrarunt è cœlo miſſo, funditusque deſtructa fuerunt: ſed etiam vniuerſale totius mundi primæui diluuium.

Refutantur rationes pro thesi affir. allatæ.

Quod igitur ad rationes Petri Gregorii attinet, ad primam reſpondeo illam valere in rebus
1 adiaphoris & quæ lege Dei non ſunt prohibitæ;

non

non autem in rebus ſua natura turpibus, & quæ in lege Dei ſunt, prohibitæ. In illis enim licitum eſt ad vitandum maius malum minus permittere: In his verò minime. Ac etiamſi in quibuſdam locis valdè corrupti & libidinoſi ſint mores hominum: poſſe tamen illos legum ac pœnarum acerbitate & ſeueritate coerceri, & ad meliorem frugem reuocari.

Ad alteram rationem reſpondeo contra magiſtratus Politici officium eſſe permittere, vt illi qui in publicis ac notoriis flagitiis verſantur, in iis impune progrediantur. Omnes enim homines ita eſſe comparatos vt licentia & indulgentia ſemper reddantur deteriores: neque leges vel diuinas vel naturales vel ciuiles ſuam vim & authoritatem retinere poſſe, niſi earum executio diligenter ac fideliter à magiſtratu Politico procuretur. 2

Ad tertiam reſpondeo permiſſionem lupanarium non poſſe excuſari per infamiæ publicæ notas, quibus à magiſtratu Politico limitatur & reſtringitur. Ideoque ab illa ſimpliciter eſſe abſtinendum operamque danda, vt lupanaria ſi quæ ſunt, deſtruantur, lenonesq; & lenæ ac meretrices publicæ ex Republica eiiciantur & explodantur. 3

16 *An in Republica bene conſtituta peregrinationes ſint ciuibus concedendæ?*

VVlgata & celebris eſt hæc quæſtio, quæ inter Philoſophos in vtramque partem ventilatur.

Pro theſi af-fir. Argum.

Pro theſi affirmante faciunt hæc argumenta: 1, quia peregrinationes ſunt ſpeculum non
1 tantum totius mundi, qui Naturæ liber eſt & theatrum pulcherrimum: ſed etiam vitæ humanæ, quæ nihil aliud eſt quam peregrinatio hominis in terris exulantis & ad cœleſtem pa-
2 triam anhelantis. 2, quia multarum rerum vſum & experientiam in animis peregrinantium pariunt; & ſic ad veram prudentiam viam
3 planam ſternunt. 3, quia ad ſolidam eruditionem & doctrinam breui tempore acquirendam & parandam plurimum adiumenti conferunt propter aſſiduam & multiplicem cum viris doctis ac ſapientibus in exteris locis habitanti-
4 bus conuerſationem. 4, quia efficiunt homines benè moratos, quatenus vitioſos illorum mores corrigunt, & emendant, eoſdemque ad ſtudium virtutum morumque bonorum elegantiam, quos in exteris obſeruant excitant. Inprimis verò aſſuefaciunt eos ad humanitatem, affabilitatem, vrbanitatem, beneficentiam, patientiam & frugalitatem. Sicut enim μαμμόθρεπτοι hoc eſt, *illi qui domi ſemper apud materculas hærent*, ſunt inhumani, inaffabiles, inurbani, illiberales, impatientes, & infrugales: ita qui peregrinantur ſunt humani, affabiles, vrbani, liberales, patientes & frugales: ſiquidem eiuſmodi virtutes in exteris experti ſunt cum magno ſuo commodo: & dum recordantur malorum præteritorum quæ perpeſſi ſunt, ipſi quoque domeſtica mala æquo animo ferunt, aliiſque miſeris ſuccurrere gau-
5 dent. 5, quia peregrinationes præparant ciues

ad

ad Rempublicam aliquando cum laude ſuſcipiendam & gerendam, aliaque officia publica benè exequenda: quatenus diuerſos multorũ populorum mores, leges, inſtituta, conſilia, ingenia, ritus, conſuetudines, diuerſas Reipublicæ adminiſtrandæ formas, multorumq; locorum ac regionum conditiones & qualitates contemplandas proponunt, adeoq; cauſas, origines, cõſeruationes, conuerſiones & euerſiones Rerumpub. omnesq; ad ciuilem vitam & ſocietatem humanam moderandam rationes exponunt. 6, 6
quia quæuis terra, quę alit hominem, eius patria eſt teſte Euripede in Philoctete: *πανταχοῦ πατρὶς ἡ βόσκουσα γῆ.* In quam ſententiam etiam Plutarchus in libro de Exilio ait: *πατρὶς γίνεται πᾶσα πόλις αὐτοῖς ἀνθρώπῳ χρῆσθαι μεμαθηκόσι: Patria ſtatim fit qualibet ciuitas homini qui didicit ea vti.* Item Democritus: *Ἀνδρὶ σοφῷ πᾶσα γῆ βατή. Ψυχῆς γὰρ ἀγαθῆς πατρὶς ὁ ξύμπας κόσμος: Viro ſapienti quæuis terra peruia eſt. Animi enim boni patria eſt vniuerſus mundus.* Item Euripedes:

> *Ἅπας μὲν ἀὴρ αἰετῷ περάσιμος*
> *Ἅπασα δὲ χθὼν ἀνδρὶ γενναίῳ πατρίς.*
>
> *Omnis quidem aer aquilæ penetrabilis*
> *Omnis vero terra viro generoſo patria.*

Hinc Socrates interrogatus, cuias eſſet? reſpondit ſe eſſe mundanum. Et Hercules interrogatus Archiuus, an Thebanus eſſet? reſpondit omnem Græciam ſibi eſſe patriam.
7. quia Natura homines liberos & ſolutos 7

emittit. Ideoque ſeipſos colligare, locorumq; anguſtiis coarctare non debent.
8 8, quia ſine peregrinationibus neque mercaturæ & negociationes terra mariq; cum exteris gentibus inſtitui, neque commercia hominum conſeruari, neque imperiorum pomœria& fines amplificari & extendi poſſunt.
9 9, quia peregrinationes, vt Caſus ait lib. 7. Sphæræ ciuitatis, c. 6. oppreſſionis ſunt remedia, miſerorum hoſpitia, conſcientiæ aſyla, fœderatarum ciuitatum vinculũ, & veluti ſpeculum mortalium.
10 10, quia laudẽ honorem, gloriam & authoritatem homini cõciliant peregrinationes.
11 11, quia varietas rerum, quæ oculis peregrinantium obiiciuntur, miras animi voluptates & iucunditates creat. Delectant enim magis quæ videntur, quam quæ audiuntur iuxta illud Poetæ:

Segnius irritant animos dimiſſa per aures,
Quam quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus. ---

12 12, quia exempla tam ſacra, quam profana hominum qui peregrinati ſunt, teſtantur peregrinationes eſſe licitas & vtiles. Non enim tantũ ex Ethnicis, quicunq; olim docti & magni fuerunt, peregrinationibus operam dederunt v. g. Pythagoras, Plato, Ariſtoteles, Lycurgus, Solon, Alexander magnus, Iulius Cæſar, Cicero & id genus alii: ſed etiam Patriarchæ, Prophetæ & Apoſtoli.
13 13, quia priuilegiis & amore ſingulari digni olim ab Imperatoribus Romanis iudicati ſunt, qui vel ſtudiorum, vel morum excolendorum gratia peregrinantur: propterea quod amore ſcientiæ tales exulant, ſeipſos exinaniunt, vitamq; periculis exponunt.

At contra pro theſi negante adduci ſolent hæc argumenta: 1, quia peregrinationes nihil aliud ſunt, quam exilia & periculoſæ ac deſultoriæ hominum in vno loco ad alium migrationes. 2, quia ſunt ſpecula mundi deprauati & exulcerati. 3, quia hominem auocant ab amore & cura patriæ, parentum, propinquorum & amicorum. 4, quia mores peregrinantium contagio ſuo inficiunt & corrumpunt: & ſic morum nouitatem & corruptelam in Rempub. introducunt. 5, quia diſpendium & iacturam temporis ſecum trahit, quod pretioſiſſimus eſt vitæ theſaurus & ſumptus ſumptuoſiſſimus, aliiſque honeſtis ſtudiis & exercitiis impendi poteſt. 6, quia quietem & tranquillitatem animi turbat, eumq; à ſeria & aſſidua rerum contemplatione, ſine qua, ſolida veritatis cognitio cõparari nequit, abſtrahit. 7, quia deſpectum & mutationem religionis, legum, rituum & inſtitutorum patriorum, quo nihil Reipub. eſt perniciofius gignunt & inferunt. 8, quia homines variis periculis, caſibus & miſeriis obiiciunt: inprimis verò morbis peregrinis & inuſitatis eos inficiunt, quibus reuerſi ſæpè non tantum domum & familiam, ſed ciuitatem totam per contagium polluunt. 9, quia non taro efficiunt, vt ciues aliarum nationum præmiis allecti capitale odium aduerſus patriam concipiant, eandẽque proditionibus aut armis nefariis ſeditioſè inuadere non vereantur. 10, quia per peregrinationes, facultates & opes ciuium exhauriuntur, rei familiaris curæ negliguntur, patrimonia lauta & copioſa effunduntur, æra aliena

Protheſin neg. Argum. 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

conſtituuntur, multæq; præclaræ & honeſtæ con-
ditiones, quæ in patria interim haberi potuiſſẽt
11 amittuntur. 11, quia iucundius eſt domi ſuæ in
ſinu parentum chariſſimorum, in amicorum &
propinquorum amplexu, in patriæ dulciſſimæ
caritate, reiq; familiaris abundantia tranquillã
vitam agere, quam neglectis iis omnibus &
poſthabitis vltrò quoddam quaſi exilium adire,
externis cœli tempeſtatibus fortunæq; procel-
lis ſeſe obiicere, tot tantasq; moleſtias, labores,
tædia, calamitates, caſus, ærumnas, pericula cũ
vitæ & ſalutis ſuæ diſcrimine ſuſcipere ac ſubire.
Vnde recta Poeta canit:

Felix qui patriis æuum tranſegit in agris,
Ipſa domus puerum, quem videt ipſa ſenem.
Qui baculo nitens, in qua reptauit arena,
Vnius numerat ſecula longa caſæ.

Quibus verſibus nihil aliud innuitur, quã quod
12 nullibi iucundius & felicius viuatur, quam in
patria. 12, quia melius domi quam foris literæ
& artes diſcuntur: cum aſſidua illa circumcurſi-
tatio, & irrequieta tùm corporis, tum animi fa-
tigatio ſenſus & cogitationes omnes hominum
confundat & perturbet, vt quemadmodum
plantæ ſæpius ex area alia in aliam translatæ co-
hæreſcere & ad fructum venire nequeunt: ita
etiam ſemina doctrinarum in vagabundo ani-
13 mo radices agere non poſſint. 13, quia ex hiſto-
riis, tabulisq; & deſcriptionibus geographicis,
nec non ex picturis & imaginibus ad viuum ex-
preſſis, & domi in parietibus noſtris affixis lon-
ge melius cognoſci poſſunt exterarum regionũ
& locorum qualitates & ſitus hominumque in

ſis habitantium ingenia, mores, leges conſue-
tudines & ſtatuta, quam ex peregrinationibus.
14, quia ridicula ſtultitia eſt exiſtimare ἐν ἀθήναις 14
βελτίονα σελήνην τῆς ἐν Κορίνθῳ hoc eſt, *Lunam Athenis*
meliorem eſſe quam Corinthi. 15, quia qui dulciſſi- 15
mum patriæ ſolum deſerunt, vt alienas terras,
illas quidem non matres, ſed nouercas peregri-
nando colant & admirentur: illi perinde faci-
unt ac ii, qui fertiles agros iure proprio obſeſ-
ſos ſpinis ac vepribus, tabeſcere & ſuffocari ſi-
nunt, vt alienos, eoſdemque ſteriles & effætos
colant. 16, quia non rarò deprehenditur ve- 16
rum eſſe id quod vulgo dici ſolet: Cui pere-
grinatio dulcis, amara patria eſt: Cui patria
dulcis, amara peregrinatio eſt: quibus nihil
boni eſt domi iucunda eſt peregrinatio. 17, quia 17
olim multæ Reſpublicæ celebres, vt Lacedæ-
moniorum Cretenſium, Muſcouitarum o-
mnem peregrinationis vſum ſuis ciuibus inter-
dixerunt. Et hiſtoriæ teſtantur illas Reſpu-
blicas, quarum ciues domi ſine exterorum
commerciis & conſuetudine tranquillè vixe-
runt, diutius floruiſſe, quam eas, quas peregri-
nandi licentia tanquam peſtis inuaſit. 18, quia 18
exilia & relegationes, quæ nihil aliud ſunt,
quam peregrinationes, à maioribus tanquam
pœnæ ſcelerum & flagitiorum ſunt inſtitutæ.
Et propterea etiam Soraſpes, quod Zopyri
filiæ vitium intuliſſet ad peregrinationem v-
niuerſi orbis ſuſcipiendam à Xerxe Rege da-
mnatus fuit. Et crucis pœna maiorem iudi-

cauit pœnam peregrinationis Xerxis mater, fœ-
19 mina prudentiſſima. 19, quia exempla tam ſa-
cra quam profana peregrinantium teſtantur
peregrinationem eſſe noxiam non tantum iis,
qui eam ſuſcipiunt, ſed etiam ipſi Reipublicæ.
Ieroboam enim dum peregrè abiret, in Ægy-
ptum, euaſit tyrannus, & Idolorum cultum in
patriam introduxit. Alexander M. dum Perſas
non modo inuiſit, ſed vicit, lingua cultu & mol-
litie factus eſt Perſa. Hannibal dum Capuam
cæpit à Capuana fœmina captus in amore lan-
guet. Antonius præ Cleopatræ amore oblitus
eſt patriam, ſuamq; animam effudit. Circe pe-
regrinantes Vlyſſis ſocios veneficiis ſuis in por-
cos transformauit. Hinc Cicero in epiſtola ad
Cælium Rufum, omnem peregrinationem ob-
ſcuram & ſordidam eſſe dicit iis, quorum indu-
ſtria in Republica poteſt illuſtris eſſe. Et pro-
pterea etiam legimus, neq; Socratem, Atheniis
neque Pomponium Lætum ex Italia pedem vn-
quam extuliſſe.

Quæſtio deciditur per diſtinct. Pro deciſione quæſtionis notandum eſt pe-
regrinationem in Republica benè conſtitutæ
ſimpliciter neque eſſe concedendam, neq; pro-
Conditiones explicantur quæ in peregrinantibus requiruntur. hibendam: ſed ſemper reſpiciendum eſſe a[d]
conditiones, quæ in peregrinantibus requirun-
tur. Illarum verò aliæ obſeruandæ ſunt ante pe-
regrinationem, aliç verò in ipſa peregrinatione,
1 aliæ verò poſt peregrinationem. Ante peregri-
Ante peregrinationem. nationem: 1, vt precibus à Deo impetretur, qu[æ]
honeſtas & felices, non turpes & infelices tum
agendi, tum patiendi occaſiones largiatur. 2, v[t]
finis verus ſpectetur, cuius gratia peregrinatio-

ne

nes ſunt ſuſcipiendæ. 3, vt ratio ætatis habeatur propter iudicium, quo inter honeſtum & turpe, bonum & malum diſtinguatur. 4, vt non negligatur lectio hiſtoriarum & conſideratio illarum regionum, quas luſtrare cupimus, adhibitis ſimul tabulis Geographicis, aliorumque itinerariis. 5, vt cogitetur de comitibus, qui linguæ & morum periti ſunt, eundemq; nobiſcum finem ſibi propoſitum habent.

In ipſa peregrinatione opera danda eſt: 1, vt non ſolum corpore peregrinemur: verum etiam animo obſeruemus, quæ notatu digna ſunt. 2, vt audiantur incolæ & inhabitatores. 3, vt cõferatur ſermo cum doctis & prudentibus. 4, vt ſpectētur loca publica, cuiusmodi ſunt templa, ſcholæ, theatra, curiæ, armamentaria & bibliothecæ. 5, vt peregrinatores ſint fortes & temperantes, ita vt neque metuant pericula, neque fugiant labores, neque à libidine vinci ſeſe patiantur. 6, vt ſint prudentes, parci in loquendo, conſilia ſua celent, paucis fidant, in aliena domo non cuncta curioſè & intempeſtiuè inquirant, denique cauti in expendenda & occultanda pecunia. 7, vt bibliothecæ moles ſit parua, fructus magnus. 8, vt maximè in Eccleſiis ſcholis & Rebuspub. notent leges, inſtituta & mores. 9, vt non negligant ea, quæ ad œconomiæ adminiſtrationem faciunt. 10, vt ſic per diuerſas regiones & nationes tranſeant, ne vllo peruerſorum morum contagio inficiantur. *2 In ipſa peregrinatione.*

Poſt peregrinationem obſeruandum eſt: 1, vt reuerſi ciues mores patrios non mutent, *3 Poſt peregrinationem.*

memores illiꝰ Ariſtophanis in Pluto: *τρόποις ἐπιχωρίοις*, hoc eſt *moribus regionis* viuendum eſt. 2, vt in colloquiis familiaribus maximè & priuatis, cum licuerit, vernacula lingua vtantur, ne videantur illam contemnere, poſtquam peregrinam addidicerunt. 3, vt peregrinas veſtes mutent, ac iis, quæ in patria vſitatæ ſunt, vtantur. & ſic iuxta Prouerbia ſcenę ſeruire, vti foro, *νόμῳ καὶ χώρᾳ*, *legi & regioni*, ſeſe accommodare diſcant. 4, vt declinent omnem arrogantiam, oſtétationem & iactantiam in expoſitione eorum, quæ alibi viſa & audita fuerunt.

CAPVT VI.

De Iurisdictione ciuili.

PRÆCEPTA.

1 *Adhuc de diſciplina ciuili. Sequitur Iurisdictio ciuilis, quæ eſt actus publicus, per quẽ magiſtratus Politicus ſubditis ſuis iuxta legum & æquitatis normam ius dicit.*

2 *Eius conſiderandæ ſunt tum partes, tum ſpecies.*

De partibus Iurisdictionis ciuilis.

3 *Partes ſunt duæ, legitima cauſarum cognitio, & cognitarum deciſio.*

4 *Cognitio legitima cauſarum eſt prima pars Iurisdictionis, per quam magiſtratus controuerſias ciuiles inter ſubditos exortas ritè cognoſcit.*

5 *Eaque perficitur partim auditione, partim*

tim diſcuſſione accurata & æqua.

6 Auditio fit, quando magiſtratus vtramq; partem litigantium nempe actorem & reum attentè & ex æquo audit.

7 Diſcuſſio fit, quando magiſtratus controuerſias auditas earumq; rationes ab vtraq; parte allatas probè ſecum conſiderat, & ad lancem veritatis & iuſtitiæ examinat.

8 Deciſio cauſarum cognitarum legitima eſt altera pars iuriſdictionis, per quam magiſtratus de cauſis diſceptatis ſententiam æquã fert, & per eam vnicuiq; parti litigantium ſuum adiudicat & tribuit.

9 Eaq; perficitur partim pronunciatione, partim executione ſententiæ latæ.

10 Fuerunt partes Iuriſdictionis. Sequuntur eiuſdem ſpecies, ſecundum quas Iuriſdictio alia eſt extraiudicialis, alia iudicialis. De ſpeciebus Iuriſdictionis.

11 Extraiudicialis iuriſdictio eſt, cum magiſtratus ſubditis ſuis ex nobili officio ſine proceſſu iudiciario ex æquo & bono ius dicit.

12 Eaq; peragitur à magiſtratu vel immediatè vel mediatè.

13 Immediatè: cum magiſtratus ex ſe pro ſua prudentia & authoritate iuſtitiam adminiſtrat ſine opera aliorum.

14 *Mediatè: cum magiſtratus commiſſarios conſtituit, qui ſuo nomine iuſtitiam adminiſtrent, controuerſiamq; componant.*

15 *Iudicialis iuriſdictio eſt, cum magiſtratus ſubditis ſuis per ordinarium iudicium à ſe conſtitutum & exercitum ius dicit.*

16 *In illa conſideranda partim recta iudicii conſtitutio, partim legitima iudicii conſtituti exercitatio.*

17 *Recta iudicii conſtitutio partim perſonarum idonearum ordinationem concernit, per quas iudicium eſt exercendum, partim differentias iudicii.*

18 *In perſonis per ſe ſpectandæ partim conditiones, partim ſpecies.*

19 *Conditiones perſonarum aliæ ſunt generales, aliæ ſpeciales.*

20 *Generales conditiones ſunt prudentia & probitas.*

21 *Prudentia requiritur, vt inter iuſtum & iniuſtum, æquum & iniquum diſcernere rectè poſſit, cauſasque occurrentes ad leges & conſuetudines in Republica receptas accommodare.*

22 *Probitas requiritur, vt ſine præiudicio, affectu, munerumque acceptatione iuſtè & incorruptè vtramq; litigantium partem audiat, eorumq; cauſas conſiderent ac perpendant.*

23 *Spe-*

23 Speciales conditiones ſunt, vt cæteris paribus, ſint potius mares, quam fæminæ; docti, quam indocti; ſenes quam iuuenes; ſenſibusq. ſanis præditi, quam cæci ſurdi muti, &c.

24 Species perſonarum aliæ ſunt principales, aliæ minus principales.

25 Principales ſunt Iudex & aſſeſſores.

26 Iudex eſt perſona publica à magiſtratu ſupremo ordinata ad decidendas cauſas, & iuſtitiam vnicuiq. tribuendam. Iudex quid ſit.

27 Aſſeſſores ſunt perſonæ publicæ Iudici adiunctæ vt in caſibus dubiis ſuis conſiliis ei ſuccurrant.

28 Minus principales ſunt, ſcribæ iudiciales & id genus aliæ.

29 Differentiæ iudicii ſunt quod aliud ſit ſummum aliud intermedium ſummoq. ſubordinatum.

30 Summum iudicium eſt, à quo nulla datur ad aliud iudicium appellatio.

31 Intermedium iudicium eſt, à quo datur ad ſuperius iudicium appellatio.

32 Sic de recta iudicii conſtitutione. Reſtat legitima iudicii conſtituti exercitatio, in qua cōſideranda ſunt, partim res de quibus, partim perſonæ inter quas; partim forum, in quo; partim modus quo iudicium eſt exercendum.

33 *Per res intelliguntur cauſæ & controuerſia de quibus iudicium eſt exercendum.*

34 *Per perſonas intelliguntur actor & reus inter quos iudicium eſt exercendum.*

35 *Actor eſt perſona quæ contra alium in iudicio agit, ſiue qui alium accuſat.*

36 *Reus eſt perſona contra quam agitur in iudicio ſiue, quæ accuſatur.*

37 *Vtrique inſeruiunt aduocati & procuratores.*

38 *Per forum locus intelligitur, in quo iudicium eſt exercendum.*

39 *Per modum, ipſe proceſſus iudiciarius, in quo ſpectanda recta illius tum inſtitutio, tum continuatio, tum finitio.*

40 *Quorum ſingula dum reuera talia ſunt, quando cum norma iuſtitiæ & æquitatis exacte congruunt.*

1. An Iurisdictio ciuilis in Republica ſit neceſſaria: & quomodo diſtribuenda?

Pro neceſſitate Iurisdictionis ciuilis. *Ratio.* IN prima parte quæſtionis ſtatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia Iurisdictio ciuilis eſt actus publicus, per quem magiſtratus Politicus ſubditis ſuis ſecundum legum & æquitatis normam ius dicit. 2, quia partes Iurisdictionis ciuilis ſunt legitima cauſarum ciuilium cognitio, cognitarum deciſio. Vtraq; autem in Repub. eſt neceſſaria. Ergo etiam ipſa Iurisdictio

tan-

tanquam totum eſt neceſſarium. 3, quia ſine iu- 3
riſdictione ciuili magiſtratus Politicus neque
leges exequi, neq; iuſtitiam adminiſtrare & de-
fendere, neq; iniuſtitiam propulſare, neq; diſci-
plinam ciuilem conſeruare: neq; deniq; ſalutē
Reipublicæ tueri poteſt. Porro cum Iuriſdictio
ciuilis à magiſtratu Politico partim extra iudi-
cium, partim per iudicium ordinarium exercea-
tur: hinc fit, vt illa tanquam genus in duas ſpe-
cies diſtribuatur, quarum vna dicitur iuriſdictio
extraiudicialis, altera iuriſdictio iudicialis.

Iuriſdictio ciuilis quotuplex.

2 *An Chriſtiano liceat iudicia publica & ciuilia exercere & adire?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1,
quia Deus ipſe iudicia publica & ciuilia inſti-
tuit, eademq; magiſtratum inſtituere iubet, vt 1
paſſim Scriptura ſacra teſtatur. 2, quia Iudices 2
ſunt miniſtri & vicarii Dei. Ideoq; paſſim in ſacris
literis Dii appellantur: inprimis verò Pſal. 81.
vbi Deus dicitur ſteriſſe in Synagoga Deorum,
& in medio deos diiudicaſſe. 3, quia apoſtoli 3
ipſi iudicia publica & ciuilia adierunt, vt videre
eſt Actor. 5. v. 26. & ſequentibus. Et nominatim
ipſe Paulus ad Cæſarem prouocauit Act. 25. v.
10. 4, quia Reipublicæ firmamentum conſiſtit 4
in iuris æquabilitate, & iudiciorum integritate,
vt docet Demoſthenes in oratione περὶ συντάξεως
& Oſor. lib. 8. de regis inſtitut. c. 4. 5, quia iudi- 5
ciū nihil aliud eſt quam ſtatera æquitatis, vox le-
gis omnisq; contentionis & litis cōſummatio. 6, 6
quia leges nihil prodeſſēt & valerēt, ſi nulla eſſēt
iudicia publica & ciuilia à Chriſtianis exercenda

Pro theſi affir. Ratio.

& adeunda. Per hæc enim fit executio legum, earumque authoritas munitur & ſtabilitur. 7, quia Chriſtiani neq; ſe, neque alios ab iniuriis defendere & vindicare poſſent, ſi illis non liceret iudicia publica exercere vel adire. 8, quia ſine iudiciis publicis diſciplina ciuilis labefactatur, hominibusque improbis & flagitioſis ad omnem nequitiam & iniuſtitiam feneſtra aperitur. 9, quia ſicut morbus corporis humani ſanari non poteſt, ſi ſalutarem medicinam neque medico propinare, neque ægroto vſurpare liceret: Ita neque morbus ciuitatis, curari & tolli poteſt, ſi Chriſtianis non liceret iudicia exercere & adire.

Pro theſinez. Argum. At contra hanc ſententiam à quibuſdam obiici ſolent hæc argumenta: 1, quia à Chriſtiano abeſſe debet omne litigandi in foro ciuili ſtudium, cum id pugnet cum charitate & concordia Chriſtiana. 2, quia Chriſtianus non debet vindictam appetere, neq; malum pro malo reddere: ſed manſuetus & malorum tolerans eſſe: imò paratior ad accipiendam alteram iniuriam, quam ad litem alteri in iudicio mouendam, primæ vlciſcendæ gratia vt docet Chriſtus Matth. c. 5, v. 39. 40. 41. Item Paulus ad Rom. 12. v. 17. 18. 19. 1. ad Corinth. 6. v. 7. & 8. 3, quia Deus per improbos & iniurioſos homines Chriſtianum exercet, iisque crucem & calamitatem immittit. Ideoq; illis per iudicia publica & ciuilia, reſiſtere non debet, ne videantur ipſi Deo, eiuſque voluntati reſiſtere. 4, quia Chriſtianorum controuerſiæ per arbitros potius, quam per Iudices ciuiles componi debent.

Reſpon-

Reſpondeo ad argumenta obiecta; primum in genere committi in iis fallaciam conſequentiæ. Licet enim ſingula vera eſſe concedantur: indè tamen neceſſariò concludi & probari non poteſt quod Chriſtiano non liceat iudicia publica exercere & adire. Deinde in ſpecie reſpondeo: 1, ſtudium quidem omne litigandi, præſertim intempeſtiue, temerè & inhumaniter à Chriſto abeſſe debere: ſed interim eidem eſſe conceſſum cauſas in foro agere: ſi modo id fiat modo legitimo & licito. 2, Chriſtianum non debere vindictæ priuatæ eſſe appetentem, neq; illius cupiditate iniuriam, iniuria; maledictum maledicto retaliare: imò paratiorem eſſe ad alteram iniuriam accipiendam, quam ad retaliandam priorem. Interim tamen licitum ipſi eſſe ſeipſum ſuaq; legitimo modo defendere, & à magiſtratu iniuriarum vindictam & propulſationem efflagitare. 3, Chriſtianum non debere quidem per iudicia publica hominibus improbis & flagitioſis reſiſtere, quatenus ſunt inſtrumenta Dei, quibus ille vtitur ad filios ſuos tentandos & exercendos: interim tamen, quia Deus improbitatem & flagitia eorum neq; approbat, neq; vult, ſed potius auerſatur & deteſtatur: Idcircò licitum eſſe Chriſtiano, iis, quatenus ſunt improbi & flagitioſi reſiſtere, & ab eorum iniuriis ſeſe aliosuè modis licitis defendere. 4, melius quidem eſſe controuerſias Chriſtianorum per arbitros, quam per iudices ciuiles componi: Ideoque etiam hunc componendi modum primum omnium eſſe eligendum & tentandum: Interim tamen alterum modum,

Soluuntur argumenta, Pro theſi neg.
1 Generaliter.
2 Specialiter.
1
2
3
4

qui fit per Iudicia publica & ciuilia non eſſe illicitum, neque intermittendum, præſertim ſi priori locus non detur.

3 An ad magiſtratum Politicum pertineat ſubditis ius & iuſtitiam adminiſtrare, & quomodo id fieri debeat?

CVm non tantum magiſtratus Politicus in ſeſe debeat eſſe iuſtitiæ ſtudioſiſſimus & obſeruantiſſimus: ſed etiam eo fine ſit conſtitutus, vt ipſius opera ſubditi iuſtitia inter ſe fruantur, & ſummi cum infimis pari iure contineantur: inde neceſſario ſequitur ad magiſtratus Politici officium pertinere, ſubditis ſuis ius & iuſtitiam adminiſtrare. Quomodo autem id fieri debeat, id paucis quidem verbis, ſed admodum ſcitis docet Lipſius lib. 2. ciuilis doctrinæ c. 11. partim in inſcriptione capitis dū ait, Iuſtitiam adminiſtrandā ſubditis eſſe æquabiliter temperanter, & ſine cumulo legum remoto etiam litium ſtudio: partim in ipſa tractatione theſis propoſitæ, cum docet, ius dicendum eſſe principi ex legum præſcripto, ſine pretii aut gratiæ aſpectu, ita tamen, vt interdum æquitate temperet leges, etiam nouas parcè ferat, ſtudioque in foro litigandi medeatur, ne legibus fundata ciuitas legibus euertatur.

4. An

4. *An omnibus de rebus, quæ in controuerſiam veniunt iudicia forenſia ſint inſtituenda?*

STatuitur theſis negatiua. Sunt enim quædã, quæ à iudiciis forenſibus excluduntur, quædam quæ includuntur. Excluduntur 1. τὰ ἁπλῶς θεωρητὰ καὶ ἄπρακτα hoc eſt, *quæ ſub ſolam contemplationem, non autem actionem cadunt.* 2, τὰ καθόλου hoc eſt *res vniuerſales.* 3, τὰ ἄπειρα, *res infinitæ,* quæ ſtatum non habent, & in quibus exitus nullus deprehenditur, nec expedire ſeſe iudex poteſt. 4, τὰ ἁπλῶς ἀδύνατα καὶ παράδοξα. *quæ ſimpliciter ſunt impoſſibilia & incredibilia.* 5, τὰ φλυαρὰ, *res vanæ futiles & nugatoriæ.* Includuntur autem omnes cauſæ & controuerſiæ ciuiles, ſiue ſint perſonales, ſiue reales, quæ priuato hominum arbitrio componi poſſunt, & de quibus quæritur vtrum iuſtæ ſint an iniuſtæ, æquæ an iniquæ, cuiuſmodi octo genera potiſſima recenſentur ab Ariſtotele lib. 4. Polit. cap. 16. Quorum primum pertinet ad rationes geſti officii à magiſtratu exigendas: alterum ad iniurias perſonis publicis illatas: tertium ad delicta in Reipub. ſtatum commiſſa: quartum ad pœnas & mulctas tam magiſtratibus, quam priuatis ciuibus infligendas: quintum ad priuatos rerum magnarum contractus: ſextum ad cædes, ſiue ſponte, & conſultò, ſiue inuite & imprudenter, ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè commiſſas: ſeptimum ad lites & negocia quæ peregrini aut inter ſe, aut cum ciuibus habent: octauum ad priuatos rerum paruarum contractus.

Quæ excluduntur à iudiciis forenſibus.

1
2
3
4
5

Quæ includuntur iudiciis forenſib.

5 *An de paruis & leuibus inter ciues controuerſiis iudicia forenſia ſint habenda?*

Pro theſi aff. Argum.

1 PRo theſi affirmante faciunt hæc argumenta: 1, quia in nulla ciuitatis parte feneſtra ad iniuſtitiam, iniuriam pernitiemq; ipſorum ciuiũ eſt patefacienda: ſed vox iuſtitiæ in omnibus ciuitatis angulis audiri debet. Id autem fieri non poteſt ſi controuerſiæ & lites paruæ inter ciues exortæ à iudiciis forenſibus excludantur.
2 2, quia omnes deteriores fiunt licentia. Ideoq; illa reſecanda & tollenda eſt, non ſolum in magnis, ſed etiam paruis delictis ac criminibus.
3 3, quia ſicut minus periculoſæ infirmitates corporis, ſi negligantur ita creſcere poſſunt, vt vitam homini naturalem adimant: Ita leues ciuium controuerſiæ, ſi negligantur, eo vſque poſſunt prorumpi, vt lucem ciuitatis penitus extinguãt.
4 4, quia iuſtitiæ forum non ſolum Cr œſo, ſed etiam Iro patere debet. Id autem fieri non poteſt, ſi in iudiciis leuibus contentionibus locus
5 non detur. 5, quia Politia non vndiquè poteſt eſſe perfecta, in qua vel minima iniuriarum vulnera non ſanantur: non ſecus ac corpus humanum, non omninò ſanum eſſe poteſt, in quo fi-
6 bræ morborum hærent. 6, quia vt ex paruis ſcintillis ſæpè magna oriuntur incendia, quibus integræ domus pagi & vrbes conflagrant: ita ex paruis ciuium litibus ſæpè magnæ contentiones & ſeditiones exiſtunt, quibus tota Reſpublica
7 in periculum & exitium adducitur. 7, quia vt errores parui, ſi non maturè refutentur, ſæpè in graues hæreſes degenerant: ita lites paruæ non

recila

recisæ nonnunquam in truculentas tragœdias deſinunt. 8, quia etſi optandum quidem eſt, vt de vmbra fugacis fortunę, aut lana caprina ciues inter ſe non certarent: tamen cum muſca ſuam bilem, & pauper ſuam ſplenem habeat: neceſſarium eſt, vt in florenti ciuitatis ſtatu tumores iſti iudicum prudentia veluti medicina quadam leniantur, ne iræ facibus accenſæ ardentes quaſi febres ac peſtes in ciuitate gignant. 9, quia ob defectum iudiciorum forenſium, in quibus minimæ inter ciues controuerſiæ componantur, permultæ vrbes ac gentes in cineribus obrutæ & ſepultræ iacent. 8 9

Obiectio.

At contra hanc ſententiam obiici poteſt: 1, offenſiones admodum crebras inter ciues oriri, ſi liceat quaslibet etiam minimas controuerſias ad iudicia forenſia afferre. 2, aperiri hoc modo feneſtram litigioſis ciuibus ad contentiones forenſes multiplicandas, totamq; ciuitatem reddi contentioſam. 3, foueri & nutriri hoc modo auaritiam eorum, qui cauſas in foro agunt. 1 2 3

Soluuntur obiectiones.

Sed reſponderi poteſt in genere: 1, inter mala noxia, quorum alia ſunt maiora, alia minora, eligenda eſſe minora vt maiora euitentur. 2, in iudiciis forenſibus non tam cauſas, quam cauſarum euenta eſſe ſpectanda. Ideoq; licet cauſæ aliquando ſint leues, ne tamen illis neglectis mala luctuoſa in Rempub. redundent: melius eſſe illas diſcutere & terminare in iudiciis forenſibus, quam omnino negligere. Qui enim cicutam pullulaſcere non vult, illum oportet cicutæ radicem funditus effodere & euellere. Vnde ſapienter Poeta: 1 2

Principiis obſta: ſero medicina paratur
Cum mala per longas inualuere moras.

6 *An vtile ſit in Republica eſſe multa iudicia forenſia, multosq; cauſidicos?*

Pro theſi neg. Argum. PRo theſi negante adduci ſolent hæc argumenta: 1, quia ſicut multitudo medicamentorum & medicorum in ciuitate argumentum & ſignum eſt multæ infirmitatis in ea graſſantis: ita multitudo iudiciorum forenſium & cauſidicorum eſt ſignum multæ iniuſtitiæ in Repub. regnantis. 2, quia multitudo iudiciorum forenſiũ moram & dilationem, affert nimiam cõtrouerſiis ciuilibus, impeditq; , quo minus iuſto tempore componi & finiri poſſint. 3, quia experientia docet in illa Republica multas & diuturnas lites ac contentiones reperiri, vbi numeroſa turba eſt cauſidicorum. Illi enim dulci odore lucri deliniti, omnes ad litigationes forenſes inſtigant, earumq; transactionem in longum tépus extrahunt, vt inde maiorem quæſtum aucupentur.

Soluuntur argumenta. Sed reſponderi poteſt ad hæc argumenta in iis committi fallaciam partim accidentis, partim conſequentiæ materialis. Illa enim mala, quæ dicuntur oriri ex multitudine iudiciorum forenſium & cauſidicorum non per ſe inde exiſtunt; ſed per accidens propter vitia hominum. Ideoque neque inde ſimpliciter probari poteſt, quod non vtile ſit in Republica eſſe multa iudicia forenſia, multoſque cauſidicos.

7 *An quilibet homo idoneus ſit, cui iudicis officium à magiſtratu committatur?*

STatuitur theſis negatiua. Rationes ſunt: 1, quia in Iudice requiritur, prudentia & probitas. Illæ autem virtutes cuilibet homini non inſunt. 2, quia in iudice eligendo habenda eſt ratio ſexus, ætatis, aliarumq; circumſtantiarum: quæ cum ex æquo in quolibet homine non reperiantur: neque cuilibet iudicis officium committi debet. 3, quia non tãtum fatui & infames: ſed etiam cæci, muti & ſurdi inepti exiſtimantur quib. iudicandi partes tradantur, vt infra plurib. probabitur. 4, quia eccleſiaſticæ perſonæ, ſeu, vt vulgò appellantur clerici à iudiciis forenſibus excluduntur.

Pro theſi neg. Ratio. 1 2 3 4

Proinde in conſtituendo iudice accurata ratio habenda eſt magiſtratus, ne ex errore mentis ineptus pro apto, indignus pro digno eligatur.

8 *An viris potius, quam mulieribus iudicandi poteſtas ſit concedenda?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia iudicandi munus publicum eſt, publicoque in loco peragendum. Ideoq; viris potius, quam mulieribus eſt committendum: cum turpe ſit mulieri in foro tanquam loco publico verſari & conſiſtere. 2, quia ad rectè iudicandum requiritur prudentia cum grauitate & conſtantia coniuncta. Hæc autem in viris excellentior reperitur, quam in mulieribus. 3, quia à Iudice debet abeſſe auaritia ſeu habendi cupiditas. Huic autẽ vitio mulieres potius quam viri ſunt obnoxiæ. 4, quia in Iudice commendatur taci-

Pro theſi affir. Ratio. 1 2 3

turnitas, & reprehenditur garrulitas. Illa verò in viris: hæc in mulieribus potius reperitur.
Cautela. Interim tamen mulieres non ſimpliciter à iudiciis forenſib. ſunt excludendæ: præſertim quando ſunt ingenioſæ, prudentes & probæ: qualem olim fuiſſe legimus in populo Iudaico Deboram in libro Iudicum cap. 4. Sed in comparatione vtile eſſe videtur, vt in eligendis iudicibus, cæteris paribus, viri mulieribus præferantur.

9. An ſenibus potius, quam iuuenibus iudicandi poteſtas ſit concedenda?

Pro theſi aſſir. Ratio. STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia ſenes prudentia & experientia iuuenes
1 antecellunt. 2, quia ſenes minus temerè & in-
2 conſultò in iudicando agunt ac iuuenes. 3, quia
3 ſenes affectus ſuos melius regere & refrenare
4 poſſunt ac iuuenes. 4, quia apud Iſraelitas non iuuenes, ſed ſeniores populi Iudices ſunt conſtituti. Et in Spartana Republica iudices eſſe non potuerunt niſi ad annum ætatis 60. peruenissent.

Cautela. Interim tamen iuuenes ad iudicis officium admitti poſſunt & debent: ſi ætatem ſapientia & prudentia ad exemplum Salomonis ſuppleant, ingenioq; & moribus ſenes imitentur: aut etiamſi ſenum prudentum magna ſit in Repub. penuria. Alioquin ſi expectandum ſemper eſſet, donec iuuenes ſeneſcant, fieret vt magna in iis virtutis indoles prius extinguatur, quam prodeſſe Reipub. poſſunt.

10 *An literatis potius quam illiteratis iudicandi poteſtas ſit committenda?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia literati melius, norunt diſcernere inter iuſtum & iniuſtum, æquum & iniquum quam illiterati; cum iuris & legum non ſint ignari. 2, quia non facilè erroris vitio ſordeſcit animus, quem doctrina purgauit. 3, quia in omnibus rebus quiſq; rectè illud agit, quod nouit. Ideoque cum literati peritia & facultate iudicandi ſint inſtructi, rectius etiam agunt, quam illiterati. 4, quia turpe eſt Iudici, ea quæ iudicio ſunt determinanda ab aliis diſcere, & aliunde rectè iudicandi formulas emendicare. *Pro theſi affir. Ratio.* 1 2 3 4

At in contrariam partem obiici poteſt: 1, Illiteratos interdum naturali benè iudicandi facultate pollere aliiſq; literatis antecellere. 2, illiteratos ſuam imbecillitatem agnoſcere: Ideoq; modeſtè de ſe ſentire & in iudicando leges ac æquitatem ſimpliciter ſequi: literatos vero ſapere non rarò plus, quam leges volunt, & à iudicandi recepto more recedere. 3, iudices illiteratos ad manus habere aſſeſſores ſuos, qui legem placidè explicant, & eorum ignorantiam ſupplent. *Obiectio.* 1 2 3

Reſpondeo ad argumenta obiecta: 1, eruditionem & doctrinam perficere iudicandi facultatem. Ideoq; literatum ingenioſum in iudicando longè præferendum eſſe illiterato ingenioſo. 2, diſtinguendum ſemper eſſe inter vſum & abuſum doctrinæ literatæ: cum ille per ſe ei inſit: hic verò per accidens ex vitio hominum. 3, *Soluuntur obiectiones.*

laudabilius eſſe per ſe, quam per alios iudicare poſſe.

11 *An cæcis, ſurdis & mutis iudicandi poteſtas ſit committenda?*

Pro theſi neg. Argum. PRo theſi negante faciunt hæc argumenta: 1, quia non pauca in iudiciis occurrunt, quæ iudex rectè diiudicare non poteſt, niſi oculis eius ſubiiciantur: vt cum lis eſt de finibus & terminis agrorum: item de ſcriptura aliqua, quæ inſpicienda, & cum aliis conferenda eſt. 2, quia oportet iudicem inſtrui & informari à partibus litigantibus, vt cauſas rectius cognoſcat & diiudicet. Id autem fieri non poteſt, ſi ſit ſurdus. 3, quia oportet iudicem ſæpè interrogare & examinare litigantes. Id autem non poteſt præſtare: ſi ſit ſurdus, aut mutus. 4, quia iudicis officium requirit, vt ſententiam ſuam proferat & pronũciet. Id autem facere non poteſt, ſi ſit mutus. 5, quia iis, qui perpetuò ſurdi & muti, de ſententia iuris curatores ſunt dãdi: propterea quod rebus ſuis præeſſe non poſſint: multò ergò minus officia publica, cuiuſmodi eſt poteſtas iudicandi, iis committi poſſunt.

Obiectio. At pro cæcis obiici poteſt: 1, ius ciuile quod lib. 5. digeſt. tit. 1. affirmat cæcum poſſe exercere iudicium. 2, exemplum Apii apud Romanos, & Timoleontis apud Corinthios, quorum vterque fuit cæcus: & tamen iudicis officio benè functus eſt. 3, ratio, quæ docet cæcos ingenio valere, omniaq; intentius contemplari: cum neq; obiectis impediantur, neq; affectibus ita, vt alii moueantur.

Reſponderi autem poteſt cæcum quidem non ſimpliciter à iudiciis excludi poſſe: melius tamen eſſe Iudicem eſſe videntem, quam cæcum. *Reſponſio ad obiectionem.*

12. An eccleſiaſticis perſonis iudicandi in foro ciuili poteſtas ſit concedenda?

STatuitur theſis negatiua. Rationes ſunt: 1, quia cura duntaxat rerum ſacrarum, non autem ciuilium pertinet ad eccleſiaſticas perſonas. 2, quia turpe eſt eccleſiaſticis perſonis intereſſe negociis & diſceptationibus forenſibus: & ſic vnum pedem in Eccleſia, alterum in foro ſeu curia habere. 3, quia iudicem Politicum multa horrenda & profana oportet videre & tangere: adeoq; homines facinoroſos capitalib. ſuppliciis adiudicare. Illa autem à perſonis Eccleſiaſticis, quæ res ſacras tractare debēt, prorſus ſunt aliena. 4, quia officio ſuo rectè fungi nō poſſunt eccleſiaſticæ perſonæ, ſi non tantum ſacris, ſed etiam ciuilibus negotiis ſint occupatæ. *Pro theſi neg. Ratio.* 1 2 3 4

At in contrariam partem obiici poſſunt exempla ſacræ Scripturæ, quæ teſtantur Sacerdotes fuiſſe iudices vt Helim, Samuelem, &c. *Obiectio.*

Ad quæ reſponderi ſolet, illa eſſe ſingularia à Deo propter typum, quo Sacerdotes V. T. Chriſtum repræſentare debebant, inſtituta. Ideoque per hæc ſuperiorem theſin non poſſe infringi, quæ intelligenda eſt de perſonis eccleſiaſticis noui teſtamenti. *Reſponſio ad obiect.*

13 An iudicem oporteat eſſe pium & iuſtum?

Pro theſi affir. Ratio. STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia timor Dei iudicem ab omni iniuſtitia auocat & retrahit: cum ſciat ſe non hominis, ſed Dei iudicium exercere. Ideoq; Deum potius quam hominem pertimeſcendum eſſe. 2, quia iudex bono vitæ morumq; exemplo aliis præire debet. Nam vt Ouidius in Faſtis ait:

Sic agitur cenſura & ſic exempla parantur
Cum iudex, alios quod monet, ipſe facit.

3, quia iudex conſiderare debet, non quid poſſit, ſed quid debeat facere: neq; quantum ſibi permiſſum, ſed etiam, quatenus commiſſum. 4, quia ſicut oculus propria priuatus virtute malè cernit: ita iudex malè opus ſuum peragit pietate & probitate deſtitutus. 5, quia qui aliorum crimina vult iudicare, eum oportet omni crimine carere, ne dum alium damnat, ſeipſum damnet. 6, quia non abſurdum eſt quicquam magis, quam cum iudex audire cogitur illud: medice cura teipſum. 7, quia propterea olim veteres iuxta templum collocare voluerunt forum iudiciale, vt admonerent iudices ipſos à Deo eſſe conſtitutos, & dum hominibus ius dicunt à Deo ſe quoq; iudicari.

14 An Iudicem oporteat eſſe iuſtitiæ amantem & obſeruantem?

Pro theſi affir. Ratio. STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia nemo poteſt aliis ius adminiſtrare, qui ipſe iuſtitia non eſt inſtructus: non ſecus ac ignis alia calefacere non poteſt, ſi ipſe non ſit per ſe ca-

ſe calidus. 2, quia iudex in quo iuſtitia deſideratur, iudex eſſe nequit. Dicitur enim iudex, quod ius populo dicat: & ad iudicem ire nihil aliud eſt ſecundum Ariſtotelem lib. 5. Ethic. Nicomach. cap. 4. quam ad ius ipſum ire: cum iudex ſit quaſi ius animatum & lex loquens. Hinc Caſſiodorus lib. 3. epiſt. 29. ait *tamdiu iudex dicitur, quam diu iuſtus vocatur*. 3, quia ſacra Scriptura paſſim iudices ad iuſtitiam hortatur, & ab iniuſtitia dehortatur, præſertim Deuter. 16. Leuit. 19. Sapientiæ 1. &c. 4, quia abominabilis apud Deum is eſt, qui iuſtificat, impium & condemnat iuſtum Prouerb. 17. 5, quia bonus iudex nihil ex arbitrio ſuo & propoſito domeſticæ voluntatis debet facere, ſed iuxta leges & iura merita cauſæ examinare. 6, quia idcirco Ægyptiorum reges iureiurando iudices aſtrinxerunt, nõ ſe iniquè quid iudicaturos, etiamſi rex illud imperaret vt teſtatur Plutarchus in vita Catonis minoris.

2
3
4
5
6

15 *An iudicis boni ſit, vtramque litigantium partem audire?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia *qui ſtatuit aliquid parte inaudita altera, æquum licet ſtatuerit, haud æquus fuerit*, vt ait Seneca in Medea. 2, quia nec viſum, nec auditum hominem damnare nefas vltimum cenſetur, teſte Marcellino lib. 15. 3, quia non iudicem, ſed tyrannum ſe præbet, qui indicta cauſa aliquem iudicat teſte Apuleio de Aſino aureo. 4, quia vt nocens eſſe nemo poterit, ſi negare ſuffecerit: ita nemo innocens erit, ſi accuſaſſe ſuffecerit.

Pro theſi aſſir. Ratio.
1
2
3
4

5 5, quia veritas magis perſpicitur, quo ſæpius & in vtramq; partem audita cauſa fuerit. 6 6, quia Iudex nô facilè calumniis credere debet. 7 7, quia inter leges duodecim tabularum etiam hæc eſt: Ante meridiem cauſam conſcito: cum perorauerint ambo præſentes. Et Athenienſium eſt lex vetus, ἀμφοῖν ὁμοίως ἀκροᾶσθαι; *vtramq; partem ſimiliter audire* iubebat. 8 8, quia eo nomine laudatur Alexander Magnus, quod cum audiret accuſationes, altera manu obſtruxerit aurem, vt illam puram abſenti reſeruaret, vt teſtatur Plutarchus in Alexandro.

16 *An Iudici auaritia, munerumque captatio ſit fugienda?*

Pro theſi affir. Ratio.

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1 1, quia auaritia eſt nouerca iuſtitiæ. 2 2, quia improbitatis ac nequitiæ omnis fundamentum eſt habendi libido. 3 3, quia omnium flagitiorũ principium & finis eſt pecunias ex officiis conquirere. 4 4, quia malè rerum pondera examinat corruptus Iudex. 5 5, quia iudicium ſimile eſſe debet caſtæ & pudicæ virgini: Ideoq; longè hinc remouendæ corruptelæ & largitiones. 6 6, quia non quicquam ibi firmi, aut ſancti expectari poteſt, vbi Iudicum ſtudia & cogitationes omnes ad auaritiam referuntur. 7 7, quia tanta vis eſt argenti, vt ſi vtramuis in partem velut in trutinam fuerit impoſitum cogitationem præcipitet, & ad ſe deorſum rapiat. 8 8, quia ibi creſcit peccantium multitudo, vbi redimendi ſpes datur: & facilè peccatur, vbi venalis [illegible]

ualis ignoſcentium gratia eſt. 9, quia Iudex pu- 9
ras manus habere debet, & ſecundum leges iu-
dicare. 10, quia munera excæcant oculos ſapi- 10
entium, & mutant verba iuſtorum, efficiuntq́;
vt quaſi capiſtro frenentur homines, nec vitia
caſtigare poſſint. 11. quia qui rectè iudicat & 11
& præmium remunerationis expectat, frau-
dem in Deum perpetrat: ſiquidem iuſtitiam,
quam gratis impertiri debuit, acceptione pecu-
niæ vendidit vt docet Gregorius. *12*, quia bo- 12
nis malè vtitur, qui pro temporali lucro iuſtè
iudicat. Talem quippe ad veritatem non iuſti-
tiæ defenſio, ſed amor præmii prouocat: aut ſi
ſpes nummi ſubtrahitur, ſtatim a iuſtitiæ confeſ-
ſione recedit. *13*, quia vbi Iudex muneribus ſe 13
à diuite corrumpi ſinit: ibi pauper qui non ha-
bet, quod offerat, non ſolum non auditur, ſed
etiam contra veritatem opprimitur. 14, quia 14
acceptio munerum præuaricatio veritatis eſt:
& citò auro violatur iuſtitia: nec vllam reus
pertimeſcit culpam, quam redimere nummis
exiſtimat. 15, quia perimit leges auaritia: & iu- 15
dicantium præmia & dona legibus iura tollunt
efficiuntque, vt vbiq; venale ſit iudicium. 16, 16
quia Iudices mali non attendunt merita cauſa-
rum, ſed pecuniarum merita; non iura, ſed mu-
nera; non iuſtitiam, ſed pecuniam; non quod
ratio dictat, ſed quod voluntas exigit: non
quod lex ſentit, ſed quod mens cupit: non in-
clinant ad iuſtitiam animum, ſed iuſtitiā decli-
nant ab animo, non, vt ꝙ licet, hoc libeat, ſed vt

17 liceat quodlibet. 17, quia ſacra Scriptura non
Exod. 23. tantum prohibet, ne Iudex munera capiat: ſed
Deuter. 16. etiam grauiſſimam pœnam ei minatur, qui acci-
Eſaias. & 10. *Eccleſ. 20.* pit. 18, quia hiſtoriæ teſtantur omnibus ſeculis
18 non tantum grauiter punitos eſſe Iudices, qui
muneribus ſe corrumpi paſſi ſunt: ſed etiam
laudatos reges & principes, qui in illos animad-
uerterunt.

17 *An Iudex affectibus ſuis indulgere debeat?*

Pro theſi neg. STatuitur theſis negatiua. Rationes ſunt: 1,
Ratio. quia affectus veritatem rerum obſcurant,
1 eiuſq; inquiſitionem impediunt, ac iudicium
2 peruertunt. 2, quia omnia maiora & minora
redduntur, prout inclinatus animo Iudex exti-
3 terit. 3, quia vt ignis obiectam materiam: Ita
4 affectus veritatem obiectam conſumit. 4, quia
vt oculus turbatus perperam rem viſibilem cer-
nit: Ita mens affectibus perturbata rem intelli-
5 gibilem malè apprehendit. 5, quia Iudex omnes
affectus deponere debet; cum perſonam Iudi-
6 cis induit. 6, quia Iudex non niſi religionem le-
gem & æquitatem in iudicando reſpicere & ſe-
7 qui debet. 7, quia propterea Areopagitæ Athe-
nis controuerſias noctu iudicarunt, vt procul
iudicarent ab omni affectu, qui in diuerſum a-
nimos rapit.

18 *An ira à iudicando abeſſe debeat?*

Pro theſi af- STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1,
fir. Ratio. quia ira mentis iudicium excæcat & corrum-
1 pit. 2, quia nihil boni ira conſulit & ſuadet. Id-
2 circo à Saluſtio in Iugurtha *conſultores peſſimi eſſe*
3 dicuntur *cupido & ira*. 3, quia comites habet
per-

pernitioſos, nempe crudelitatem, furorem & ſæuitiam. 4, quia facit vt temerè & inconſideratè multa fiant, nec ſeruetur mediocritas illa, quæ eſt inter nimium & parum. 5, quia vt fumus oculos mordicans ea, quæ ante pedes ſunt, videre non ſinit: ita affectus mentem rem obiectam intelligere non ſinit. 6, quia vt medicus pharmacum exhibet ægroto, neq; tamen ei iraſcitur: ita etiam iudex ſententiam dicere debet. 7, quia vt leges ad puniendum non iracundia, ſed æquitate ducuntur: ita etiam Iudex, qui eſt lex animata & loquens. 8, quia malè vitæ mortiſq; poteſtas & ferrum irato committitur. 4 5 6 7 8

Quod ſi quis obiiciat: 1, fatuum & ſtupidum eſſe cenſendum, qui non iraſcitur; 2, iram iuſtā diſciplinæ matrem eſſe: Reſpondeo iram non ſimpliciter prohiberi iudici: ſed tum demum cum iudicium eſt ferendum. *Obiectio.* 1 2 *Reſponſio ad obiect.*

19. *An amor à iudicando abeſſe debeat?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia amor turbat intellectum & conſilia hominis, eumq; in errorem inducit. 2, quia amor facit, vt Iudex gratificetur ei, quem amet, eumque aut omninò abſoluat, aut parum condemnet. 3, quia vir bonus amici ſui cauſa nihil contra Rempub. aut iuſiurandum & fidem facere debet. 4, quia perſona amici deponenda eſt, cum perſona Iudicis aſſumenda. 5, quia Iudex vitia amicorum ſuorum amare non debet, neq; in rebus turpibus & iniuſtis iis fauere & patrocinari. Idcircò etiam Publicus Rutilius lauda- *Pro theſi affir. Ratio.* 1 2 3 4 5

tur, quod cum amicus quidam iniuſta petens repulſam pateretur & diceret: *quid ergo amicitia tua opus eſt?* reſpondit, *imò quid tua opus eſt mihi amicitia, ſi pro te aliquid inhoneſtè facturus ſim.*

20 An metus à iudicando abeſſe debeat?

Pro theſi neg. Ratio. STatuitur theſis negatiua. Rationes ſunt: 1, quia Iudex aptus non eſt, qui timidus eſt &
1 meticuloſus. 2, quia metus animum hominis
2 turbat, iudicioque ſpoliat. 3, quia impedit iu-
3 dicem, quo minus liberè in improbos animaduertat, aut alioquin ea, quæ animo concepit,
4 perficiat. 4, quia *vt ſuſtentacula in alto poſita contra ventum non permanent: ſic cor timidum contra*
5 *impetum non ſuſtinebit* Eccleſiaſt. 22. 5, quia vt Chamæleon, quod animal eſt timidiſſimum, ſubinde colorem ſuum mutat: ita ad varia confugiunt, nec conſtanter manent in propo-
6 ſito, qui timidi ſunt ac meticuloſi. 6, quia fortitudo decet Iudicem.

21 An iudex debeat eſſe miſericors?

Pro theſi affir. Argum. PRo theſi affirmante faciunt hæc argumenta: 1, quia iuſtitia ſine miſericordia non eſt
1 iuſtitia, ſed crudelitas. 2, quia iudex eſt vica-
2 rius Dei. Ergò ſicut Deus eſt miſericors erga peccatores: ita etiam debet eſſe miſericors
3 erga reos. 3, quia *iudicium ſine miſericordia ex-*
4 *perietur, qui miſericordiam non facit* Iacobi 2. 4, quia Eccleſiaſticus cap. 4. hortatur iudicem ad miſericordiam eique præmium promittit cum inquit: *In iudicando eſto pupillis miſericors vt pater, &*

tu, & pro viro matri illorum: & eris tu filius altiſſimi obediens, & miſerebitur tui magis, quam mater.

At pro theſi negante adduci poſſunt ſequentia argumenta: 1, quia ſeueritas requiritur in iudice & ſine ea ciuitas nulla adminiſtrari poteſt, quẽadmodum Cicero teſtatur lib.1.Offic. 2, quia ſublata iudiciorum ſeueritate creſcunt in Repub. ſcelera, nocent exempla, ſummaque rerum omnium ſequitur confuſio. 3, quia Iudex imitari debet partim hortulanos, qui noxias herbas tollunt & auerruncant, vt vtiles eò melius creſcant, partim Medicos, qui vrunt & ſecant morbida membra, quæ reliquo corpori nocere poſſunt. 4, quia lex Moſaica Exod. 23. prohibet, *ne Iudex miſereatur pauperis in iudicio.*

Pro theſi neg. Argum. 1 2 3 4

Pro deciſione quæſtionis diſtinguendum eſt inter miſericordiam moderatam & immoderatam: quarum illa Iudici conuenit, cùm rectæ rationi iuſtitiæ & pietati ſit conſentanea. Hæc verò à Iudice eſt aliena: cum rectæ rationi, iuſtitiæ ac pietati repugnet. De priore intelligendum eſt dictum Auguſtini quæſt. 88. in Exod. *Semper fauendum eſt pauperi pupillæ & viduæ, ſed ſine alterius iniuria.* Item illud Chryſoſtomi in Matthæum. *Quemadmodum iuſtitia ſine miſericordia non eſt iuſtitia, ſed crudelitas: ita rurſus miſericordia ſine iuſtitia non eſt miſericordia, ſed fatuitas.*

Quæſtio deciditur per diſtinct.

22 *An Iudex debeat eſſe προσωπολήπτης?*

Pro theſi neg. Ratio.
STatuitur theſis negatiua. Rationes ſunt:
1 quia προσωποληψία eſt ſpecies iniuſtitiæ, quæ
Iudice procul abeſſe debet. 2, quia iudex in ſen-
2 tentia ferenda debet imitari exemplum Dei, a-
pud quem nulla eſt προσωποληψία, vt paſſim Scri-
3 ptura ſacra teſtatur. 3, quia Iudex non externa
perſonarum qualitates ad rem nihil pertinen-
tes, ſed cauſarum duntaxat merita ponderare&
4 æſtimare debet. 4, quia Scriptura ſacra paſſim
προσωποληψίαν in Iudice damnat & prohibet, præ-
ſertim Deuter. 1. *Audite illos & quod iuſtum e-
iudicate, ſiue ciuis ille ſit ſiue peregrinus nulla erit d-
ſtantia perſonarum: Ita paruum audietis, vt ma-
gnum nec accipietis cuiuſquam perſonam: quia D-
5 iudicium.* 5, quia Iudex debet eſſe iuſtitiæ ama-
& ſtudioſus, vt ſupra probatum fuit. Id auten
fieri non poteſt, ſi ſit προσωπολήπτης.

23 *Vtrum Iudex in ſententia ferenda verba legi- potius, quam æquitatem ſpectare debeat?*

Pro theſi affir. Argum.
PRo theſi affirmante faciunt hæc argument
1 1, quia in Repub. bene conſtituta nihil ant-
quius debet eſſe legibus. 2, quia nihil intere
2 vtrum lex lata non ſit, aut non vſurpetur. 3, qu
3 nemo debet ſapientior eſſe legibus. 4, quia Iu-
4 dex melius in officio cōtineri poteſt, ſi æquitati
ſpe ſublata ei ſecūdum leges ſit pronunciand
5 5, quia ſicut eques imperitus ad declinandu
lapſum inniti debet ephippio: ita Iudex imp-
ritus ad vitandum Iudicii errorem verbis leg
6 inſiſtere debet. 6, quia idem teſtatur Charon-
das Legislator, qui non vult vt Magiſtratus

Iudices à verbis legum diſcedant: etiamſi illæ iniquæ eſſe dicantur.

At contra pro theſi negante, quæ veritati magis eſt conſentanea, valent ſequentia argumenta: 1, quia lex nihil aliud eſt quam ipſa ratio Legiſlatoris, extra aleam vitioſarum cupiditatum conſtituta. Non igitur verborum contextum, non literarum figuram ſpectare debet iudex, ſed intus in mente abditum Legiſlatoris ſenſum, quem etiam ipſa verba declarant. 2, quia ſententia legis potior eſt verbis, & æquitas ſtricto iure. Idcircò rectè dici ſolet: *Scire leges non eſt verba earum tenere, ſed vim & poteſtatem.* Item *Non licet ſaluis verbis legis ſententiam eius circumuenire.* Item *Benigniùs accipienda ſunt leges, vt voluntas earum conſeruetur.* 3, quia lex ab æquitate ſeparata eſt quaſi corpus exanimum. 4, quia tantum ad quæſtionem infinitam pertinet: quæſtiones autem finitas æquitati congruentes ex locis, perſonis temporibus non attingit. 5, quia non omnia poſſunt legibus comprehendi, ſed multa relinquenda ſunt ſententiæ Iudicis, qui ex æquo & bono Ius dicit. 6, quia Iudex tanquam argentarius debet verum ius ab adulterino diſcernere. 7, quia æquitas conſiſtit in recta & congrua legum ad factum applicatione, quæ poſtulat, vt potius Legiſlatoris intentio ſeruetur, quã eius verba. 8, quia *Iudex is videtur legi obtemperare, qui ſententiam eius, non qui ſcripturam ſequitur* teſte Cicerone lib.2. Rhetor. 9, quia propterea Romani Iudices conceptis verbis iurare ſunt ſoliti, ſe ex animi ſententia eſſe iudicaturos. Et Athenienſes itidem *ἀρίστῃ γνώμῃ, optima ſeu æquiſ-*

Pro theſi neg. Argum. 1 2 3 4 5 6 7 8 9

22 *An Iudex debeat eſſe προσωποληπτης?*

Pro theſi neg. Ratio. STatuitur theſis negatiua. Rationes ſunt: 1, quia προσωποληψία eſt ſpecies iniuſtitiæ, quæ à
1 Iudice procul abeſſe debet. 2, quia iudex in ſen-
2 tentia ferenda debet imitari exemplum Dei, apud quem nulla eſt προσωποληψία, vt paſſim Scri-
3 ptura ſacra teſtatur. 3, quia Iudex non externas perſonarum qualitates ad rem nihil pertinentes, ſed cauſarum duntaxat merita ponderare &
4 æſtimare debet. 4, quia Scriptura ſacra paſſim προσωποληψίαν in Iudice damnat & prohibet, præſertim Deuter. 1. *Audite illos & quod iuſtum eſt iudicate, ſiue ciuis ille ſit ſiue peregrinus nulla erit diſtantia perſonarum: Ita paruum audietis, vt magnum nec accipietis cuiuſquam perſonam: quia Dei*
5 *iudicium.* 5, quia Iudex debet eſſe iuſtitiæ amãs & ſtudioſus, vt ſupra probatum fuit. Id autem fieri non poteſt, ſi ſit προσωποληπτης.

23 *Vtrum Iudex in ſententia ferenda verba legis potius, quam æquitatem ſpectare debeat?*

Pro theſi affir. Argum. PRo theſi affirmante faciunt hæc argumenta: 1, quia in Repub. benè conſtituta nihil anti-
1 quius debet eſſe legibus. 2, quia nihil intereſt
2 vtrum lex lata non ſit, aut non vſurpetur. 3, quia
3 nemo debet ſapientior eſſe legibus. 4, quia Iu-
4 dex melius in officio cõtineri poteſt, ſi æquitatis ſpe ſublata ei ſecũdum leges ſit pronunciandũ.
5 5, quia ſicut eques imperitus ad declinandum lapſum inniti debet ephippio: ita Iudex imperitus ad vitandum Iudicii errorem verbis legis
6 inſiſtere debet. 6, quia idem teſtatur Charondas Legislator, qui non vult vt Magiſtratus & Iudi-

Iudices à verbis legum diſcedant: etiamſi illæ
iniquæ eſſe dicantur.

At contra pro theſi negante, quæ veritati ma- *Pro theſi neg. Argum.*
gis eſt conſentanea, valent ſequentia argumen-
ta: 1, quia lex nihil aliud eſt quam ipſa ratio Le- 1
giſlatoris, extra aleam vitioſarum cupiditatum
conſtituta. Non igitur verborum contextum,
non literarum figuram ſpectare debet iudex,
ſed intus in mente abditum Legiſlatoris ſen-
ſum, quem etiam ipſa verba declarant. 2, quia 2
ſententia legis potior eſt verbis, & æquitas ſtri-
cto iure. Idcircò rectè dici ſolet: *Scire leges non
eſt verba earum tenere, ſed vim & poteſtatem.* Item
*Non licet ſaluis verbis legis ſententiam eius circum-
venire.* Item *Benignius accipienda ſunt leges, vt vo-
luntas earum conſeruetur.* 3, quia lex ab æquitate 3
ſeparata eſt quaſi corpus exanimum. 4, quia 4
tantum ad quæſtionem infinitam pertinet: quę-
ſtiones autem finitas æquitati congruentes ex
locis, perſonis temporibus non attingit. 5, quia 5
non omnia poſſunt legibus comprehendi, ſed
multa relinquenda ſunt ſententiæ Iudicis, qui ex
æquo & bono ius dicit. 6, quia Iudex tanquam 6
argentarius debet verum ius ab adulterino di-
ſcernere. 7, quia ęquitas conſiſtit in recta & con- 7
grua legum ad factum applicatione, quæ poſtu-
lat, vt potius Legiſlatoris intentio ſeruetur, quā
eius verba. 8, quia *Iudex is videtur legi obtempera-* 8
re, qui ſententiam eius, non qui ſcripturam ſequitur
teſte Cicerone lib.2. Rhetor. 9, quia propterea 9
Romani Iudices conceptis verbis iurare ſunt
ſoliti, ſe ex animi ſententia eſſe iudicaturos. Et
Athenienſes itidem *ἀρίστῃ γνώμῃ, optima ſeu æquiſ-*

ſima mente ſe viſuros eſſe affirmarunt vt teſtatur Ariſtoteles lib.3.Polit.cap.1.& 1.Rhet.c.15.

24 *An Iudex in ſententia ferenda tarditatem potius, quam feſtinationem adhibere debeat?*

Pro theſi neg. Argum. PRo theſi negante faciunt hæc argumenta: 1, quia ad pœnitendum properat, qui citò iudicat: & *in iudicando criminoſa eſt celeritas* vt ait Seneca in Prouerbiis. 2,quia ſi tempus & mora in iudicando adhibeatur, res ipſa magis diſcutitur, magiſq; conſpicua redditur, ac diiudicatio fit facilior. 3, quia feſtinatio eſt mater temeritatis, quæ in omnibus actionibus eſt fugienda. 4,quia tarditas in iudicãdo facit, vt facinoroſos ſcelerum pœniteat. 5,quia Iudex imitari debet exemplum Dei,qui tardus eſt ad punienda peccata hominum, ſed tarditatem cum pœnæ grauitate compenſat.

Obiectio. At contra obiici poteſt,dilationes iudiciorũ in Repub. eſſe pernitioſas, & facere, vt Iudices ſæpè malè audiant. *Reſponſio ad obiect.* Reſpondeo neq; tarditatẽ nimiam,neq;celeritatem nimiam à Iudice in ferenda ſententia eſſe adhibendam:ſed ſequendũ eſſe vulgatum illud adagium:*Feſtina lente.* Quod præcipit in omni vita & actionib.noſtris tempeſtiuam celeritatem cum prudenti tarditate eſſe coniungendam,vt neque per temeritatem ſeu nimiam feſtinationem quicquam faciamus pœnitendo, neque per negligentiam ſeu nimiam ceſſationem quicquam prætermittamus, quod bonum ſit & faciendum.

25. An

25 *An Iudex viua potius voce, quam ſcripta tabula ſententiam ferre debeat?*

PRo theſi affirmante valent hæc argumenta: 1, quia viua vox Iudicis maiorem terrorem incutit ipſi, aliiſq; aduerſus quos pronunciatur ſententia, quam ſcripta tabula. 2, quia viua vox Iudicis, maiorem reuerentiam erga leges parit, maioremq; honorem & celebritatem tribunali conciliat. 3, quia veritas non quærit angulos, neq; æquitas veritatis comes incertos calculos poſtulat. 4, quia Iudex eſt interpres legis, miniſterq; Iuſtitiæ. Ergo in foro non ſilere, ſed loqui debet. 5, quia Iudex eſt publica perſona ciuitatis, & tribunal, in quo ſedet, eſt oraculum iuſtitiæ. Non igitur occultè per tabulam ſcriptam, ſed palam viua voce ſententiam in foro ferre debet. 6, quia tabula ſcripta incertum potius arbitrium, quam certum ac definitum iudicium facit. 7, quia pleræq; bene conſtitutæ Reſpub. hanc laudabilem obſeruarunt conſuetudinem, vt iudices palam viua voce, non occultè per tabulam ſcriptam ſententiam ferrent.

Pro theſi affir. Argum. 1 2 3 4 5 6 7

At pro theſi negante afferri ſolent hæc argumenta: 1, quia viua vox Iudicis perit, ſcripta verò manet. 2, quia vox ſcripta maiorem metum Iudici iniicit, ne iniquè iudicans apud poſteros infamia laboret. 3, quia vox ſcripta minorem inuidiam, ſuſpicionemq; largitionis alicuius parit, quam viua. 4, quia electiones magiſtratuum in multis Rebuspub. occultè per calculos & tabulas ſcriptas peragi ſolent: multò ergo magis iudicia forenſia eodē modo fieri poſſunt. 5, quia

Pro theſi neg. Argum. 1 2 3 4 5

in benè conſtitutis Rebuspub. v. g. apud Romanos, Mileſios & alios populos leges tabellariæ in vſu fuerunt.

26 *An Iudex in ſua aut ſuorum cauſa iudicare poſſit, aut debeat?*

Pro theſi neg. Ratio. STatuitur theſis negatiua. Rationes ſunt: 1,
1 quia nemo ferè eſt, qui ſeipſum magis, quàm
alios timeat, ſibiq; magis quam aliis ignoſcat &
2 parcat. 2, quia nemo fere eſt, qui bonus ſit iudex de ſuis rebus: cum homo plerunq; in ſuis
3 rebus ſit cæcus, in alienis oculatus. 3, quia vt ſuus cuiq; morbus videtur atrociſſimus: ita ſuum cuiq; incommodum maximè dolet. 4, quia
4 iudex eſt publica perſona ciuitatis. Ideoq; de publicis, non de priuatis ſuis rebus iudicare debet. Hinc etiam Caſus libr. 3. Sphæræ ciuitatis cap. 6. domum Iudicis vocat, oraculum ciuitatis, in quo iudicium publicum, non priuatum
5 floreat. 5, quia in foro ciuili ſemper diſtinctæ perſonæ eſſe debent, accuſator reus & iudex. Illa autem diſtinctio tolleretur, ſi iudex in ſua ipſius cauſa partes iudicandi ſibi vendicaret. 6,
6 quia pugnat non tantum cum maieſtate fori & tribunalis publici; ſed etiam cum honeſtate, æquitate veteriq; iudicandi conſuetudine, vt aliquis ſit iudex in ſua ipſius cauſa. 7, quia iure ci-
7 uili prohibitum, ne quis ſibi aut ſuis ius dicat. 8,
8 quia ſicut proprium de ſuis rebus teſtimonium: ita etiam iudicium eſt ſuſpectum. 9, quia con-
9 temptus iudicii iuris & æquitatis inde conſequitur, ſi iudex in ſua ſuorumque cauſa iudicare velit.

At

At contra hanc ſententiam obiici poteſt: 1, ſupremum magiſtratum aliis iudicibus non eſſe ſubiectum. Ideoq; in ſua ipſius cauſa iudicem eſſe poſſe. 2, virum bonum ſibi ipſi eſſe legem. Ideoq; de ſeipſo iudicare poſſe. 3, vnumquemque ſuas res certius noſſe, quam alium. Ideoq; accuratius iudicare poſſe. Reſpondeo ad primam obiectionem magiſtratum ſupremum aliis quidem iudicibus non eſſe ſubiectum: interim tamen eundem ſubiectum eſſe iudicio partim ipſius, partim rectæ rationis, partim totius ciuitatis ſeu Reipublicæ. Ideoq; in ſua ipſius cauſa iudicem eſſe non poſſe. *Obiectio.* 1 2 3 *Soluuntur obiectiones.* 1

Ad alteram reſpondeo bonum virum ſibi quidem legem eſſe: nihilominus tamen aliorũ legibus &iudiciis ſeſe libenter ſubiicere, partim propter ciuilem ordinem, in quo Reſpublica maximè conſiſtit, partim propter exemplum. Ad tertiam obiectionem reſpondeo, non ſemper hominem ſuas res certius noſſe, quam alios: cum φιλαυτία ſæpe oculos mentis excæcare ſoleat. Præterea licet in foro conſcientiæ homo accuratius de ſuis rebus iudicare poſſit, quam alius; tamen in foro ciuili neminem in ſuis cauſis iudicem idoneum eſſe poſſe. 2 3

27 *An Iudex innocentem falsò accuſatum iuſtè aliquando condemnare poſſit?*

PRo theſi affirmante adduci ſolent hæc argumenta: 1, quia Iudex ſecundum allegata & probata in ſententia ferenda procedit. Iam autem fieri poteſt, vt is, qui in ſeſe eſt innocens ab accuſatore falſis teſtib⁹ conuincatur eſſe nocẽs, *Pro theſi affir. Argum.* 1

2 2, quia in foro ciuili tamdiu aliquis pro innocẽte vel nocente habetur, donec contrarium probetur.
3 3, quia melius eſt, vt vnus innocens conuictus condemnetur, quam vt ordo iuris & ciuitatis pereat.

Obiectio. At contra hanc ſententiam obiici poteſt: 1,
1 innocentem potius præmium, quam pœnam mereri: Ideoque iuſtè condemnari non poſ-
2 ſe. 2, crudelitatis eſſe, innocentem ſine culpa
Reſponſio ad obiectionem. condemnare. Reſponderi autem ſolet: 1, innocentem iure condemnari non poſſe, ſi innocen-
1 tia ipſius ſit ſatis probata & nota: ſed ſi innocens vt nocens accuſetur & conuincatur, ſecundũ ordinem iuris & ciuitatis ipſum iuſtè condemnari
2 poſſe. 2, innocentem quidem ſine culpa, at non ſine cauſa interdum à Iudice condemnari. Cum enim teſtimonium aduerſus ſe productum refutare non poteſt, iudex ex officii ratione cogitur illum condemnare: præſertim ſi falſitas teſti-
Cautela. monii ab eo deprehendi non poſſit. Interim tamen ſi Iudici certò conſtet de innocentia eius, qui falſis teſtibus opprimitur, non debet iuris rigorẽ ſequi, ſed æquitatem: & potius exquiſitiſſima tormenta ſubire, quam innocentem contra ſuam ipſius conſcientiam condemnare.

28 *An in qualibet bene conſtituta Republica debeat eſſe ſummum aliquod ac commune tribunal, ad quod fiat appellatio?*

Pro theſi aff. Ratio. STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1,
1 quia vbi ſummus eſt magiſtratus: ibi etiam ſummum eſſe debet tribunal. Iam autẽ in quali-
2 bet Repub. bene conſtituta eſt ſummus magi-
ſtratus

ſtratus. 2,quia ſine ſummo tribunali neq; Reſpublica bene adminiſtrari, neq; ciues pacatè & trãquillè inter ſe viuere poſſunt. 3,quia ſine ſummo tribunali corruptæ ſententię inferiorum Iudicũ neq; reuocari,neq; corrigi poſſunt. 4,quia ſine ſummo tribunali lites & controuerſiæ magni momenti,præſertim illæ,quas ſubditi habẽt cum principib.viris bene componi & decidi nõ poſſunt,ac vnicuiq; ſuum tribui. 5,quia nihil tã auguſtum & honorificũ reddit Rempub. quam ſummum tribunal,in quo ſummus magiſtratus lex quaſi loquens & ius animatũ fit.6,quia ſummum tribunal terrorem incutit inferiorib.Iudicibus, eoſq; ab iniqua ſententia ferẽda quaſi retrahit.7,quia ſummũ tribunal eſt aſylum eorũ, qui iniquis inferiorum Iudicum ſententiis premuntur. 8,quia lex diuina Exod.18.ſummũ tribunal probat. Sic enim Deus ad Moſen loquitur. *Provideas de plebe viros prudentes & timentes Deum, in quib.eſt veritas.& qui oderunt auaritiam, & conſtitue ex illis tribunal, & centuriones quinquagenarios & decanos, qui iudicent populum omni tempore: quicquid autem maius fuerit, referent ad te, & minora iudicabunt.* Hinc etiam Act. 25. Paulum legimus à Feſto iudice ad Cæſarem prouocaſſe. 9,quia exempla optimarum Rerumpublicarũ hoc ipſum vſu & lege comprobant. At obiici poteſt per ſummum tribunal contemptum induci inferiorum iudiciorum, feneſtramq; litigioſis hominibus aperiri ad continuandas per viam appellationis lites in inferioribus iudiciis deciſas.

Margin: 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, *Obiectio.*

Reſponſio ad obiect. Reſpondeo ſummum tribunal per
eſſe cauſam contemptus inferiorum iud
ſed timoris: neque contentionis, ſed q
Ideoq; ſi aliquid mali & incommodi ſum
bunalis conſtitutionem ſequatur, id cul
feriorum hominum fieri.

29 An diſſentientibus principibus viris litis d canda poteſtas populo ſit concedenda?

Pro theſi affir. Ratio. STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſ
1 quia ad componēdam pacatè diſſenſi
principum virorum, nullum medium v
2 eſſe melius & commodius, quam populu
num collectus. 2, quia vox populi eſt vo
3 & ciuitatis. 3, quia populus in vnum coll
poteſtatem habet condendi leges & eli
magiſtratus. Ergo eidem poteſtas diiudi
litem inter principes ciuitatis viros adim
4 debet. 4, quia ſi populo non daretur diri
di lites inter principes viros exortas poteſt
dia ciuilia creſcerent, fomites & ſcintillæ
tionum fouerentur, & tandem pax ac tran
5 litas publica ciuitatis turbaretur. 5, quia pr
pes viri melius ſeſe in officio continebunt
ant ſe populi iudicio eſſe ſubiectos.

Obiectio. At contra obiici poteſt, populum eſſe
dram multorum capitum: Ideoque princi
virorum cauſas & controuerſias rectè diiud
Reſponſio ad Obiect. re non poſſe. Reſpondeo per populum h
quæſtione non intelligi plebem, ſeu vulgus
peritum, ſed totam ciuitatem, ſeu vniuer
cętum ciuium: aut ſaltem ciues optimates c
munibus aliorum ſuffragiis ad hoc officium
lectos & deſtinatos.

30 e

31 *An liceat populo impedire magiſtratum vel iudicem, quo minus in iudicio ſententiam ferat?*

STatuitur theſis negatiuâ. Rationes ſunt: 1, quia magiſtratus immediatè eſt vicarius Dei & iudex ipſius populi. 2, quia officium magiſtratus & iudicis eſt ſanctum & venerabile. Ideoque illud à populo non eſt violandum. 3, quia ſententia Iudicis eſt vox iuſtitiæ & medicina ſcelerum: Ideoque impediri non debet quò minus feratur. 4, quia ſi populo daretur poteſtas impediendi magiſtratum aut Iudicem, quò minus in iudicio ſententiam ferat: futurum eſt vt omne imperii & diſciplinæ iugum excuteret & ſic ſeditionem aduerſus magiſtratum excitaret. 5, quia ſicut æger curari non poteſt, ſi medicus impediatur, quò minus ei ſalutarem medicinã propinare poſſit: Ita Reſpublica ſanari non poteſt ſi Iudex impediatur, quò minus iuſtam in Iudicio ſententiam ferat. 6, quia mores & leges optimarum Rerumpub. non permittunt populo eiuſmodi licentiam. 7, quia poſtquam Romæ furor tribunitius ſibi vendicauit poteſtatem magiſtratus iudicia interturbandi, Romani Imperii gloria & ſplendor euanuit.

Pro theſi neg. Ratio. 1 2 3 4 5 6 7

At contra obiici poteſt, omne quod iniquum eſt, impedire licere. Ideoq; etiam ſententiam magiſtratus & Iudicis, quatenus iniqua eſt. Reſpondeo: 1, omne, quod iniquum eſt, impedire licere, ſed non cuilibet. 2, tantam eſſe maieſtatem & religionem tribunalis publici, vt nemo in eo tanquam in ſolio iuſtitiæ reſidens vllo modo interturbari debeat.

Obiectio.

Reſponſio ad obiect. 1 2

CAPVT VII.

De cura pacis & tranquillitatis publicæ.

PRÆCEPTA.

1 *Fuit cura legum. Sequitur cura pacis & tranquillitatis publicæ, quæ perficitur partim procuratione cauſarum illius procreantium & conſeruantium, partim remotione cauſarum corrumpentium.*

2 *Cauſa procreans & conſeruans pacis & tranquillitatis publicæ alia eſt generalis, alia ſpecialis.*

3 *Generalis eſt recta & appoſita Reipublicæ adminiſtratio.*

4 *Specialis eſt partim concordia ciuium, partim ſeuera legum executio, iuſtitiæque adminiſtratio.*

5 *Cauſa corrumpens pacis & tranquillitatis publicæ ſimiliter alia eſt generalis, alia ſpecialis.*

6 *Generalis eſt praua & peruerſa Reipublicæ adminiſtratio.*

7 *Specialis eſt partim diſcordia ciuium partim intermiſſa, aut ſaltem negligens legum executio, iuſtitiæque adminiſtratio.*

1 *An neceſſe ſit magiſtratum Politicum ſuſcipere curam pacis & tranquillitatis publicæ?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia ſine pace & tranquillitate publica ſalus Reipublicæ conſiſtere non poteſt. Ideoq; non immeritò dicitur munimentum inexpugnabile ciuitatis. 2, quia finis magiſtratus Politici eſt vita pacata & tranquilla ſubditorum. 3, quia pax & tranquillitas publica eſt pars felicitatis ciuilis ad quam tota Reipublicæ gubernatio eſt dirigenda. 4, quia pax eſt ſanitas Reipublicæ: & indiuidua comes iuſtitiæ. 5, quia omnium bonorum tam priuatorum, quam publicorum vbertatem ſecum affert. Hæc enim facit vt poſt rigidam belli hyemem agri colantur, vernent horti, paſcantur lætæ pecudes, ædificetur vrbes, collapſæq; inſtaurentur ornentur & augeantur opes creſcant, leges vigeant, diſciplina Reipub. floreat, religio ferueat, æquitas valeat, humanitas polleat, artes opificum clareant honeſtiſſimarum artium ſtudia floreant, benè inſtituatur iuuentus: deniq; hæc eadem omnes ſimultatum, litium, factionum ſeditionum & bellorum faces extinguit. 6, quia quod ſerenitas eſt in aere, & tranquillitas in mari: id eſt pax in Republica.

Pro theſi aſſir. Ratio. 1 2 3 4 5 6

2 *An concordia ciuium ſit neceſſaria ad conſeruandam pacem & tranquillitatem publicam?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia concordia eſt nutrix beneuolentiæ

Pro theſi aſſir. Ratio. 1

& amoris, quo ciues inter ſe debent eſſe colli-
2 gati. 2, quia eſt vinculum arctiſſimum ſocieta-
tis ciuilis, maximè verò vnionis illius, qua o-
3 mnia Reipublicæ membra continentur, 3, quia
ſicut concordia omnium partium totum cor-
pus naturale hominis efficit ſanum & quietum;
4 Ita etiam concordia omnium ciuium totum
Reipub. corpus efficit pacatum & tranquil-
lum. 4, quia diſcordia eſt mater ſimulta-
5 tum, factionum, ſeditionum & bellorum, qui-
bus pax & tranquillitas publica turbatur & pro-
fligatur. 5, quia per diſcordiam ciuilem Reipu-
6 blicæ compages paulatim diſſoluitur, & hoſti-
bus via facilis aperitur ad ſubiiciendos ſibi ciues
per diſcordiam iam debilitatos & confractos. 6,
quia ſicut nauis compactis ac coniunctis tabu-
lis omnibus maris pericula ſuperat & vincit: diſ-
ſolutis verò tabulis propter aquæ ingreſſum
periclitatur, & tandem ſubmergitur: Ita Reſ-
publica per concordiam ciuium conſeruatur,
per diſcordiam verò ſubuertitur.

3 *Quæ ſint ſeditionum ciuilium in Republica cauſæ?*

De cauſis ſeditionum ciuilium ſententia aliorum exponuntur.

IN cauſis ſeditionum ciuilium explicandis nō
conſentiunt inter ſe Philoſophi. Alii enim
ſtatuunt omnes ſeditiones exiſtere, vel ex diſ-
cordia ciuium, vel ex intermiſſa, aut ſaltem ne-
1 gligente legum executione, iuſtitiæque admi-
2 niſtratione. Alii exiſtimant ſeditiones omnes
oriri vel ex nimia copia, vel ex nimia inopia:
non ſecus ac in corpore viuente morbi oriri ſo-
lent, vel ex nimia repletione, vel ex nimia exi-
3 nanitione. Alii cauſas ſeditionum referunt,
partim ad religionis diſparitatem, partim ad lu-
4 xuriam

xuriam & voluptatem corporis, partim ad ambitionem, partim ad auaritiam, partim deniq; ad vindictæ cupiditatem. Cæterum hæ diuerſæ ſententiæ accuratè inter ſe collatæ non vidētur pugnare, ſed potius ad vnum & eundem ſcopum collineare. Ideoque etiam nulla ex his reiicienda eſſe videtur. *Conciliantur ſuperiores opiniones.*

4 *Quæ remedia contra ſeditiones ciuiles ſint adhibenda?*

PEtrus Gregorius lib. 23. de repub. cap. 9. tria in genere remedia recenſet contra ſeditiones ciuiles adhibenda. Quorum primum conſiſtit in præcautione, ne accidant: ſecundum in emendatione opportuna, priuſquam motus incipientes vires acceperint: tertium in pœnis & ſuppliciis exemplaribus ſeditioſorum, quo alii à ſimilibus flagitiis deterreantur. *Remedia contra ſeditiones ciuiles ſunt.* 1 2 3

Quod ad primum remedium attinet, operam dabit magiſtratus Politicus: 1, vt leges à ſubditis diligenter ac inuiolatè obſeruentur. 2, vt tollat omnes occaſiones & cauſas diſcordiarum & diſſidiorum. 3, vt arma priuatis prohibeat & adimat, quæ ſunt inſtrumenta ſeditionum, hominesq; animoſiores & proniores ad eas excitandas reddunt. 4, vt conciliabula & conuenticula hominum priuatorum prohibeat, in quibus factiones & coniurationes fieri ſolent. 5, vt quos præſtantiores & ad ſeditiones ac factiones excitandas proniores viderit beneficiis, fauore & largitionibus, in ſuas partes adducat, ſubtiliterque inquirat in cauſas, ob quas poſſent ſeditiones moueri. 6, vt non pro quibuscunque exiguis *Explicatio primi remedii.* 1 2 3 4 5 6

CAPVT VIII.

De cura ærarii publici.

PRÆCEPTA.

1 *Adhuc de cura primaria rerum ciuilium. Sequitur cura ſecundaria, quæ iiidem duplex eſt: vna ærarii publici: altera commerciorum & confœderationis.*

2 *Cura ærarii publici eſt, per quam magiſtratus de bonis & reditibus publicis augendis & conſeruandis eſt ſolicitus.*

3 *Eaque perficitur partim legitima auctione ærarii publici, partim recta eiusdem conſeruatione.*

4 *Auctio legitima ærarii publici alia eſt generalis, alia ſpecialis.*

5 *Generalis fit partim per legitimam monetæ procuſionem & augmentationem: partim per vectigalium & tributorum exactionem.*

6 *Moneta eſt pecunia ex materia metallari præſertim auro & argento ad publicum Reipublicæ vſum à magiſtratu confecta.*

6 *Vectigal eſt pecunia, quæ nomine vel portus, vel vecturæ, vel venditionis exigitur.*

8 *Vnde etiam triplex conſtituitur: vnum portorium, alterum vectorium, tertium venditorium.*

9 *Tributum eſt pecunia, quæ à populo ratione vel perſonarum, vel facultatum exigitur.*

10 *Vnde etiam duplex in genere conſtituitur, vnum perſonale, alterum reale: quorum illud vulgò capitatio, ſeu tributum capitationis: alterum tributum patrimonii ſeu poſſeſſionis dicitur.*

11 *Vtrumque tam vectigal, quàm tributum aliud eſt ordinarium, aliud extraordinarium.*

12 *Ordinarium eſt, quod ſemper ſuo iuſto tẽpore ſecundum communem Reipublicæ ordinẽ exigitur.*

13 *Extraordinarium eſt, quod non ſemper, ſed in caſu duntaxat neceſſitatis extra ordinem exigitur.*

14 *In exactione autem tam vectigalium, quam tributorum adhibenda eſt magiſtratui partim prudentia, partim iuſtitia, vt ſciat, quando, quantum, quomodo, vnde, & cur exigenda ſint.*

15 *Exactio enim eiuſmodi debet eſſe; iuſta & moderata, & ad nullum alium finem directa, quam ad meliorem & faciliorem Reipub. gubernationem, munitionem & defenſionem.*

16 *Specialis auctio ærarii publici fit vel per elocationem fundorum publicorum, vel per ſoli publici venditionem, vel per bonorum confiſcatio-*

ſcationem, vel alium quendam modum legitimum.

17 *Tantum de auctione legitima ærarii publici. Reſtat recta eiuſdem conſeruatio, quæ conſiſtit partim in cauenda & vitanda iniuſta alienatione bonorum publicorum, partim in prudenti & recta eorundem diſpenſatione.*

1 *An cura ærarij publici pertineat ad magiſtratum?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia ærarium publicum pertinet ad rem populi, quæ altera pars eſt Reipublicæ. 2, quia ſine cura ærarii publici Reſpublica bene adminiſtrari non poteſt. 3, quia ærarium publicum eſt theſaurus ciuitatis & neruus rerum bene gerendarum. 4. quia eſt fulcrum Reipublicæ, aſylum neceſſitatis, ſolatium indigentiæ, inſtrumentum virtutis, ornamentum pacis & ſubſidium belli. 5, quia eſt ſpiritus vitalis, quo totum Reipublicæ corpus vegetatur, & ad res bene gerendas aptum redditur. 6, quia ærarium publicum bene conſtitutum eſt fiducia ciuitatis, & terror hoſtium: male vero conſtitutum eſt terror ciuitatis, & fiducia hoſtium.

Pro theſi affir. Ratio. 1 2 3 4 5 6

Quod autem alii dicunt ærarium publicum eſſe ſpoliarium ciuium, & cruentarum prædarum receptaculum: item eſſe ſimile lieni, quo intumeſcente totum corpus languidum & morboſum redditur: id non ſimpliciter verum eſt, ſed ſecundum quid, nempe de ærario, quod iniuſtis modis locupletatur.

Obiectioni occurritur.

2 *An expediat Reipublicæ theſauros colligere & conſeruare?*

Pro theſi neg. Ratio.

SVnt quidam, qui theſin negantem defen-
1 dunt moti ſequentib. rationibus: 1, quia the-
ſaurorum collectio magiſtratum impellit ad
excogitandos varios modos acquirendi pecu-
2 niam, etiam inhoneſtos & iniuſtos. 2, quia
3 priuatis ſubditorum bonis damnum infert. 3,
quia magiſtratum in odium & inuidiam ſubdi-
4 torum inducit. 4, quia magiſtratum reddit ſe-
5 curum ſibique nimium præfidentem. 5, quia
præeunte habendi cupiditate amicis occaſio-
nem præbet, ſtimulumque addit ad fraudu-
lenter & iniuſtè cum eiusmodi theſauris agen-
di, hoſtibus vero ad inſidias ſtruendum, bel-
lumque mouendum aduerſus Rempub. eam-
6 que opprimendam. 6, quia Deus per Moyſem
prohibuit Deuteron. 27. verſ. 17. *ne Rex habeat auri & argenti immenſa pondera.* Et Lacedæmo-
nes noluerunt pecunias publicas in theſauris
colligere, ne violentiores cuſtodes nocte illas
expilarent.

Pro theſi aff. Argum.

1 Sed in contrariam ſententiam, quæ veritati
magis eſt conſentanea, afferri poſſunt hæc argu-
menta: 1, quia ad benè adminiſtrandam & con-
ſeruandam Rempub. plurimum adiumenti the-
ſaurorum publicorum collectio & conſeruatio
2 affert. 2, quia theſauri publici ſunt quaſi arma à
magiſtratu adhibenda ad excipienda vel excu-
tienda tela mutationum, quę Reipub. imminet.
3 3, quia ſunt velut ancora, qua nauis Reipublicæ
ingruente calamitatum tempeſtate firmatur &
con-

continetur, ne ſeditionum & bellorum procellis opprimatur & obruatur. 4, quia non tantum decus & ornamentum conciliant Reipub. ſed etiam eiusdem autoritatem & amplitudinem augent. 5, quia ſine theſaurorum publicorum collectione & conſeruatione Reſpublica nō eſt ſufficiens ferendis impenſis publicis, quæ ſemper tam ordinariè, quam extraordinariè ſunt magiſtratui faciendæ. 6, quia tempore neceſſitatis Rempub. releuant indictionibus tributorū extraordinariorum, quib. ſubditi grauantur. 7, quia ſicut in corpore humano nerui ſunt prima inſtrumenta ſenſus & motus: Ita in corpore ciuili theſauri publici ſunt prima inſtrumenta actionum ciuilium. 4 5 6 7

3 *An ærarium publicum differat ab ærario Principis?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia ærarium publicum eſt Reipublicæ proprium: Principis vero ærarium eſt priuatum & pertinet ad ipſum, quatenus eſt priuata perſona ſeu Oeconomus. 2, quia ærarium publicum, conſtituitur publicæ vtilitatis gratia. Principis vero ærarium priuatæ vtilitatis gratia. 3, quia Princeps in ærarium ſuum plenariam habet poteſtatem, idque alienare poteſt: At in publicum ærarium non habet plenariam poteſtatem, neque illud alienare poteſt. 4, quia ex ærario publico ſumuntur ſumptus ad publica Reipublicæ negotia expedienda. Ex ærario autem Principis non itidem. *Pro theſi aff. Ratio.* 1 2 3 4

4 *An liceat magiſtratui Politico tributa exigere à ſuis ſubditis?*

Pro theſi affir. Argum. PRo theſi affirmante faciunt hæc argumenta: 1, quia tributa nihil aliud ſunt, quam ſubſidia bene adminiſtrandi Rempub. à populo magiſtratui conferenda. 2, quia tributa publicis neceſſitatibus, adeoq; ſubditorum vtilitatibus inſeruiunt. 3, quia faciunt ad augendum ærarium publicum, cuius cura pertinet ad magiſtratum Politicum. 4, quia ſunt præmia virtutis, quam magiſtratus in rectè gubernanda Repub. adhibet. 5, quia iuri diuino & humano conſentanea eſt tributorum exactio.

Pro theſi neg. Argum. At contra pro theſi negante afferuntur hæc argumenta: 1, quia tributa ſunt ſpolia & quaſi carnificinæ ſubditorum. 2, quia pugnant cum fine magiſtratus Politici, qui eſt procurare cōmune omnium ſubditorum commodum. 3, quia magiſtratum in odium & inuidiam ſubditorum, adeoque tyrannidis ſuſpicionem inducunt. 4, quia tyrannorum proprium eſt tributis vexare & exhaurire ſuos ſubditos. Vnde etiā non immeritò vocantur hirudines populi, vaſtatores terræ, lupi rapaces, homicidæ pauperū, harpyiæ diuitum, inſtrumenta dæmonum, flagella Dei, mancipia auaritiæ.

Quæſtio deciditur per diſtinct. Pro deciſione quæſtionis ſciendum eſt exactionem tributorum, aliam eſſe moderatam, aliam immoderatam: aliam iuſtam, aliam iniuſtam. Ac priorem quidem licitam eſſe magiſtratui Politico: poſteriorem autem minime. Quod ſi quæratur, quænam tributorū exactio ſit

ſit moderata, & iuſta, quæ immoderata & iniuſta? Reſpondeo illam eſſe moderatam & iuſtam, quæ obſeruat omnes circumſtantias, quibus virtutis medium à recta ratione eſt circumſcriptum. Illa autem exigit, vt magiſtratus Politicus tributum à ſubditis exigat, quando, quãtum, quomodo, vnde & cur decet: Immoderatam vero & iniuſtam, quæ eius circumſtantias violat & tranſgreditur. *Quæ exactio ſit moderata.* *Quæ immoderata.*

5 An liceat magiſtratui Politico extraordinariè interdum tributa à ſubditis exigere?

PRo theſi negante faciunt hæc argumenta: 1, quia magiſtratus debet eſſe contentus ordinariis tributis, omneſq; modos acquirendæ pecuniæ fugere, quibus miſera plebecula oneratur & exhauritur. 2, quia magiſtratus imitari debet bonum paſtorem, qui ſolet tondere pecus, non deglubere. 3, quia magiſtratus ſubditis, tanquam caput corpori prædere debet. Sicut igitur caput à membris nihil ſubſidii extraordinarii exigit: Ita etiam magiſtratus à ſubditis extraordinaria tributa exigere non debet. 4, quia turpe & iniquum eſt magiſtratum ex populi lacrumis impingueſcere. 5, quia contra officium magiſtratus eſt, eum ſubditos opprimere tributis, quorum bona ex officii ratione defendere ac promouere debet. 6, quia cauendum eſt magiſtratui, ne rem ſubditorum cum puluiſculo auferat, neue pennas eorum ita præcidat, ne renaſcantur: neue ita emungat ſubditos, vt ſanguinem eliciat. Hinc Alexander Magnus cum quidam ipſum admoneret, longè plus ve- *Pro theſi neg. Argum.* 1 2 3 4 5 6

ctigalium auferri poſſe, reſpondit: *καὶ κηπουρὸν μισῶ τὸν ἐκ ῥιζῶν ἐκτέμνοντα τὰ λάχανα, Et olitorem odi, qui radicitus exſcindit olera.*

Quæſtio deciditur per diſtinct.

Cæterum licet ſententia negatiua, quæſtionis propoſitæ ſit vera, quando ordinarii reditus ſunt ſufficientes ad expedienda Reipub. negotia, & nulla euidens neceſſitas & vtilitas publica contrarium ſuadet: tamen interdum ob grauiſſimas cauſas, quas recta ratio, adeoque euidens neceſſitas ſuggerit, licet magiſtratui Politico extraordinaria interdum tributa à ſubditis exigere. Sed diligenter cauendum ipſi eſt: 1, ne tributa illa ſint nimis grandia, & ad vexandum, onerandum ac exhauriendum ſupra modum ſubditos accommodata. 2, ne ſint ſordida & indigna magiſtratu. Turpe enim eſt lucrum ex omni occaſione odorari, & vt in Prouerbio eſt, *vel à mortuis auferre.* 3, ne ſint nimis frequentia. 4, vt æqualiter imponantur ſubditis ſine odii, aut gratiæ reſpectu. 5, vt non ſuum proprium & priuatum, ſed publicum commodum quærere videatur. 6, vt non per crudeles, violentos, rapaces, & auaros, ſed probos, humanos & iuſtitiæ amantes miniſtros id peragat.

Quæ cauẽda in extraordinaria exactione tributorum.

1
2
3
4
5
6

6 *An à quolibet, & ex qualibet re liceat magiſtratui tributum exigere?*

Pro theſi neg. Ratio.

STatuitur theſis negatiua. Rationes ſunt: 1, quia tributum non poteſt iure exigi niſi à ſubditis: cum ſit ſignum ſubiectionis. 2, quia ſubditorum quidam ſunt priuilegiatæ perſonæ, adeoque immunes ab eiuſmodi oneribus ciuilibus.

1
2

libus. Ideoque ab illis iure exigi non poteſt tributum. 3, quia turpe eſt & indignum magiſtratui ex qualibet re vel minima, vel etiam inhoneſta & vetita tributum exigere. v.g. ex lenociniis & lupanaribus conceſſis, & id genus aliis. 4, quia eſt ſignum magnæ auaritiæ crudelitatis & impudentiæ à quolibet & ex quauis re tributum exigere. Proinde conſiderandum diligenter eſt magiſtratui Politico, à quo, & ex qua re tributum iure ſit exigendum. 3 4

7 *An magiſtratui Politico liceat tributum ab Eccleſiaſticis perſonis & rebus exigere?*

HÆc quæſtio prolixè tractatur à Petro Gregorio lib.3. de Repub. cap.7. Nos breuitati ſtudentes argumenta in vtramque partem in medium afferemus. Ac pro theſi quidem negante adduci ſolent hæc argumenta: 1, quia Eccleſiaſticæ perſonæ ſunt DEO conſecratæ honorandæ, & à nemine grauandæ. 2, quia magiſtratus cum ſit Laicus & ſecularis nullam poteſtatem habet in perſonas Eccleſiaſticas: Ideoque nec illis legem ferre, nec diſponere poteſt. 3, quia perſonæ & res Eccleſiaſticæ ſunt iure diuino & humano priuilegiatæ ab omnibus oneribus ciuilibus tam pœnalibus, quam realibus. 4, quia leges & conſtitutiones Regum, Imperatorum & aliorum Principum ſunt poſtponendæ legibus & conſtitutionibus Eccleſiaſticis, in his *Pro theſi neg. Argum.* 1 2 3 4

maximè, quæ ad res & perſonas Eccleſiaſticas pertinent. 5, quia Eccleſiaſticæ perſonæ ſubeunt onera ſpiritualia: Ideoq; onera temporalia non ſunt iis imponenda: ne contra æquitatem duplici onerum genere, nempe corporali & ſpirituali onerentur. 6, quia quod Deo dicatũ eſt, non eſt ad vſus humanos transferendum, ſiue de perſonis, ſiue de rebus Eccleſiaſticis agamus. Idcirco lex Dei Deuteron. 27. v. 28. ait: *Omne quod Deo conſecratur, ſiue homo fuerit, ſiue animal ſiue ager, ne venditor, neque redimitor, quicquid ſemel fuerit conſecratum, ſanctum erit Domino.* 7, quia bona Eccleſiaſtica deſtinata ſunt publico vſui ſpirituali: Ideoq; ad vſus ciuiles & profanos non ſunt transferenda. 8, quia perſonæ Eccleſiaſticæ non ſunt ſubditæ poteſtati temporali: ſed ſummo duntaxat Pontifici, & ab eo commiſſis Epiſcopis ac præpoſitis. Ideoq; tributum, quod eſt ſignum ſubiectionis, ab iis exigi non poteſt. 9, quia bona Eccleſiaſtica ſua habent onera, à quibus Laicorum bona ſunt exẽpta: Ideoq; à Laicorum etiam oneribus debent eximi.

Pro theſi affir. Argum. At contra pro theſi affirmante afferri ſolent hæc argumenta: 1, quia Eccleſiaſticæ perſonæ ſunt membra eiuſdem Reipublicæ. Ideoq; non minus ac Laici magiſtratui Politico ſubiectæ ſunt iuxta illud Pauli. *Omnis anima poteſtatibus eminentibus ſubiecta eſto.* 2, quia commodorum publicorum, præſertim pacis & tranquillitatis ciuilis non minus, ac Laici ſunt participes. Ideoque æquitas ipſa poſtulat, vt onera & incommoda cum iiſdem portent iuxta illud: *Qui ſentit*

com-

commodum ſentiat etiam onus ſeu incommodum: Nec ferendus is, qui lucrum quidem amplectitur onus autẽ ſubire recuſat. 3, quia ex lege charitatis Chriſtianæ perſonæ Eccleſiaſticæ obligatæ ſunt ad ſubueniendum Laicorum neceſſitatibus, non tantum opera, ſed etiam facultatibus ſuis: præſertim ſi videant facultates eorum eſſe exhauſtas. 4. quia Eccleſiaſticæ perſonæ imitari debent exemplum Chriſti, qui ad vitandum ſcandalum tributum magiſtratui Politico ſoluit. Hinc Ambroſius rectè ait: *Si cenſum filius Dei ſoluit, quis tu tantus es, qui non putes eſſe ſoluendum.* 5, quia bona Eccleſiaſtica deſtinata ſunt ad redimendum oppreſſos & captiuos, iuuandumq; pauperes. Ergò multo magis ad defendendum Patriam & Rempub. ex cuius defenſione præcauetur, ne captiui & pauperes fiant. Satius enim eſt damnum præuenire, quam poſt vulnus acceptum remedium quærere. 6, quia in caſu neceſſitatis vrgentis, quæ legem excludit, non tantum licitum eſt magiſtratui Politico perſonis & rebus Eccleſiaſticis contributiones imponere: ſed etiam bona Eccleſiaſtica ad ciuiles & profanos vſus transferre: quemadmodum teſtatur exẽplum partim Dauidis, qui panes propoſitionis comedit cum ſuis ſociis ad ſedandam famem, partim Ioæ & Ezechiæ regum Iſraelis, qui omne argentum in templo Dei repertum abſtulerunt & Regi Hazaeli ac Senacheribo dederunt. 7, quia iniquum eſt nihil contribuere perſonas Eccleſiaſticas ad illa negotia ſuſcipienda, quæ pertinent ad communẽ defenſionem Patriæ, aut Reipub. conſeruatio-

nem; & per conſequens ad vtilitatem ipſarum propriam.

8 *An liceat magiſtratui Politico per mercaturam bona publica & priuata augere?*

Pro theſi neg. Ratio. PRo theſi negante faciunt ſequentes rationes: 1, quia mercatura obſcurat dignitatem & autoritatem magiſtratus Politici: ſiquidem abſurdum & indignum illo videtur ex lucro negotiationis ditari. 2, quia mercatura magiſtratus Politici ſubditorum commercia impedit aut difficiliora reddit: & ſic eos ad inopiam redigit. 3, quia mercatura eſt adminiſtra auaritiæ & iniuſtitiæ, quæ à magiſtratu Politico procul abeſſe debent. 4, quia mercatura totum hominem exigit: Ideoq; efficit, vt magiſtratus Politicus negotiationibus occupatus officii ſui obliuiſcatur: aut ſaltem in eo exequendo ſit negligentior. 5, quia vix probus homo eſt diues mercator: & princeps lucrandi artificio aſſuetus vix abſtinet, quin etiam in rebus Reipublicæ negocietur & quæſtum aucupetur.

Pro theſi affir. Argum. At pro theſi affirmante adduci poſſunt hæc argumenta: 1, quia mercatura legitimè exercita eſt medium licitum acquirendi pecuniam. 2, quia neceſſaria ſubſidia adminiſtrandi Rempub. magiſtratui Politico ſuppeditat, adeoque neruos Reipub. iuuat qui ex pecunia conſtant. 3, quia tributorum exactionibus ſubditos releuat, quatenus ærarium publicum Principis auget. 4, quia melius eſt negotiari, quam prædari, aut immodicis tributorum exactionibus ſubditos tyrannicè opprimere. 5, quia non iniquum

quum videtur Principem pecunias publicas, vel etiam priuatus Mercatoribus induſtriis dare eo fine, vt ipſe inde ſuam & publicam vtilitatem augeat: præſertim ſi id faciat non ad auaritiam ſatiandam, ſed ad iuuandam Rempub. 6, quia per mercaturam pom œria imperii finesque Reipublicæ extenduntur: quatenus in nouarum terrarum & regionum noticiam magiſtratum inducit. Pro deciſione quæſtionis diſtinguendum eſt inter mercaturam, quæ circa res magnas & ſplendidas verſatur, honeſtisque ac iuſtis modis exercetur: & quæ circa minutas & paruas verſatur, inhoneſtisq; ac iniuſtis modis exercetur. Prior non videtur à magiſtratu Politico eſſe aliena: poſterior autem omnino. 6 *Quæſtio deciditur per diſtinct.*

9 *An liceat Magiſtratui Politico pro libitu bona publica alienare, aut diſſipare?*

STatuitur theſis negatiua. Rationes ſunt: 1, quia magiſtratus Politicus non ius proprietatis habet in bona publica: ſed tantum ius vtendi fruendi. 2, quia Reipublicæ patrimonium cenſetur perpetuum, non minus ac ipſius corpus. 3, quia bona publica inter res ſanctas numerantur. Idcircò etiam à magiſtratu Politico violari non debent. 4, quia bona publica, quæ committuntur fidei & cuſtodiæ Principis, reſtitutioni ſunt ſubiecta. Ideoq; alienari nõ poſſunt. 5, quia bona Reipublicæ Principi data ſunt ꝑ dote. Ergo ſicut dos à marito alienari nõ *Pro theſine, Ratio.* 1 2 3 4 5

poteſt: Ita neq; à Principe bona Reipublicæ.
6 6, quia magiſtratus Politicus iuramento obſtrictus tenetur de non alienandis, ſed augendis
7 Reipublicæ bonis. 7, quia in diſpenſandis bonis publicis magiſtratus vitare debet ſumptus ſuperuacaneos & inutiles, omnemque luxum, profuſionem & largitionem immodicam: contra vero frugalitatem & parſimoniam colere.

10 *An poteſtas cudendi & æſtimandi monetam ſit penes magiſtratum: & quomodo illa recte ſit exercenda?*

Pro theſi affir. Ratio. IN priore parte quæſtionis ſtatuitur theſis affirmatiua, quatenus de magiſtratu ſupremo
1 intelligatur. Rationes ſunt: 1, quia poteſtas cudendi & æſtimandi monetam numeratur inter iura maieſtatis. Hæc autem ſoli magiſtratui ſu-
2 premo per ſe competit. 2, quia moneta inter ea quæ ad rem populi pertinet, non infimum locum tenet. Ergo eius cura habenda eſt magiſtratui. Id autem fieri non poteſt, niſi poteſtas cudendi & æſtimandi monetam ſit penes ma-
3 giſtratum. 3, quia eiuſdem eſt leges condere & monetæ pretium, pondus & figuram præſcribe-
4 re. 4, quia nulli ſubditorum competit ius cudendæ & æſtimandæ monetæ: nec ſine magnis
Quomodo poteſtas illa à Magiſtratu ſit exercẽda. Reipublicæ incommodis iis permitti poteſt. Ita autem poteſtas illa à magiſtratu eſt exercenda vt: 1, materiam certam monetæ eligat cum cer-
1 to pondere. 2, vt poteſtatem miſcendi mate-
2 riam metallicam monetæ nemini concedat niſi
3 iurato & eius rei perito. 3, vt charactere certo
4 inſigniri & notari curet monetam. 4, vt inter-
dum

dum monetam probari curet, vtrum ſit vera an adulterina. 5, vt valorem monetæ iniungat & pro circumſtantia temporis interdum eundem mutet: ſed ita vt non ad priuatum aliquod lucrum, ſed ſolummodo ad ſalutem & neceſſitatem Reipublicæ mutatio illa valoris referatur. 6, vt monetæ adulteratores & corruptores grauiſſimè puniat.

CAPVT IX.

De cura commerciorum & confœderationis.

PRÆCEPTA.

1 *Fuit cura ærarii publici. Sequitur cura commerciorum & confœderationis, quæ ad Rempublicam conſeruandam & benè adminiſtrandum eſt neceſſaria.*

2 *Sunt autem commercia negotiationes, quas ciues inter ſe, aut cum peregrinis exercent mercium commutandarum gratia.*

3 *In illis conſideranda ſunt duo potiſſimum; cauſa & ſubiectum.*

4 *Cauſa commerciorum alia eſt efficiens, alia finis.*

5 *Efficiens alia eſt principalis, alia minus principalis.*

6 *Principalis partim eſt libera commeandi contrahendique facultas à magiſtratu iis con-*

ceſſa, qui merces ultro citroq; conuehunt: partim iuſtitia commutatiua.

7 *Minus principalis partim eſt impulſiua, partim inſtrumentalis.*

8 *Impulſiua partim eſt neceſſitas partim utilitas commerciorum.*

9 *Inſtrumentalis eſt partim mutua obligatio contrahentium, partim numus ſeu pecunia.*

10 *Finis commerciorum eſt rerum neceſſariarum in Rempublicam importatio, & ſuperfluarum exportatio, adeoq; indigentiæ humanæ expletio.*

11 *Subiectum commerciorum aliud eſt recipiens, aliud occupans.*

12 *Subiectum recipiens ſunt mercatores partim domeſtici, partim peregrini.*

13 *Subiectum occupans ſunt omnis generis merces, quas ciues inter ſe, vel cum peregrinis commutare ſolent.*

14 *Confœderatio eſt pactio, quam populus unius Reipublicæ cum alio vel vicino, vel peregrino ſocietatis & mutui auxilii gratia inire ſolet.*

I *An cura commerciorum pertineat ad magiſtratum Politicum?*

Pro theſi aff. Ratio. 1 STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia commercia ſunt negotiationes quas ciues

tes inter ſe vel cum peregrinis exercent merciũ commutandarum gratia. 2, quia ſocietas ciuilis 2 duobus videtur conſtare commercio & imperio, teſte Petro Gregorio lib. 3. de Repub. cap. 7. & Lipſio lib. 2: ciuilis doctrinæ cap. 1. 3, quia cõmercia ſunt neceſſaria & vtilia Reipublicæ: quatenus per ea quæ ſuperflua ſunt, exportantur, & quæ deſiderantur, importantur. 4, quia niſi cura 4 commerciorum ſuſciperetur à magiſtratu Politico, neceſſe eſſet illam iniuſtitia & decipiendi libidine opprimi: & ſic Reipublicæ ſtatum aut penitus euerti, aut ſaltem grauiter labefactari. 5, 5 quia ſicut corpus humanum ſine mutua officiorum communicatione à membris facta ſaluum & incolume eſſe non poteſt: ita neq; corpus ciuile ſine commerciis. 6, quia commercia iure 6 gentium & ciuili ſunt introducta ad ſalutem Reipub.

2. An mercatoribus libera negotiandi facultas in Republica ſit concedenda?

Statuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, *Pro theſi affir. Ratio.* quia mercatores rerum commutationem promouent, ac indigentiam eorum, quibus o- 1 pus habet ſocietas ciuilis ſupplent. Ideoq; neceſſarii & vtiles ſunt Reipublicæ. 2, quia mer- 2 catores in Reipublicæ corpore, ſunt veluti pedes, quibus exportantur ſuperflua & importantur neceſſaria. 3, quia vnicuiq; homini licitum 3 eſt lucrum tanquam ſtipendium ſui laboris & induſtriæ honeſtè & iuſtè quærere. 4, quia ſi- 4 ne mercatoribus liberaque negotiandi facultate commercia ciuilia neque inſtitui, neque conſeruari poſſunt.

Pro theſi neg. Argum. At pro theſi negante adduci ſolent hæc argumenta: 1, quia mercatores ſunt homines auari, lucriq; cupidi. 2, quia ſunt iniuſti & ad mentiendum, peierandum circumueniendum & decipiendum alios propenſi. 3, quia aliorum ciuium facultates per fas & nefas ad ſe attrahũt. 4, quia gulæ, Venerisq; irritamenta ab extremis vſque Oceani, partibus vndiq; ſolent in Remp. comportare. 5, quia ſunt voraces quaſi corui in Repub. & quaſi lupi inſatiabiles. 6, quia vt Chryſoſtomus ait ſuper Matthæum, *Dominus eiiciens vendentes & ementes de templo ſignificauit, quod mercator nunquam poteſt Deo placere: Et ideo nullus Chriſtianus debet eſſe mercator, aut ſi voluerit eſſe, proiiciatur de Eccleſiâ.*

Quæſtio deciditur per diſtinct. Pro ſolutione horum argumentorum diſtinguendum eſt: 1, inter vſum Mercaturæ & eiuſdem abuſum. 2, inter mercatores, quatenus ſunt viri boni; & quatenus ſunt viri improbi. 3, inter lucrum honeſtum & turpe: quorum illud licitis modis quæritur & ordinatur, vel ad domus ſuſtentationem, vel ad ſubueniendum indigentibus, vel ad publicam Reipublicæ vtilitatem: hoc verò illicitis modis quæritur & ordinatur ad explendam auaritiam & habendi libidinem.

3 *An commutatio rerum in Republica ſit neceſſaria?*

Pro theſi affir. Ratio. STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia ipſa Naturæ neceſſitas rerum commutationem exigit: cum non omnia quouis in loco creſcant & inueniantur. 2, quia commutatio re-

tio rerum multum confert ad explendam indigentiam rerum ad ciuilem & priuatum vſum neceſſariarũ. 3, quia ſine illa Reſpublica non poteſt omni ex parte eſſe beata. 4, quia propterea numus eſt inuentus, vt ſit partim menſura rerũ commutandarum: partim benè peragendi rerum commutationem medium & inſtrumentũ. 3 4

Notandum autem eiusmodi rerum commutationem in Repub. eatenus eſſe neceſſariam, quatenus honeſtis & licitis modis perficitur. Alias enim tantum abeſt, vt ſit neceſſaria, vt etiam omninò non ſit permittenda. *Obſeruatiò.*

4 *An taxatio rerum commutandarum Mercatorum arbitrio ſit permittenda?*

STatuitur theſis negatiuà. Rationes ſunt: 1, quia mercatores ſunt auari plerunq;, φιλοκερδεῖς & fallaces. 2, quia plerunq; tantum petunt ac accipiunt pretium pro ſuis rebus, quantum ab ementibus extorquere poſſunt, nullo habito reſpectu ad leges iuſtitiæ commutatiuæ. 3, quia legitima pretiorum in commutandis rebus taxatio pro menſura habere debet partim indigẽtiam & neceſſitatem rerum commutandarum, partim ipſam iuſtitiam commutatiuam. Illa enim quo maior eſt, vel minor, eo pretium maius vel minus conſtituit: hæc verò æſtimationẽ rerum intra mediocritatis terminos à recta ratione præſcriptos continet: dum partim copiã & inopiam rerum commutandarum, partim negotiationis laborem & curam aliasque circumſtantias bene ponderat & examinat. *Pro theſin neg. Ratio.* 1 2 3

Ee

5 An monopolia in Republica ſint concedenda?

Pro theſi neg. Ratio.

STatuitur theſis negatiua. Rationes ſunt: 1, quia magna eſt in Republica tyrannis rerum
1 ad vitã ſuſtentãdam neceſſariarũ vſum à paucorũ nutu &arbitrio pẽdere.
2 2,quia monopolia o-
3 mniũ rerum caritatem in ciuitatẽ introducunt. 3,quia vias comparandi neceſſaria vitæ ſubſidia
4 aliis ciuibus intercludũt. 4,quia faciunt,vt pauci in Repub. diteſcant & multi ad inopiam re-
5 digantur. 5,quia anſam præbent hominibus ad
6 auaritiam, iniuſtitiam & ferociam. 6, quia non tantum pugnant cum lege charitatis Chriſtianæ erga proximum exercendæ: ſed etiam cum iure ciuili,quod eodem modo iubet monopolia punire, quo furta publica, ſiue exilio, ſiue bonorum publicatione, vt videre eſt lib. 4. codic. tit. 59.

6 An vſura in Republica bene conſtituta ſint ferenda & permittenda?

Pro theſi neg. Argum.

PRo theſi negantẽ adduci ſolent hæc argumenta: 1, quia vſura qua numus ex numo ac-
1 quiritur lege diuina eſt prohibita tam in veteri
2 quam in nouo teſtamento. 2,quia legi humanæ
3 aduerſatur, quæ vſurarios punire iubet: 3, quia vſura pugnat, cum natura & fine numi qui primitus inuentus fuit, vt ſit medium & organum iuſtitiæ commutatiuæ, menſuraq; rerum commutandarum: non autem vt ſit organum &
4 medium lucrandi. 4, quia abſurdum eſt idem ſeipſum parere. Id autem fit in vſura, vbi numus ex ſe numum parit. Vnde etiam Græcè

dicitur

dicitur τόκος. 5, quia prauo hominum inſtituto 5
introducta eſt qui ex erroris opinione veras diuitias in pecuniæ multitudine & abundantia ſitas eſſe putarunt: & propterea ſe felices iudicarunt ſi numis numos cumulare poſſint. 6; 6.
quia vſuræ noxiæ & damnoſæ ſunt Reipublicæ, quatenus per eas ciues ſeſe mutuo exugunt & bona domeſtica tenuiorum exhauriuntur. Vnde etiam vſura comparari ſolet latroni, morſui aſpidis, teredini, igni & ſimilibus rebus nocentibus. Et in Hebraica lingua dicitur Neſchech à Naſchach momordit: quia proximi facultates mordicus attenuat. 7, quia contra na- 7
turam mutui eſt vſuram capere earum rerum, quæ vſu ipſo abſumuntur vt patet ex lib.3. inſtit. tit. 5.

At contra pro theſi affirmante, afferuntur *Pro theſi af-*
hæc argumenta: 1, quia vſuræ non ſimpliciter *fir. Argum.*
lege diuina & humana prohibentur, ſed tan- 1
tum ſecundum quid, quatenus ſunt immoderatæ & iniuſtæ. De quibus etiam loquitur Poeta Heſiodus libro 1. operum & dierum cum fratrem ſuum Perſam hoc modo hortatur:

Μὴ κακὰ κερδαίνειν· κακὰ κέρδεα ἶσ' ἄτῃσιν.
Ne male lucreris: mala lucra æqualia damnis.

2, quia ipſa æquitas poſtulat vt is, qui vſum nu- 2
morum ſuorum alteri, concedit ad tempus, eoque ſeipſum priuat, compenſationem aliquam ab illo percipiat. 3, quia ſine vſura mu- 3
tua inter homines bonorum communicatio & mutuatio diu conſiſtere non poſſet. Semper

enim dantis deterior eſſet conditio quam accipientis.
4 pientis. 4, quia quicquid fit citra fraudem & damnum proximi, neq; pugnat cum lege charitatis Chriſtianæ id in Republica bene conſtituta non eſt illicitum. Tales autem ſunt vſuræ moderatæ.

Quæſtio deciditur per diſtinct. Vt igitur quæſtio decidatur breuiter, diſtinguendum eſt inter vſuras moderatas & iuſtas, ac inter immoderatas ac iniuſtas. Illæ ſunt quæ modum iuſtitiæ commutatiuæ non excedunt, neq; fiunt cum fraude & damno proximi neq; à quibuslibet ſine diſcrimine neque pro quauis ſorte vel minima, neq; quouis loco & tempore exiguntur & ſumuntur. Hæ ſunt quæ contrario modo ſe habent. De prioribus, vera eſt theſis affirmatiua: De poſterioribus, negatiua. Plura de hac quæſtione vide in Oeconomica mea.

7 *An Reipublicæ expediat fœdera cum aliis inire?*

Pro theſi neg. Argum. PRo theſi negante faciunt hæc argumenta: 1, quia inter plures principes confœderatos,
1 qui ſe pares exiſtimant, facilè oriuntur ſuſpiciones & controuerſiæ. Vnde fit vt res magnæ ſpe incerta in difficultates multas incidant & tandē
2 euaneſcant. 2, quia nouarum rerum molitionibus ſtudent confœderati propter vel metum potentiæ vicinorum, vel emolumenti ac commodi ſpem quibus nolentes volentes confœde-
3 rati implicantur. 3, quia opes Rerumpublicarū, præſertim tenuiorum per confœderationem exhauriuntur: quatenus fœdera magnis ſumptibus ineuntur & non minoribus aluntur ac
4 conſeruantur. 4, quia non ſemper tutum eſt confœderatis prę́ſertim potentioribus credere:

&

& non raro illi qui his nimium credunt, ſe ſuosque perdunt. Hinc Athenienſes ſociale fœdus in patrocinium; poſt in dominatum mutarunt. Et apud Romanos ſub prætextu fœderis multi ſeruitutem paſſi ſunt. 5, quia per fœdera facile magiſtratus fit particeps alienorum peccatorũ & pœnarum. 6, quia nulla ſocietas fœderum eſt diuturna; multa ſiquidem incidunt, quibus illa dirimitur, & conuertitur in hoſtiles inimicitias. Et ſæpe Deus ſinit accidere, vt confœderati ex amicis fiant hoſtes: vt ita auocet homines ab impia fiducia fœderum & aliorum præſidiorum humanorum. 7, quia multi fiducia fœderum moliuntur non mandata ſed prohibita: facileq; patiuntur ſe ad conſilia impelli non neceſſaria aut violenta. 8, quia *optimum & firmiſſimum fœdus eſt* vt ait Socrates, *iuſta facere*. Talibus enim confœderatus eſt Deus ipſe. 9, quia quoties illi, qui fœdere coniuncti ſunt, ſeceſſionem faciunt & ſe diſſipari patiuntur: dubitari amplius non debet, quin paulatim omnes cladem aliquam accipiant. Hinc Alciatus fœdera Principum confert teſtudini; in qua cum vna ſolummodo chorda diſcrepare incipit, tota harmonia turbatur. 10, quia fœdera fiducia humanorum præſidiorum reddunt homines elatiores & inſolentiores.

Contra vero pro theſi affirmante adduci poſſunt hæc argumenta: 1, quia ad bellum feliciter gerendum confœderationes ſunt neceſſariæ. 2, quia potentiam & gloriam Rerumpub. confœderatarum augent. Hinc rectè Thucydides lib. 1. in Corcyræorum oratione ait, *Com-* *Pro theſi affir. Argum.*

munibus, iiſq; potentibus hoſtibus nulla ratione commodiori, quam ſocietatibus & fœderibus occurri poteſt. 3, quia Natura ipſa ſocietates & auxilia cõmunia conquirere videtur: quandoquidem ipſi homini duas manus, duas aures, duos oculos tribuit: vt robuſtius peragere tur officium, quod duorum ſocietate complendum fuit. 4, quia fiducia propriarum virium eſt inſolens & infelix.

Quæſtio deciditur. Pro deciſione quæſtionis ſciendum eſt, fœdera cum aliis non temere ſed cautè, non ſubitò, ſed tardè, neq; cum quibuslibet, eſſe ineunda, ſi Reipublicæ debent eſſe ſalutaria. Inprimis verò in iis faciendis ſpectandum eſſe, partim cauſæ qualitatem, ob quam fœdus petitur: & partim eius cum quo fœdus eſt ineundum potentiam, vicinitatem & morum qualitatem. Non enim ob cauſam iniuſtam & impiam fœdus cum aliis eſt faciendum, neq; cum impotẽtibus, ne in parietem caducum inclinare videamur: neq; cum leuibus, inconſtantibus & ventoſis hominibus, neq; cum nimis potentibus: ne inde fiat Leonina ſocietas qua commodum omne ad vnum aliquem redit: reliqui vero ſocii & confœderati interim fraudantur, & non lucrum, ſed damnum ſentiunt: neque denique cum iis qui nimis à Repub. noſtra ſunt remoti. Secundum enim Prouerbium, *procul qui habitant amici non amici.*

8 *An liceat Chriſtianis fœdus inire cum impijs & infidelibus?*

PRò theſi affirmante militant hæc argumenta: 1, quia Deus ipſe in puniendis impiis & impœnitentibus hominibus ſæpè vtitur opera & miniſterio non tantum impiorum & infidelium hominum ſed etiam cacodæmonum, quibus nulli ſunt pernitioſiores religionis Chriſtianæ hoſtes. Hinc Cyro rege Perſarum eiuſque exercitu, tanquam inſtrumento vſus eſt ad cōprimendam impietatem Iudæorum & aliarum nationum. 2, quia Chriſtianis licitum eſt non tantum in eadem Republica ciuilem vitam agere cum impiis & infidelibus: ſed etiam commercia cum iiſdem in exteris locis habitantibus exercere. Nihil igitur obſtat quo minus etiam iiſdem liceat ob cauſam aliquā Politicam eamque grauem fœdus aliquod ciuile cum iiſdem inire. 3, quia in hiſtoria ſacra & profana paſſim exempla occurrunt piorum hominum qui cum infidelibus fœdus inierunt. Abrahām enim cum Rege Palæſtinorum Abimelecho fœdus iniuit; tametſi ille vt quidam volunt, fuerit Ethnicus Geneſ. 22. Ioſua nomine populi Dei cum Gabaonitis idololatris ſocietatem contraxit, eorumq; miniſterio vſus Ioſuæ 9. Aſa rex Iudæ, cuius perfectum fuit cor coram Domino cunctis dieb⁹ vitæ eius, vſus eſt auxilio & fœdere regis pagani Benadad regis Syriæ contra regem Baaſā regem Iſrael lib. 3. Reg.

Pro theſi affir. Argum. 1

2

3

cap. 15. Dauid cum Ieremo Tyri rege fœdus iniuit 2. Reg. 5. Salomon cum Pharaone 3. Reg. 3. Iudas Machabæus, quo nullus maiori zelo pro lege Domini pugnauit, cum Romanis Ethnicis 1. Machab. 8. Simon Sacerdos ſummus & dux in Iſrael, cum Spartanis & Romanis 1. Machab. 14. Item cum Antiocho filio Demetrii Regis. Conſtantinus, qui ob ſingularem religionis fidem & geſtorum magnitudinem verè cognominatus eſt magnus, potiſſimo exercitu, eoque robuſtiore Gothorum, qui tum erant Idololatræ vſus eſt. Iuſtinianus vel eius dux Narſetes contra Sarracenos ab Imperatore Scytha auxilia petiit & triginta millia Tartarorum equitum impetrauit. Multi alii etiam Imperatores copiis auxiliaribus Turcarum & Sarracenorum vſi ſunt quoties eos neceſſitas & hoſtis oppugnantis crudelitas ac ambitio coegit hac ratione ſtatum Reipublicæ fortius & ſecurius defendere.

Pro theſi neg. Argum. At contra pro theſi negante afferuntur hæc argumenta: 1, quia Chriſtiani cum infidelibus
1 non debent idem iugum trahere vt monet Paulus
2 2. ad Corinth. 6. 2, quia fœdera cum impiis inita, plerunq; oriuntur ex diffidentia recedente à Deo & conuertente ſe ad hominum auxilia
3 & præſidia, 3, quia Deus fœdera cum impiis inita per Prophetas ſuos improbat tanquam ſibi inviſa.
4 4, quia eiuſmodi fœdera plerunq; habent
5 exitus parum fauſtos & ſecundos. 5, quia politiam & religionem ipſam infidelium inſidiis &
6 doloſis machinationibus obiiciunt. 6, quia ſubditis occaſionem præbent ad idololatriam confœde-

fœderatorum, quibus cum conuerſantur, amplectendam & ſectandam. Idcircò rectè ait Æſchylus: *In omni negotio, nullum eſt praua ſocietate maius malum.*

Quæſtio deciditur. Pro deciſione quæſtionis notandum eſt, licere Chriſtianis cum impiis & infidelibus interdum fœdus inire; ſed non niſi cum maxima cautione; nempe 1, vt finis illorum fœderum nullus alius ſit quam pax & tranquillitas Reipublicæ eiuſq; ſalus, quæ ſuprema lex eſt. 2, vt ſumma Reipublicæ neceſſitas ea exigat, nec alia ratio euadendi hoſtium crudelitatem, patriæque oppreſſionem declinandi appareat. 3, vt nihil in iis contra fidem & conſcientiam committatur.

9 *Vtrum melius ſit cum Rebuſpublicis an cum Principibus ipſis fœdus inire?*

Pro Rebuſpu. Argum. PRo priore parte quæſtionis faciunt hæc argumenta; 1, quia Reſpublica in ſanciendis fœderibus eſt cautior & prudentior, & in ſeruandis firmior & conſtantior quam Princeps. 2, quia confœderationem non ad priuatam vtilitatem, ſed ad publicum bonum dirigit. 3, quia fœdera cum Principibus inita horum morte finiuntur & irrita fiunt: Id autem in fœderibus cum Rebuſpublicis ſancitis non accidit: cum illæ ſint immortales.

Pro Principib. Argum. Pro poſteriore parte quæſtionis hæc argumenta afferuntur: 1, quia Princeps eſt caput Reipublicæ, & ab eius nutu ac regimine totum illius corpus pendet. 2, quia Princeps potiorem habet rationem ſuæ dignitatis ac exiſtimationis, quam populus. Ideoq; etiam magis cauet, ne in

3 perfidiæ ſuſpicionem incidat. 3, quia Reipublicæ principalis pars eſt populus. Is autem eſt varius & mutabilis: vt non immeritò beſtia multorum capitum dicatur. Ideoq; minor illi, quam Principi prudenti fides eſt adhibenda.

10 An fœdera omnia ſint eiuſdem generis?

Fœderum differentia explicantur.

STatuitur theſis negatiua. Eſt enim fœdus aliud propriè, aliud impropriè dictũ. Ac propriè quidem dictum fœdus, eſt pactum quo diuerſi principes ſeu magiſtratus, ſaluo vtrinque maieſtatis iure, ſeſe mutuo ſolenniter obligant ad amicitiam colendam, fidem præſtandam auxilia mutua mittenda, hoſtes communes habendos. Idque rurſus vel eſt defenſionis, vel commerciorum, vel vtriuſque ſimul. Fœdus defenſionis eſt, quod mutui auxilii præſtandi gratia ſancitur. Eſtque vel par vel impar: quorum illud eſt inter fœderatos quodammodo pares: hoc inter impares ita vt vna pars ſit ſuperior, altera inferior. Fœdus commerciorum eſt, quod propter mutua commercia inter fœderatos vltro citroq; exercenda inſtituitur. Fœdus defenſionis & commerciorum ſimul eſt, quod tum ad præſtanda mutua auxilia, tum etiam ad commercia liberè exercenda inter confœderatos ſancitur: cuiusmodi fœdus eſt id, quod vulgo Anſaticum, der Henſe ſtädte nuncupatur, quod circa annum Chriſti 1270, vt plerique putant Politici, inſtitutum fuit. Improprie dictum fœdus vel eſt latius vel arctius: quorum illud eſt inter principem patronum ſeu defenſorem,

ſorem, & eos qui ſunt ſub eius defenſione: item inter principem & eius tributarios vel ſimplices, vel etiam magis ſtrictos nempe eos, qui à potentioribus victi pacem acceperunt: ſic tamen vt iura maieſtatis retineant, & interim victoris nomen comiter obſeruent, eique tributum annuum ſoluant: hoc vero inter victorem & dedititios.

11 *An fœdera, præſertim iureiurando ſancita & confirmata temerè ſint rumpenda & violanda?*

STatuitur theſis negatiua. Rationes ſunt: 1, quia temeraria fœderum violatio manifeſtè pugnat cum iuſtitia eiuſque ſpecie fidelitate. 2, quia violat pietatem in Deum, & tollit fidem inter homines, quæ vinculum vnicum eſt ſocietatis humanæ. 3, quia Deus ipſe ſolet eſſe ſeueriſſimus vltor & vindex fœderum temerè ruptorum & violatorum. 4, quia illi, qui fœdera temerè frangunt, Deum & homines ſibi infenſos reddunt: & plerunque ſunt infelices vt hiſtoriæ tam ſacræ, quam profanæ teſtantur. Hinc Sedechias rex Iudæorum captus & oculis orbatus Babylonem abductus fuit cum omni populo. Eſdræ 3. cap. 1. Et Ladislaus rex Vngarorum cum inſtinctu aliorum fœdus cum Amurate factum temere fregiſſet, ipſe cum 30, millib' periit. Hinc Ageſilaus Tiſapherni Perſarū Duci poſt violatū fœdus per legatos indicari curauit, ſe magnā ei gratiam agere:

Pro theſi
Ratio. 1
2
3
4

quod periurio ſuo & Deos & homines ſibi infenſos reddiderit. Non enim dubitabat, quin ille huius ſuæ perfidiæ grauiſſimas pœnas aliquando Deo ſit daturus.

Cautela. Proinde diligenter cauendum eſt hominibus, præſertim in eminentia aliqua conſtitutis ne illis iure obiici poſſit illud Lyſandri: *Pueros aſtragalis ludere: Reges & Principes iuramentis & fœderibus.* Nec ſimpliciter probandum eſt dictũ Friderici III. Electoris, qui ſolitus eſt dicere: *In omnibus fœderibus, ſeu inter confœderatos, illos eſſe loco & conditione deteriore, qui fœdera ſeruarent.* Licet enim per accidens fiat interdum vt illi qui ſanctiſſimè & religioſiſſimè fœdera colũt & ſeruant, maximè decipiantur, pereant & iacturam grauiſſimam faciant: tamen per ſe talis effectus ex fœderum obſeruatione non oritur.

CAPVT X.

De bello eiuſque rectè ſuſcipiendi & gerendi ratione.

PRÆCEPTA.

1 *Hactenus expoſita eſt cura togata pertinens ad rectam functionem officii Magiſtratui delegati: Sequitur cura militaris quæ tempore belli eſt adhibenda. Græcè dicitur* μελέτη πολεμική.

Bellũ quid ſit & quotuplex. 2 *Eſt autem bellum diſſidium tumultuoſum & violentum hoſtium publicorum vi aperta ad*

ta ad arma proſilientium.

3 Eſtq; aliud iuſtum, aliud iniuſtum.

4 Iuſtum bellum eſt, quod iuſtis de cauſis, iuſtisq; mediis initur & peragitur.

5 In illo conſiderandæ partim legitima ſuſceptio belli, partim recta belli ſuſcepti geſtio, partim diuiſio belli.

6 Legitima ſuſceptio fundatur in cauſa & modo.

7 Cauſa legitima ſuſceptionis eſt alia efficiens, alia finalis.

8 Efficiens alia eſt principalis, alia impulſiua.

9 Principalis eſt magiſtratus Politicus, quatenus iure armorum contra iniuſtam vim gerendorum eſt inſtructus.

10 Impulſiua alia eſt generalis, alia ſpecialis.

11 Generalis eſt ineuitabilis neceſſitas.

12 Specialis eſt partim defenſio, partim vindicatio neceſſaria & legitima.

13 Defenſio eſt propulſatio armata iniuriæ Reipublicæ ab hoſtibus intentatæ, inſtituta ad conſeruandam ſalutem Reipublicæ:

14 Vindicatio eſt vltio armata iniuriæ Reipublicæ illatæ ad legitimam rerum ademptarũ recuperationem inſtituta.

15 Finis eſt pacis publicæ partim conſeruatio, partim amiſſæ recuperatio.

16 Modus legitimæ ſuſceptionis belli exigit

tum maturam deliberationem, tum adornationem conuenientem belli.

17 *Matura deliberatio exigitur partim ad fugiendam omnem temeritatem & iniuſtitiã, partim ad vires proprias aut hoſtium explorandas, partim ad inueſtiganda omnia media appoſita quæ ad bellum gerendum requiruntur.*

18 *Adornatio belli conueniens conſtat apparatu & delectu prudenti.*

19 *Apparatus eſt conquiſitio rerum ad belli vſum neceſſariarum, cuiusmodi ſunt pecunia, arma & commeatus.*

20 *Delectus eſt conſcriptio & collectio exercitus ad bellum gerendum idonei:*

21 *In eo conſiderari oportet partim perſonas eligendas, partim ipſum modum delectus.*

22 *Perſonæ eligendæ vel ſunt principes belli, vel principibus ſubiecti:*

23 *Principes belli ſunt officiarii, quorum ductu & conſilio bellum eſt gerendum:*

24 *Suntq; vel dux belli, vel duci adiuncti:*

25 *Dux belli eſt, cui ſupremum belli regimen eſt commiſſum.*

26 *In illo eligendo 4. potiſſimum requiruntur, ſcientia rei militaris, virtus, autoritas & felicitas.*

27 *Duci adiuncti ſunt officiarii qui conſilio &*

lio & opera Ducem belli iuuant.

28 *In his partim prudentia militaris, partim fortitudo requiritur.*

29 *Suntq́ alii ſuperiores, alii inferiores: quorum illi maiore: hi minore poteſtate à Duce belli ſunt inſtructi.*

30 *Principibus ſubiecti ſunt milites, quorum opera adminiſtra principes in bello gerendo vtuntur.*

31 *Modus delectus militum in collectione & ordinatione militum conſiſtit.*

32 *Collectio conſtat vocatione militum, & vocatorum probatione.*

33 *Vocatio eſt actus publicus, per quem ab eo, qui ius vocandi habet, ad militandum vocantur milites.*

34 *Probatio vocatorum eſt exploratio militum, quales & qui idonei ſunt ad militandum, vt ſic vel recipiantur, vel reiiciantur.*

35 *Ordinatio militum eſt diſtributio eorum in certos ordines ad vitandam confuſionem.*

36 *Tantum de legitima ſuſceptione belli. Sequitur recta eiusdem ſuſcepti geſtio, quæ conſiſtit partim in belli indictione, partim in belli indicti executione.*

37 *Belli indictio eſt actus publicus qu*
hoſti denunciatur.
38 *Executio belli indicti perficitur p*
apta caſtrorum metatione, partim re
ercitus gubernatione, partim conuenien
finitione.
39 *Apta caſtrorum metatio conſiſtit*
electione loci idonei tum congrua caſt
ſecundum quantitatem & qualitatem
tione.
40 *Recta gubernatio exercitus conſiſt*
tim in diſciplina militari, partim in co
ente hoſtium impugnatione.
41 *Diſciplina militaris eſt, qua totus*
tus & ſinguli milites in officio ſuo contin
& in actionibus bellicis exercentur.
42 *Eius cauſa conſeruans partim eſt li*
ſtipendiorum ordinariorum perſolutio, p
ſeuera legum militarium executio ſec
normam iuſtitiæ bonis præmia, & ma
nas decernens.
43 *Conueniens hoſtium impugnatio*
dolo vel vi aperta.
44 *Dolo fit impugnatio hoſtium, qua*
mnis generis ſtrategemata clantulum
bentur ad inferendum damnum hoſti.
45 *Vi aperta fit impugnatio, quando v*
pugnacula hoſtium tormentis impetun

concutiuntur, vel pugna aduerſus nos directè inſtituitur.
46 *Conueniens belli finitio fit per pacis legitimam aſſecutionem.*
47 *Hæc verò fit vel per victoriam vi armatâ partam, vel per ſpontaneam & iuſtam partium belligerantium transactionem ſeu pactionem.*
48 *Porrò bellum iuſtum aliud eſt defenſiuum, aliud vindicatiuum.*
49 *Defenſiuum eſt quod iniuriæ propulſandæ gratia ſuſcipitur.*
50 *Vindicatiuum eſt quod iniuriæ vindicandæ gratia ſuſcipitur.*
51 *Vtrumq́ vel eſt externum, vel internum.*
52 *Externum eſt, quod aduerſus extraneos hoſtes geritur.*
53 *Eſtque vel terreſtre vel nauale.*
54 *Terreſtre eſt, quod in terra geritur.*
55 *Nauale eſt, quod in mari geritur.*
56 *Internum eſt, quod vel ſubditi aduerſus magiſtratum aut contrà magiſtratus aduerſus ſubditos gerunt. Vnde etiam dicitur bellum ciuile.*
57 *Iniuſtum bellum eſt quod ambitio & auaritia ſola ſuadet.*

1 An bellum ex ſua natura ſit malum & illicitum?

Pro theſi aſſir. Argum.

PRo theſi affirmante faciunt hæc argumenta: 1, quia bellum nihil aliud eſt quam diſſidi-
1 um tumultuoſum & violentum hoſtium publi-
2 corum ad arma proſilientium. 2, quia bellum dicitur vel ironicè, quaſi minimè bellum, vel
3 quod belluarum ſit proprium. 3, quia bellum aduerſe opponitur paci. Ideoq; cum pax ex ſua natura ſit bona & licita: ſequitur bellum ex ſua
4 natura eſſe malum & illicitum. 4, quia Deus eſt autor pacis: Ideoque bellum, quod paci aduerſatur ab ipſo tanquam cauſa efficiente per
5 ſe non habet originem. 5, quia bellum eſt principium & fons, imò ſentina & Lerna infinitorum malorum tam priuatorum quam publicorum, quibus domus & Reſpub. labefactantur
6 & perduntur. 6, quia repugnat naturæ humanæ, quæ à Deo creata eſt mitis & placida, non munita cornibus, vt taurorum naturæ, non inſtructa dentibus, vt aprorum; non vnguibus
7 prædita, vt leonum. 7, quia in belli regno iu-
8 ſtitiæ locus non datur. 8, quia in bello confluit colluuies facinoroſorum hominum v. g. raptorum, adulterorum, veneficorum, furum, abigeorum, periurorum & id genus aliorum, qui ſub prætextu militiæ impune ſua ſcelera & la-
9 trocinia exercent. 9, quia ſicut pax eſt ſanitas
10 Reipub. ita bellum eſt eiuſdem morbus. 10, quia ſapientes monent à bello abſtinendum eſſe: etiamſi graues cauſæ ſe offerant gerendi belli.

At

At contra pro theſi negante adduci poſſunt hæc argumenta: 1, quia nullum ens, quatenus ens ſua natura eſt malum & illicitum. Bellum autem eſt ens. 2, quia bellum eſt medium non tantum defendendi Rempub. aduerſus iniurias ab hoſtibus illatas: ſed etiam vlciſcendi eiusmodi iniurias & bona per vim ablata recuperandi. 3, quia pax non niſi bello paratur. Imò finis belli eſt, vt in Republica ciues ſine iniuria in pace viuant. 4, quia bellum multum confert ad augendam & amplificandam Rempub. 5, quia in officio continet hoſtes Reipub. ne audeant illam prouocare aut iniuria afficere, quam vident promptam & expeditam eſſe ad ſe defendendam. 6, quia bellum ſeditioſorum ciuium molitiones retundit & reprimit, ruſticorum inſolentiam corrigit, mercatorum arrogantiam conſtringit, turbaq; hominum inutili & ignaua Rempub. exonerat, qui non ſecus ac vitioſi humores in corpore humano nocent. 7, quia occaſionem præbet viris fortibus & animoſis ad exercenda fortitudinis bellicæ officia. 8, quia Deus ipſe populo Iſraelitico bella aduerſus hoſtes gerenda præcepit. Et Eſaiæ 3. minatur eidem, ſe ablaturum eſſe hominem bellatorem, à quo defendatur. 9, quia ſapientes ipſi voluerunt adoleſcentes armorum tractandorum rationem diſcere, vt ita ad bellum præparetur.

Pro theſi neg. Argum. 1 2 3 4 5 6 7 8 9

Quæſtio deciditur per theoremata.

Pro deciſione quæſtionis notanda ſunt ſequentia theoremata: 1, bellum eſſe ens, & quatenus ens, ſua natura non eſſe malum. 2, bellum eſſe ens adiaphorum quo homines benè vel male vti poſſunt: non ſecus ac aliis corporis membris & fortunę bonis. Ideoq; neq; per ſe eſſe moraliter bonũ vel malum. 3, bellum aliud eſſe iuſtum, aliud iniuſtum. 4, bellum iuſtum æſtimãdum eſſe, non ex iis, quæ per accidens ei aduenjunt, ſed ex conditionibus eſſentialibus, quę ad illud ſuſcipiendum & gerendum requiruntur. 5, pacem non ſemper & ſimpliciter eſſe bonam, ſed interdum etiam ſecundum quid malam.

2 *An liceat Chriſtianis bellum gerere?*

Pro theſi affir. Argum.

PRo theſi affirmante faciunt ſequentia argumenta: 1, quia Deus in veteri Teſtamento non tantum permiſit, ſed etiam præcepit populo Iſraelito, vt bellum aduerſus hoſtes ſuos gererent. 2, quia in nouo teſtamento nuſpiam expreſsè bellum Chriſtianis eſt interdictum: imò cum milites quidam ad Iohannem Baptiſtam venirent, quæſitum, quid ſibi ſit faciendum, nõ præcepit ipſis ſanctus ille vir, vt vitæ genus mutarent: ſed vt neminem iniuſte concuterent, aut doloſe opprimerent, ſuisq; ſtipendiis contenti eſſent. 3, quia in ſacris literis multa habentur exempla piorum, & Deo placentium hominum, qui militiam ſecuti ſunt, bellumq; geſſerunt: cuiusmodi in veteri teſtamento fuerunt Abraham, Moſes, Ioſua, Gedeon, Samſon, Dauid & id genus alii: In nouo vero teſtamento Centurio Matth. 8. cuius fidem Chriſtus laudauit. Item Cornelius Centurio Act. 10. qui dici-

tur

tur fuiſſe Vir iuſtus & timens Deum. 4, quia Deus ipſe legitur piis belligerantibus ſæpè manifeſtè ac miraculoſe auxilium proſperumq; ſucceſſum ac victoriam largitus eſſe. Nam vt taceam Abrahamum, qui opera Dei quatuor reges debellauit cum ſolis 318. ſeruis Geneſ. 13. v. 14. legimus Exod. 17. quod ad preces Moſis Deus victoriam dederit Hebræis contra Amalechitas. Et Ioſuæ 10, pugnante Ioſua ſtetit Sol, & Dominus pluebat grandines, quibus plures occidebat, quam Iſraelitæ haſtis & gladiis. Et 2. Maccabæor. 10. Angeli in ſpecie equitum pro Maccabæis pugnarunt. 5, quia licet Chriſtianis defendere patriam & Rempublicam aduerſus iniurias hoſtium eam armata vi impugnantium. Ergo etiam licet iis bellum gerere, quod medium eſt eiuſmodi defenſionis peragendæ. 6, quia licet Chriſtianis fortitudinem bellicam exercere. Ergo etiam bellum gerere, cum ſine eo hæc virtus commode exerceri nõ poſſit. 7, quia bellum gerere per ſe & ſimpliciter non eſt peccatũ teſte Ambroſio ſerm. 7. cum ait. *Non militare delictum eſt, ſed propter prædam militare peccatum eſt.* 8, quia pax ſine bello ſæpè neq; parari, neq; conſeruari poteſt: Imò, vt Demoſthenes ait, *Bellum honeſtum paci turpi præferendum eſt.* 9, quia ſine bello, ſæpe neq; libertas patriæ, neq; ſalus Reipublicæ, neque ciuium vita & poſſeſſiones defendi poſſunt. 10, quia bellum eſt actus iuſtitiæ punitiuæ, quem exercere non eſt alienum à magiſtratu Politico. 11, quia bellũ eſt flagellum, & calcar Dei, quo ipſe homines ob peccata punit, eosq; ad reſipiſcentiam excitat.

Pro theſi neg. At contra pro theſi negante adducuntur hæc
Argum. argumenta: 1, quia Chriſtiani debent eſſe pacis
1 ſtudioſi ad eamq; colendam paſſim in ſacris li-
2 teris excitantur. 2, quia Chriſtiani non debent
reſiſtere iniuriæ, ſed æquo animo eam ferre, &
3 vindictam Deo committere. 3, quia paratiores
eſſe debent ad alteram iniuriam accipiendam,
4 quam ad retaliandam & vindicandam. 4, quia
inimicos ſuos diligere, iiſq; benefacere debent.
5 5, quia condonare debent omnes offenſas pro-
ximo ſuo, quemadmodum Deus ipſis condo-
6 nat. 6, quia bellum pugnat cum ſtatu Eccleſiæ
Chriſtianæ, præſertim noui teſtamenti de quo
Eſaias ſic vaticinatur cap. 2. *Contundent gladios*
ſuos in ligones, & lanceas ſuas in falces: non leuabit
gens contra gentem gladium & non diſcent vltra
7 *bellum.* 7, quia Chriſtiani ad exemplum Petri
debent gladium in vaginam immittere: præ-
ſertim cum Chriſtus dicat: Qui gladium acce-
8 perit gladio peribit. 8, quia non liber eſt à dia-
boli laqueis, qui ſe militiæ mundanæ implicat.
9 9, quia bellum remoratur curſum hominis ad
regnum cælorum obtinendum contendentis.
10 10, quia Chriſtiani ſunt milites Chriſti. Ideo-
11 que militiam terrenam ſequi non debent. 11,
quia *arma Eccleſiæ ſunt gladius verbi Dei, ſcutum*
fidei, galea ſalutis, lorica iuſtitiæ, iacula orationum
vt Apoſtolus docet ad Epheſ. 6. Non igitur fer-
12 ro & armis corporalibus pugnare debent. 12,
quia Chriſtianis à cædibus cruentis, quæ in
bello vſitatæ ſunt, prorſus abſtinendum eſt.

Pro

Pro deciſione quæſtionis ſciendum eſt theſin affirmatiuam quæſtionis eſſe veram, quatenus de bello iuſto, & non iniuſto intelligitur. Neque obſtant argumenta pro theſi negante allata. *Quæſtio deciditur per diſtinct.*

Nam primum quidem verum eſt, Chriſtianos debere ex ſua parte pacis eſſe ſtudioſos, ſiue magiſtratus, ſiue ſubditos ſpectes: ſed inde nō ſequitur, quod bellum gerere ſimpliciter iis non liceat: præſertim ſi hoſtes ipſorum nullas iuſtas pacis ineundæ conditiones recipere velint. Deinde verum eſt, quod Chriſtiani ſiue ſint magiſtratus ſiue ſubditi, priuatos ſuos inimicos diligere debeant, iiſque benefacere: ſed inde non ſequitur, quod Chriſtiani magiſtratus hoſtes capitales Reipublicæ, pacisque publicæ turbatores, non debeant iuſto zelo odiſſe & perſequi, eorumque conatibus iniuſtis legitimis mediis, inter quæ numeratur bellum iuſtum, reſiſtere. Præterea 2. 3. & 5. argumentum verum eſt de Chriſtianis, quatenus ſunt priuatæ perſonæ, & offenſæ in proprias ipſorum perſonas ſunt commiſſæ: non autem de Chriſtianis, quatenus ſunt magiſtratus publica imperandi authoritate inſtructi, miniſtrique Dei & Reipublicæ. Illorum enim officium requirit, vt Rempublicam aduerſus vim & iniuriam ſuorum hoſtium omnibus modis licitis defendant ac tueantur, iuſtitiamq; publicam exerceant. Sic ſextum argumentum, quod continet vaticinium Eſaiæ, intelligendū eſſe videtur aut typice de regno ſpirituali Chriſti quod verè eſt pacificū aut ſaltē de eo tēpore, quo

Soluuntur argumenta pro theſi neg. allata.

1 4 2. 3. 5. 6

Chriſtus natus eſt, & officium ſuum in terris executus eſt. Tunc enim Auguſtus Cæſar regnauit, & vbiq; locorum altiſſima pax fuit. Ex illo igitur argumento non ſequitur id, quod
7 probandum eſt. Similiter 7. argumentum intelligendum eſt tantum de priuata vindicta, non autem de publicâ vindictâ qua magiſtratus in homines facinoroſos, hoſtesque Reipub. ex ratione officii ſibi à Deo demandati exercet. Illa enim vindicta eſt vindicta Dei; cũ
8 9 magiſtratus ſit miniſter Dei, neq; ſuum, ſed Dei iudicium exerceat. 8, autem & 9, argumentum concedi quidem poſſunt, ſi intelligantur de militia & bello piorum, quemadmodum teſtan-
10 11 tur exempla ſupra ex veteri ac nouo teſtamento allata. In 10, & 11, argumento antecedens quidem verum eſt: ſed inde conſequens non rectè infertur: cùm idem homo poſſit eſſe miles ſpiritualis Chriſti, quatenus eſt ciuis Eccleſiæ Chriſtianæ; & miles Politicus, quatenus eſt ciuilis Reipub. terrenæ. Denique, 12, argumentum verum quidem eſt de cædibus, quæ ex vindictæ priuatæ cupiditate perpetrantur; non autem de cædibus, quæ publica authoritate à magiſtratu Politico vel iuſſu illius fiunt ad exequendam legũ iuſtitiam hominesq; facinoroſos puniẽdum.

3 *Quid ſit bellum in genere?*

Definitiones aliorum recenſentur & examinantur.

DEfinitur bellum ab aliis modo actio hoſtilis ad iniuriam propulſandam vel vindicandam à magiſtratu vi armisq; contra hoſtes pacis
1 retinendæ vel conſequendæ cauſa legitimè ſuſ-
2 cepta & adminiſtrata: modo ſtatus Reipublicæ
3 turbatus tam ex parte principis, quam ſubdito-

tum:

rum: modo diſſentio per quam arma mouentur. Ex quibus definitionibus prima anguſtior eſt ſuo definito; cum non bello in genere conſiderato, ſed tantum bello iuſto competat: altera vero partim falſum genus aſſignat: partim aliis imperfectionis & obſcuritatis vitiis laborat. Tertia vero eſt quidem adæquata definito, ſed eius eſſentiam perfecte non exprimit. Idcircò à me in præcepto 2. definitum eſt bellum quod ſit diſſidium tumultuoſum & violentum hoſtiũ publicum vi aperta ad arma proſilientium.

4 *An bellum aliud ſit iuſtum, aliud iniuſtum, & vnde vtrumq; dignoſcendum?*

CVm omne bellum non ſit iuſtum, neq; omne iniuſtum: ſequitur neceſſario aliud eſſe iuſtum, aliud iniuſtum. Vt autem bellum iuſtum ab iniuſto dignoſcatur & diſcernatur: neceſſe eſt, vt conditiones eſſentiales ad bellum iuſtum requiſitæ conſiderentur: quarum ſunt quatuor principales. Prima conditio eſt authoritas legitima. Non enim cuilibet licitum eſt bellum mouere: ſed tantum ei, qui ius gladii & authoritatem legitimam armorum aduerſus iniuſtam vim capiendorum à Deo obtinet. Talis autem eſt magiſtratus Politicus, præſertim ſupremus. Ei enim tanquam capiti perfecta Reipub. adminiſtratio omniumq; ſubditorum cura eſt commiſſa. Illo autem officio perfecte fungi non poteſt; niſi Reipub. & ſubditorum defenſionem ſuſcipiat, iniuriamq; illis illatam aut propulſet, aut vindicet. Et hoc etiam teſtatur Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum cap.

Conditiones belli iuſti exponuntur.

1

75. cum ait: *Ordo ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc poſtulat, vt ſuſcipiendi bellum autoritas atq; conſilium penes Principem ſit: exequendi autem iuſſa bellica miniſterium milites debeant paci ſalutiq; commune.* Vnde etiam inter iura maieſtatis à Politicis numeratur ius indicendi, ſuſcipiendi & gerendi belli. Proinde inferior magiſtratus regulariter inconſulto & inſcio ſuperiore bellum mouere nequit, niſi certi neceſſitatus caſus hoc exigant: vt ſi 1. ab alio, quicunq; ille ſit ex improuiſo iniuſta vi impugnetur. Tũc enim ſeipſum & ſuos aduerſus violentum inuaſorem defendere poteſt & debet: Deinde ſi magiſtratus ſupremus officium ſuum debito modo non faciat, aut etiam manifeſtam exerceat tyrannidem. Tunc enim inferior magiſtratus officium ſuum deſerere non debet: ſed omnibus modis procurare, ne quid detrimenti Reſpublica capiat. Multò minus bellum mouere poſſunt priuati homines. Hi enim nullum imperium publicum, nec vllum ius gladii habent. Et ſi ab aliquo iniuriam accipiant, ad magiſtratum Politicum confugere debent, & ab eo iudicium petere. Idcircò etiam Plato lib. 2. de legibus ait: *Si quis priuatum ſine publico ſcito pacem, bellumque fecerit, mors pœna ei ſit.* Altera conditio eſt cauſa impulſiua, eaq; iuſta, grauis & neceſſaria. Non enim ſine cauſa: neq; propter quamlibet cauſam bellum eſt ſuſcipiendum & gerendum: ſed requiritur, vt illa ſit iuſta, grauis & neceſſaria: ſiquidem, vt Lipſius monet lib. 5. Polit. cap. 3. *à bello ſuſcipiendo omnis iniuſtitia & temeritas abeſſe debet:* nec bellum eſt mouendũ, niſi

niſi prius tentatis omnibus mediis, quibus illud vitari poteſt iuxta illud Comici: *Omnia prius experiri, quam armis ſapientem decet.* Tertia conditio eſt bona intentio, ſeu finis legitimus, qui non alius eſſe debet, quam pax & tranquillitas publica ſiue conſeruanda, ſiue recuperanda. Et hoc etiam teſtatur Cicero lib. 1. officiorum cum inquit: *Ita bellum ſuſcipiatur, vt nihil aliud quam pax quæſita eſſe videatur.* Et Saluſtius ad Cæſarem recte ait: *Sapientes pacis cauſa bellum gerunt & laborem ſpe otij ſuſtentant.* 3

Quarta & vltima conditio eſt modus debitus & legitimus, quo bellum eſt ſuſcipiendum & gerendum. Ille verò conſiſtit partim in apparatu & delectu conuenientе rerum ad bellum neceſſariarum: partim in legitima belli indictione, indictique executione. Inprimis vero conſiſtit in eo, vt nulli innocenti iniuria ſiue perſonalis, ſiue realis, aut vi aut fraude inferatur. Quo etiam reſpexit Iohannes Baptiſta Luc. 3. cum ad milites conſilium ſalutis à ſe petentes, inquit: *Neminem concutiatis, neq; calumniemini: ſed contenti eſtote ſtipendiis veſtris.* Cum enim ait: *Neminem concutiatis:* prohibet iniuriá, quæ apertâ violentiâ infertur perſonæ, vt cum milites, ruſticos cædūt, niſi ad nutū obediant. Cum verò addit, *neminem calumniemini:* prohibet iniuriá, quæ fraudib. & calumniis infertur, vt cum milites dicūt aliquem eſſe proditorē vel hoſtē; etiamſi contrarium nouerint eſſe verum: & eo nomine vel ipſi eum ſpoliant & occidunt:

vel deferunt ad ducem & præfectos: Cum denique ſubiicit: *Contenti eſtote ſtipendiis veſtris*: prohibet iniuriam, quæ alicui non in perſona, ſed in bonis infertur, vt cum milites furantur & rapiunt, vndecunque poſſunt, vel etiam exigunt & extorquent ab iis, à quibus non debent. Quando igitur conditiones illæ omnes ſimul concurrunt, & adſunt, bellum iudicandum eſt iuſtum: quando vero aut omnes abſunt, aut aliqua ex his deeſt, bellum iudicandum eſt iniuſtum.

5 An ſola defenſio & vindicatio ſit cauſa iuſta belli?

Pro theſi aff. Ratio. STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: *1*, quia vtraq; conuenit cum lege naturæ & recta ratione, qua vim vi repellere licet. 2, quia vtramque efflagitat ſalus Reipublicæ, quæ conſeruari non poteſt, niſi magiſtratus Politicus in caſu extremæ neceſſitatis legitimam illius defenſionem & vindicationem adhibeat, hoc eſt, niſi armata manu iniuriam Reipublicæ illatam aut propulſet, aut vlciſcatur. 3, quia omne bellum iniuſtum eſt, quod propter aliam cauſam ſuſcipitur, quam propter defenſionem & vindicationem. Hinc ſicut bellum iuſtum aliud eſt defenſiuum, aliud vindicatiuum: ita bellum iniuſtum eſt: *1*, quod priuati, non publici boni gratia mouetur. 2, quod propter ſolam religionis propagationem excitatur. 3, quod vel priuatæ vindictæ cupiditas, vel auaritia vel ambitio, vel mera nocendi libido ſuadet, cuiusmodi eſt illud, quod propter ſolam imperii & ditionis amplificationem, aut vanæ gloriolæ captatio-

tionem, aut violentam innocentium oppreſſionem ſuſcipitur. 4, quia idem reſtantur pleriq; Politici qui cauſam belli iuſtam duplicem tantum conſtituunt, nempe defenſoriam & vindicatoriam: ac priorem quidem dicunt eſſe, cum bellum ſuſcipitur defendendæ Reipublicæ cauſa contra hoſtes eam inuadentes: poſteriorem vero, cum bellum ſuſcipitur propter iniuriam illatam Reipublicæ & propter recuperationem bonorum amiſſorum. Hinc Keckermannus lib. 1. Syſtematis Politici cap. 29. inter alios hunc canonem tradit. *Bellum nunquam ſuſcipiatur, niſi ob cauſam iuſtam*: cauſa autem iuſta eſt vel defenſoria vel vindicatoria, id eſt, vel defenſio ſubditorum & propulſatio damni atque iniuriæ Reipub. illatę: ex quibus tamen prior cauſa eſt principalior, & magis ſpectanda, quam altera cauſa, nempe vindicatio & recuperatio amiſſorum. Quod autem Lipſius lib. 5. Polit. cap. 4. etiam inuaſionem inter cauſas iuſtas belli numerat: id ſimpliciter non eſt verum de qualibet inuaſione: ſed tantum de illa qua iniuria Reipublicæ illata vindicatur, & iure gentium res per vim ablatæ repetuntur: quemadmodum Lipſius ſeſe explicat: & in hoc ſenſu non differt à vindicatione. 4

6 *An bellum interdum alieni populi defendendi gratia ſuſcipere liceat?*

PRo theſi negante faciunt hæc argumenta: *1*, quia magiſtratui Politico à Deo commiſſa eſt cura & tutela ſuorum duntaxat ſubditorum. *2*, quia magnum curioſitatis argumentum eſt *Pro theſi neg. Argum.* *1* *2*

alienum populum defendere, imperio ſuo nō ſubiectum. 3, quia iniuſtum eſt populum ſibi ſubiectum vitæ periculis exponere propter ſalutem aliorum, qui ad diuerſam & alienam Rempub. pertinent. At nihilominus ſententia affirmatiua eſt verior; quatenus intelligitur de eiuſmodi populo qui vel iure propinquitatis, vel fœderis ſocietate populo proprio eſt iunctus, vel alioquin extrema tyrannidis violentia immeritò eſt oppreſſus. Illi enim opem ferre iubet iuſtitia & fides data: huic verò Chriſtiana charitas & miſericordia. Nam vt Ambroſius in libris de officiis ait, *fortitudo quæ per bella tuetur à Barbaris patriam, vel defendit infirmos, vel à latronibus ſocios, plena iuſtitia eſt.* Et vt Cicero inquit lib. 1. offic. *qui non defendit, nec obſiſtit, ſi poteſt, iniuriæ, tam eſt in vitio, quam ſi parentes aut patriam, aut ſocios deſerat.* Hinc etiam Lipſius lib. 5. ciuilis doctrinæ cap. 4. defenſionem principis facit duplicem vnam propriam, cum ſuam Rempub. ab iniuria defendit: alteram alienam, quæ vel ſocios vel oppreſſos.

7 *An liceat magiſtratui Politico bellum aduerſus barbaros & infideles, à quibus Reſpub. nullam iniuriam paſſa eſt, ſuſcipere eo tantum fine, vt domentur & ad religionem veram adducantur?*

Pro theſi neg. Ratio.

STatuitur theſis negatiua. Rationes ſunt: 1, quia nulla iuſta cauſa belli adeſt, neque defenſio, neque vindicatio. 2, quia iniuſtum eſt nocere alteri, à quo prius non fueris laceſſitus iniuria.

iniuria. 3, quia bellum eſt legitimum medium addncendi homines ad veram religionem. 4, quia magiſtratus Politicus extra limites ſuæ vocationis vagari non debet. Id autem facit, cum non tantum ſuorum ſubditorum & confœderatorum curam habet: ſed etiam ad Rempublicam ſuam nullo iuris titulo pertinentium, neq; eandem offendentium. 3 4

Pro theſi aſfir. Argum. At pro contraria ſententia obiici poſſunt hæc argumenta: 1, quia iuſtitiæ opus eſt coercere improbos, iiſq; peccandi licentiam eripere. 1 2, quia charitatis Chriſtianæ opus eſt barbaros & infideles ad veram religionem adducere. 2

Reſponſio ad obiectionem. Reſpondeo argumenta illa eſſe vera non ſimpliciter, ſed ſecundum quid, quatenus nimirū illa improborum coertio, barbarorumq; & infidelium ad veram religionem adductio fit per legitima media, & ab iis, à quibus ratione officii à Deo demandati fieri debet: non autem quando fit per illegitima media, & ab iis, à quibus fieri non debet.

8 *An conſultatio præcedere bellum debeat: & de quibus rebus ſit inſtituenda?*

Pro theſi aſfir. in prima parte. Ratio. IN prima quæſtionis parte ſtatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia bellum temere & abſq; neceſſitate non eſt ſuſcipiendum. 1 2, quia quicquid præter opinionem in bello euenire poteſt, id conſiderandum eſt, priuſquam bellum ſuſcipiatur. 2 3, quia bellum facilimè quidē inchoatur, ſed ægerrimè definit, nec in eiuſdem poteſtate initium & finis eſt. 3 4, quia fortuna 4

belli eſt anceps & dubia, & nuſquam minus, 5 quam in bello conſiliis euentus reſpōdet. 5, quia omnia prius tentanda ſunt, quam ad arma deueniatur: præſertim cùm bellum ſit extremũ remedium, quod adhibendum non eſt, niſi extrema neceſſitas poſtulet. 6 6, quia non temerè pacatus & felix Reipublicæ ſtatus eſt turbandus & concutiendus; neque certa pro incertis mutanda: præſertim cum *nullum bellum tam iuſtis de cauſis ſuſcipiatur, neq; tam moderatè geratur, quod non ingens & ſcelerum & calamitatum agmen ſecum trahat, & in quo non maxima malorum pars ad innoxios & indignos recidat*, vt ait Eraſmus in præfatione ad Carolum V. quam paraphraſi ſuæ in Euangelium Matthæi præfixit.

De quibus rebus conſultatio ſit inſtituenda. Cæterum quod ad alteram partem attinet, conſultatio inſtituenda non de fine belli, qui ſemper præſupponitur tanquam notus: ſed de mediis quæ ad bellum bene ſuſcipiendum & gerendum requiruntur. Vbi primum conſiderandum eſt, vtrum media, quæ ſub deliberationem cadunt, ſint licita vel illicita, vtilia vel inutilia, poſſibilia vel impoſſibilia, neceſſaria vel non neceſſaria, ſufficientia vel inſufficientia. Deinde cum quatuor ſint principalia media belli gerēdi, nempe pecunia, arma, commeatus & milites: de ſingulis acquirendis in ſpecie eſt delibetandum, antequam bellum ſuſcipiatur. Sine his enim fieri non poteſt, vt bellum benè & feliciter aut inchoetur aut continuetur, aut finiatur.

9 An

9 *An bellum prius apparandum ſit quam gerendum & quomodo?*

IN prima parte quęſtionis ſtatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia apparatus belli naturæ & temporis ordine præcedit eiuſdem geſtionem. 2, quia media neceſſaria belli gerēdi neceſſe eſt, vt ſint in promptu, antequam iis vtaris. 3, quia magnæ imprudentiæ & temeritatis argumentum eſt gerere bellum; antequam illud ſit apparatum. Vt autem bellum bene apparetur, neceſſe eſt vt primò omnium piis precibus Dei Opt: Max: auxilium & præſidium imploretur: quippe à quo omnis belli fortuna & victoria pendet: deinde, vt omnia media honeſta & licita comparandi pecuniam & ærarium bellicum conſtituendi & augendi eligantur & arripiantur. Tertiò vt omnis generis armorum idoneorum & ſufficientium acquirendorum cura ſuſcipiatur. 4, vt commeatus neceſſarius præparetur, ſine quo milites neque munia ſua obire, neq; omnino viuere poſſunt. Deniq; vt militum tam imperantium, quā parentium copia ſufficiens conſcribatur & colligatur, ſinguliq;, præeunte exploratione diligente in certos ordines & claſſes militares redigantur.

Pro theſi affir. in prima parte. Ratio. 1 2 3

Quomodo bellum ſit apparandum. 1 2 3 4 5

10 *An ſine delectu milites ſint conſcribendi?*

STatuitur theſis negatiua. Rationes ſunt: 1, quia milites ſine delectu conſcripti non vires, ſed numerum augent, magiſq; impedimento ſunt, quam auxilio. 2, quia in bello non tam prodeſt multitudo quam virtus militum, magis-

Pro theſi neg. Ratio. 1 2

que opus eſt manibus, quam multis nominibus. 3, quia ad militiam eligendi ſunt, non imperiti ſed periti rei militaris: non debiles, ſed robuſti: non ignaui, ſed laborioſi: non timidi, ſed fortes; non ebrioſi, ſed ſobrii; non libidinoſi, ſed caſti; non ſomnolenti, ſed vigilantes; non contumaces, ſed obſequioſi; non perfidi, ſed fidi. In ſumma non improbi ſed probi. Hinc quidam Politici in milite eligendo quatuor ſpectanda eſſe docent, ætatem vt ſit iuuenilis & vegeta non ſenilis & decrepita. 2, corpus, vt ſit compactum, non laxum, mediocre, non pingue. 3, animum vt ſit præſens & acer. 4, vitam ſeu mores vt ſint probati. Proinde non immeritò reprehenditur mos hodiernus conſcribendi milites, quando nimirum ad ſtrepitum tympani promiſcuè & confusè in militiam cooptantur omnes qui nomen ſuum profitentur, non habita ratione qualitatum, quæ in bonis militibus requiruntur. Vnde etiam fit, vt ſæpe ii in numerum militum aſſumantur, qui ſunt mancipia vitiorum, & purgamenta ſuarum vrbium, quorumque lingua vana eſt, manus rapaciſſimæ, gula in menſa, pedes fugaces, denique omnis honeſtatis & pietatis ſunt hoſtes capitales.

Quæ in milite eligẽdo ſint conſiderãda. 1 2 3 4

Conſuetudo hodierna taxatur.

10 *Vtrum extranei potius, quam indigenæ milites ſint eligendi?*

Pro indigenis Argum.

PRo indigenis contra extraneos adducuntur hæc argumenta: 1, quia indigenæ magis ſunt fidi, quam extranei: cum hi lucrum potius, quam cauſam belli reſpiciant: & ita facilius

facilius ab hoſtibus, vel maioris ſtipendii ſpe, vel donis, corrumpi poſſint. 2, quia magis ſunt obſequioſi, minuſque contumaces & refractarii, quam extranei: cum hi non tam iuberi & regi quam libidine agere velint. 3, quia amantiores ſunt patriæ, & ex amore patriæ animoſiores & alactiores ad pugnandum, quam extranei: cum hi pretio addicti potius de præda, quam de victoria, & fine belli cogitant, & amore lucri omnia perfunctoriè agant. 4, quia minus propenſi ſunt ad ſeditiones & tumultus: maxime cum ad prælium iam eundum eſt. 5, quia extranei in pugna ſunt pauidi & meticuloſi, & ſine pudore flagitii, ſine cura ducum fugam arripiunt: cum non fide & affectu teneantur: neque pro ſuis, ſed alienis pugnent: Indigenæ verò ſunt acres & alacres ad pugnandum: cum ſciant, ſe non pro alienis, ſed pro ſuis pugnare. Ideoque etiam partim reuerentia erga ſuum magiſtratum, partim amore honeſtatis, partim metu pœnæ minus ſint fugaces. 6, quia extranei ſunt inſatiabiles hirudines ærarii publici, & terræ eius, quam tueri & defendere debebant, populatores & vaſtatores: Indigenæ verò à direptionibus & vaſtitatibus ſuæ patriæ, niſi ſint omninò deploratæ malitiæ, ſunt alieniores. 7, quia extranei ſunt exprobatores ſui ſeruitii: cum tamen nihil aut parum inſeruiant, & longè à periculis ſeſe ſubtrahant. 8, quia ſæpè inſidiantur ſuis principibus, & per vim ac fraudem oppreſſis, aut eiectis incolis, à quibus in auxilium ſunt acciti regna & imperia ad ſe attrahunt: quemadmodum hiſtoriarum exempla teſtantur.

Pro extraneis Argum.

At pro extraneis contra indigenas hæc argumenta adduci poſſunt: 1; quia arma feroces

1 reddunt ſubditos & ad rebellionem procliues. Ideoq; tutum non eſt ſubditos armare; propterea quod arma ſemel ſumpta non facile deponant: ſed contra ipſum magiſtratum ſæpe vſurpent.

2 2, quia experientia teſtatur extraneos ſæpe ad arma tractanda magis eſſe idoneos, quam indigenas.

3 3, quia plerunq; indigenæ ſunt meticuloſi & timidi: dum de vxoribus, liberis, ædibus & villulis ſuis cogitant.

4 4, quia magiſtratus officium eſt conſeruare ſuos ſubditos: Ideoque periculis bellicis illos temerè exponere nō debet.

Quæſtio deciditur.

Pro deciſione quæſtionis notandum eſt abſolutè quidem, cæteris paribus, melius eſſe indigenas milites quam extraneos eligere: ſed ſi indigenarum ſit magna penuria; aut non ſufficiens copia haberi poſſit, cum illis eſſe coniungendos extraneos: ita tamen, vt ſemper numerus maior ſit indigenarum, quam extraneorū: niſi fortè indigenæ de perfidia & rebellione ſint ſuſpecti.

12 *Vtrum melius ſit in bello pedites multos, an equites habere?*

Pro peditibus Argum.

PRo peditibus faciunt hæc argumenta: 1, quia hi vbiq; prodeſſe poſſunt. Ideoq; ad bellum

1 magis ſunt neceſſarii.

2 2, quia minoribus ſumptibus & impenſis comparari & nutriri poſſunt,

3 quam equites. 3, quia non tantum ad opida propugnanda & expugnanda: ſed etiam in locis montoſis & impeditis nullus, aut exiguus vſus eſt

eſt equitum. 4, quia in pugna tardius quidem, ſed certius vincunt pedites, quam equites. 4

At contra pro equitibus afferuntur hęc argumenta: 1, quia hi in campis & pugnis citò parãt victoriam. 2, quia ad fugandum & perſequendum hoſtes paratiores ſunt & promptiores equites. 3, quia in equitibus præcipuum belli robur ſitum eſt. Hinc etiam Polybius lib. 3. ait, *melius eſſe, ad belli vſus dimidiam partem peditum habere, & prævalere numero equitum.* Cæterum ſi ad totum bellum reſpiciatur, videtur rectè à Lipſio concludi, penes peditem plus roboris eſſe, quam penes equitem. Ideoq; etiam melius eſſe in bello peditatu, quam equitatu prævalere. *Pro equitib. Argum.* 1 2 3

13 An dux belli ſit neceſſarius, & quæ in illo eligendo ſint ſpectanda?

DVcem belli eſſe neceſſarium, id patet ex ſequentibus rationibus: 1, quia dux belli eſt caput exercitus. Ideoq; ſicut corpus humanum ſine capite eſt truncus iners & inutilis: ita exercitus ſine duce eſt multitudo hominum vaga & inordinata. 2, quia penes ducem eſt ſummum belli regimen: ſine quo non minus exercitus conſiſtere poteſt, ac corpus humanum ſine anima, aut ſpiritu vitali. 3, quia quod in naui eſt gubernator, in curru auriga, in choro præcentor, in ciuitate magiſtratus: id eſt dux belli in exercitu. Porrò in duce belli eligendo, quædam primariò, quædam ſecundariò ſunt ſpectãda. Primariò ſpectanda ſunt quatuor potiſſimum, nimirum ſcientia ſeu peritia rei militaris, virtus, authoritas & felicitas. Secundariò vero *Pro neceſſitate Ducis.* 1 2 3 *Quæ ſpectanda in belli duce eligendo.*

ſpectanda ſunt familia, patria ætas & id genus alia, quæ omnia ex ſequentibus melius intelligentur.

14 *An Dux belli ex nobili & illuſtri potius, quam ignobili ac obſcura familia ſit eligendus?*

Pro theſi affir. Argum. PRo theſi affirmante faciunt hæc argumenta: 1, quia ſplendor familiæ plurimum confert ad comparandam & conſeruandam authoritatem, quæ in duce belli requiritur. 2, quia parit amorem & beneuolentiam apud milites. 3, quia incitat ducem ad æmulandum virtutes maiorum ſuorum: quatenus turpe eſſe iudicat ab his degenerare. 4, quia cum ſimile ſibi ſimile procreare ſoleat: probabile eſt ad virtutem propenſiorem eſſe ducem belli, qui ex illuſtri, quam qui ex obſcura familia eſt natus.

Pro theſi neg. Argum. At pro theſi negante adducuntur hæc argumenta: 1, quia in officiis mandandis non ſplendor natalium, ſed virtus principaliter ſpectanda eſt: neque tam homines, quam hominum actiones conſiderandæ. 2, quia non rarò contingit, vt illi qui illuſtres habent natales à virtute maiorum ſuorum degenerent: Contra verò, qui obſcuro loco nati ſunt, virtutum ornamentis ſplendeant. 3, quia ſicut gubernatio nauis non committenda eſt ei, qui natalium ſplendore, ſed qui nauigandi peritia & vigilantia alios ſuperat: Ita belli adminiſtratio ei committenda, non qui generis nobilitate ſed qui prudentia & fortitudine bellica reliquos antecellit.

cellit. 4. quia Themiſtocles & Iphicrates obſcuro 4
loco nati ſunt: & tamen inſignes duces Athenienſium fuerunt. Pro deciſione quæſtionis ſciendum eſt in duce belli eligendo primario non eſſe ſpectandum genus, ſed potius prudentiam & virtutem: Interim tamen cæteris paribus melius eſſe ducem belli ex illuſtri, quam obſcura familia eligere.

Quæſtio deciditur.

15 An peregrinus potius, quam indigena Dux belli ſit eligendus?

Pro theſi neg. Argum.

PRo theſi negante faciunt hæc argumenta: 1, quia dux peregrinus magnis ſtipẽdiis & præmiis conducitur. 2, quia ſecum adducit ſuæ nationis homines, qui indigenis non ſecus ac locuſtæ ſegeti damnum inferunt. 3, quia non perſpectam & exploratam habet regionum conditionem, hominumq; in iis habitantium ingenia & mores. 4, quia pleraq, innouare ſolet. 5, quia nõ tam ſalutem & incolumitatem Reipublicæ, cui inſeruit, quam ſuum proprium commodum quærit. 6, quia militibus minus gratus eſt ac indigena: Ideoq; fit, vt frequentius inde factiones & ſeditiones oriantur.

Pro theſi affir. Argum.

Pro theſi affirmante hæc argumenta afferuntur: 1, quia peregrinus Dux maiorem apud milites authoritatem habet, quam indigena. 2, quia homines magis extra patriam, quam in patria honorari ſolent. 3, quia peregrinus minus inuidiæ eſt obnoxius, quam indigena: Ideoq; etiam minus illius gratia factiones excitantur.

Quæſtio deciditur.

Pro deciſione quæſtionis dico cæteris paribus indigenam potius, quam peregrinum

ducem eſſe eligendum: ſed ſi haberi non poſ-
ſit, peregrinum aliunde eſſe accerſendum.

16 An ſenex potius, quam iuuenis dux belli ſit eligendus?

Pro theſi affir. Argum. PRo theſi affirmante valent hęc argumenta: 1, quia ſenex eſt prudentior & peritior rei militaris ac iuuenis: ſiquidem tertium quaſi oculum habet experientiam, quo rerum principia ac euentus melius ac facilius proſpicit. 2, quia maior eſt authoritas in ſenibus, quam in iuuenibus. 3, quia ſenex affectibus & cupiditatibus minus ducitur. 4, quia fallaciis & deceptionibus minus eſt obnoxius.

Pro theſi neg. Argum. At pro theſi negante adducuntur hæc argumenta: 1, quia ſenex eſt meticuloſus, omniaque timidè & frigidè agit: contra autem iuuenis eſt fortis & animoſus. 2, quia ſenex eſt imbecillis, variiſq; morbis, quos ſenectus ſecum affert, obnoxius. Ideoq; minus aptus ad aggrediendum res arduas & laborioſas. 3, quia ab excellenti virtute ætatis progreſſus non eſt expectandus: Imò ſi expectanda ſemper ætas foret, ſæpè magna indoles virtutis extincta prius fuiſſet, quam Reipublicæ prodeſſe potuiſſet. 4, quia ſæpe res magnæ & præclaræ in bello à Iuuenibus geſtæ ſunt, vt teſtantur exempla Publii Scipionis Africani, Alexandri M. Hannibalis, Auguſti Cæſaris & aliorum.

Quæſtio deciditur. Pro deciſione quæſtionis dico cæteris paribus, ſenem potius, quam iuuenem belli ducem eſſe eligendum: ſed ſi in iuuene plura virtutum ornamenta, quam in ſene conſpiciantur, illum huic eſſe præferendum.

17 An

17 *An peritia rei militaris potius, quam virtus in duce belli ſit ſpectanda?*

PRo theſi affirmante faciunt hæc argumenta: 1, quia Ducis officium melius ſcientia, quam virtute perfici videtur. 2, quia peritia rei militaris affert confidentiam duci belli: quatenus facere is nihil metuit, quod bene ſe didiciſſe nouit. 3, quia imperitia rei militaris in duce eſt cauſa magnarum cladium: imo plus impedimenti ac damni affert in bello gerendo, quam improbitas. 4, quia dux improbus, qui peritus eſt rei militaris, plus præſtare poteſt, quam Dux probus, qui imperitus eſt. *Pro theſi affir. Argum.* 1 2 3 4

At contra pro theſi negante faciunt hæc argumenta: 1, quia peritia rei militaris ſine virtute eſt gladius in manu hominis furentis. 2, quia virtus duci maiorem amorem ac reuerentiam conciliat. 3, quia virtus rectum vſum omnibus rebus præſcribit, & ſine ea nihil præclarè & laudabiliter à duce belli fieri poteſt. 4, quia Dux probus & pius fautorem & adiutorem ſibi habet Deum, à quo omnis belli fortuna & victoria pendet. 5, quia *prudentia ſine virtute non eſt dicenda prudentia, ſed calliditas & verſutia*, vt ait Lipſius lib. 1. ciuilis doctrinæ cap. 1. *Pro theſi neg. Argum.* 1 2 3 4 5

Pro deciſione quæſtionis dico in belli duce vtramq; quidem requiri & rei militaris peritiam & virtutem: & tamen ſi vna ab his duabus abeſſe debeat: melius eſſe rei militaris peritiam, quam virtutem abeſſe: cum illius defectus per peritos conſiliarios, aliosq; inferiores militum præfectos compenſari poſſit: huius autem minimè. *Quæſtio deciditur.*

18 Quæ virtutes in duce belli maximè requirantur?

Virtutes in Duce belli requiſitæ recenſentur. ETſi nulla virtus moralis eſt, quæ duci belli non conueniat: tamen maximè in eo requiritur: 1, fortitudo bellica vt aptus ſit ad res
1 arduas & periculoſas animosè & intrepide aggrediendum, omniaq; moleſta & aduerſa patienter ſuſtinendum. Melior enim eſt exercitus ceruorum duce leone, quam leonum duce ceruo: Et fortes redduntur milites, cum duces ſuos fortes conſpiciunt. 2, ſedulitas, vt ſingulas
2 ſui officii partes diligenter exequatur: propterea quod publica videatur iniuria, ſi ipſius incuria & culpa aliquid in bello eueniat. 3, vigilan-
3 tia, vt hoſtium conſilia eò melius explorare poſſit. 4, ſeueritas, vt omnes legum militarium
4 transgreſſores debitis modis puniat. Sine ſeueritate enim tumultuosè ac perturbatè omnia fiunt: & non tantum diſciplina militaris eneruatur: ſed etiam authoritas ducis imminuitur, & res hoſtium augentur. Cauendum tamen eſt in ipſa ſeueritate exercenda ne quid fiat nimis. Parum enim fidos nimis a-
Cautela.
5 cerbi duces inueniunt milites. 5, taciturnitas, vt occultet ſua conſilia, eaque nec voce, nec vultu, nec alio modo detegat. *Vinculum enim optimum eſt rerum gerendarum publicarum taciturnitas*, vt ait Valerius Max. lib. 2. capit. 5. Et tutiſſimum creditur in expeditionibus facienda neſciri. Ideoque laudatur Mauritius Saxoniæ Elector, quod dixerit, *Ne pileum quidem ſuum ſe retenturum, ſi noſſet arcana illum ſua ſcire.*

ſcire. 6, Continentia & temperantia, ne à voluptatibus corporis, præſertim quæ circa victum & venerem verſantur, ſuperetur. Non enim poteſt exercitum is continere Imperator, qui ſeipſum non continet: neque meditari & agere poteſt fortia, qui voluptates admittit. 6

19 An ducem belli oporteat eſſe eloquentem & & facundum?

PRo theſi affirmanre faciunt hæc argumenta: 1, quia ſine eloquentia non poteſt Dux belli militum animos mouere & inflammare ad fortiter pugnandum: neque ſeditiones & tumultus compeſcere, neque in officio exercitum continere. 2, quia verbis ſæpè citius, quam armis victoria obtineri ſolet & poteſt. 3, quia victoria quam dux belli armis conſequitur, partem milites ſibi vendicant: quæ autem verbis obtinetur, ad ſolam ipſius gloriam pertinet. Idcircò etiam Philippus Macedonum rex magis gloriari eſt ſolitus, ſi quam verbis victoriam adeptus eſſet, quam armis: quod huius partem ſibi milites vendicare exiſtimaret: illam verò ad ſuam ipſius laudem pertinere. 4, quia dicendi facultate olim floruerunt quique duces belli præſtantiſſimi, cuiuſmodi fuerunt Iulius Cæſar, Alexander Magnus, Epaminondas, de quo dicitur, quod lingua prius, quam armis hoſtes vicerit. Item Pyrrhi legatus Cyneas, de quo ipſe rex faſſus eſt, plures ipſum vrbes eloquentia, quam armis occupaſſe.

Pro theſi aff. Argum. 1 2 3 4

20 *An ipſum principem & ducem belli pugn[...] intereſſe oporteat?*

Pro theſi neg. Argum.

PRo theſi negante faciunt hæc argumenta
1 quia Princeps belli dubiis præliorum caſi
ſe eximere, & ſummæ rerum ac imperii reſe[...]
re debet: præſertim cum eo mortuo de ipſa
pub. ſit actum aut ſaltem magna in ea muta
2 aut innouatio ſuboriatur. 2, quia dux belli
pſum negligens non ſibi ſolum, ſed toti exe
3 tui nocet. 3, quia imperii dignitas magnif
4 enda eſt, & non temerè proſtituenda. 4, q
exercitus ſimilis eſt corpori humano: vbi c
manibus conferuntur pedites; cum pedi
equites; cum pectore & thorace ipſa acies; c
capite deniq; ipſe Dux & Imperator. Proi
5 cauendum eſt, ne capiti noxa inferatur. 5, q
noſtro ſeculo in præliis non tam manu ſtren
quam ſorte pugnatur propter machinas be
cas, quibus ſubitò & ex improuiſo necari po
6 dux, qui alias in ſe eſt valde ſtrenuus & forti
quia in milite vnius ſors eſt: in imperatore v
7 uerſorum periculum eſt. 7, quia vnius ducis
lus pro decem millibus reputatur: reliquor
8 vero non ita magna cenſetur iactura. 8, q
princeps eſt lucerna Reipub. Ideoq; ne ext
9 guatur cauendum eſt. 9, quia ducis offici
eſt iubere & conſulere: non verò per ſeipſ
10 omnia exequi: cum poſſit per vicarios & le
tos ſuos præclarè res gerere & conficere. 10, q
cauendum eſt, ne Dux belli inter pugnand
captiuus abducatur: & ſic Reipublicæ facul
tes pro eius redemptione exhauriantur.

At cōtra pro theſi affirmāte adducuntur hęc argumenta: 1, quia Princeps & Dux belli in exercitu veluti numen quoddā ſeu Deus terrenus eſt, ex quo milites ſpiritus vidētur capere fortes. 2, quia præſentia ducis & principis magnum ad pugnandum eſt incitamentum quatenus is cuiuſque fortitudinem & ignauiam obſeruat, militesque ipſi videntes ducem ſuum fortiter pugnare, ipſi quoq; animoſius in prælia ruunt. 3, quia vbi ſummus imperator non adeſt ad exercitum: citius quod non facto eſt vſus fit, quam quod facto eſt opus. 4, quia in rebus arduis princeps præſens longè accuratius & melius ſingula proſpicit, quam abſens: & nemo audet detrectare eius imperium. Contra verò eo abſente cæteri præfecti militū dum certant inter ſe quis alteri iubere debeat, in diſcrimina multa exercitum coniiciunt, aliis pugnādum, aliis ſubſiſtendum, aliis obtemperandum, aliis minimè, aſſentientibus: 5, quia victoria non tam militum robore ac fortitudine, quàm autoritate præſentis ducis conſtat. 6, quia fieri plerunque ſolet, vt abſente duce fortiſſimi quiq; ſeſe ſubtrahant, & animus cæterorum frangatur. 7, quia idcircò Macedones contra Illyricos & Thraces pugnaturi etiam infantem regem ſuum in prælium tulerunt ad animandum milites.

Pro theſ. affir. Argum. 1 2 3 4 5 6 7

Pro deciſione quæſtionis diſtinguendum eſt inter principem Reipub. & ducem belli à principe exercitui præfectum. Illum enim non neceſſe eſt pugnæ intereſſe: niſi ſumma neceſſitas & ſalus Reipublicæ hoc efflagitet: cum poſſit per ſuum vicarium & electum belli ducem feli-

Quæſtio deciditur per diſtinct.

citer omnia exequi: Hunc verò neceſſe eſt pugnæ intereſſe, ſed ita, vt ſibi, quantum honeſtas patitur, caueat, neq; temere in pericula ſeſe coniiciat.

20 An Dux belli debeat eſſe vnus, an plures?

Pro vnitate Ducis Arg.

PRo vnitate ducis valent hæc argumenta: 1, quia *In bello gerendo duo plurimum obeſſe ſolent*, teſte Thucydide, nempe *nullum imperium, & multitudo imperantium.* Vnde etiam rectè Homerus Iliados 2. canit.

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω.

Non bonũ eſt multorũ imperiũ: vnus ſit dominus.

2 2, quia inter plures duces belli exiſtunt æmulationes, diffidia & contentiones: dum alter alteri præferri cupit. 3, quia multitudine imperantium optima belli conſilia impediuntur, & præclaræ occaſiones rerum gerendarum è manibus effluunt. 4, quia in exercitu non eſt tanta autoritas plurium, quam vnius ducis, penes quem eſt ſummum imperium, cuique omnes alii obtemperare tenentur.

Prò pluralitate ducum. Argum.

At contra pro pluralitate ducum videntur militare hæc argumenta: 1, quia vnus vir non videt omnia: & plura vident oculi quam oculus. 2, quia periculoſum eſt totam belli fortunã vnius ducis menti & voluntati committere: præſertim ſi is ſit imperitus rei militaris, & in agendo temerarius.

Reſponſio ad arg. poſter.

Sed reſponderi poteſt ad hæc argumenta, ducem belli, etiamſi ſit tantum vnus: nihil tamen ex ſuo ſolius cõſilio agere debere: ſed ſemper adhibere in conſilium viros prudentes ſibi adiunctos.

22 *An bellum prius ſit indicandum, quam gerendum?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia bellum non iudicatur iuſtum, niſi prius ſit indictum. 2, quia bellum non eſt gerendum ſi alia ratione honeſta negotium componi vel euitari poſſit. Ad illud autem plurimum valet belli indictio. 3, quia Scriptura ſacra præcipit belli indictionem Deuter. 20. *Si quando acceſſeris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primum pacem: ſi receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui ibi eſt ſaluabitur & ſeruiet tibi ſub tributo: Sin autem fœdus inire noluerit & cœperit contra te bellum: oppugnabis eam.* 4, quia Romani hanc olim ſemper obſeruarunt conſuetudinem, vt antequam bellum inferrent, illud indicerent iis, à quibus factas eſſe iniurias ſciebant: Hinc mittebant ſpeciales legatos res repetitum, qui ſi poſtulata impetraſſent, fœdus cum iis feriebant: ſin minus, re deliberata bellum indicebant.

Pro theſi affir. Ratio. 1 2 3 4

23 *Vtrum melius ſit hoſtem domi expectare, an verò in finibus illius belligerari?*

HÆc quæſtio à Politicis in vtramq; partem diſceptatur. Alii enim ſtatuunt hoſtem domi non eſſe expectandum: ſed bellum eidē in proprio ipſius territorio inferendum. Alii verò contra ſentiunt.

Argumenta pro priore ſententia ſunt: 1, quia cum hoſtis domi expectatur, metuendum eſt, ne fugati ditione exuamur: quandoquidem

Pro priore ſententia, Argum. 1

clades non ita facile ſarciri poteſt, aut nouus il-
lico exercitus comparari: contra in alieno ſolo
2 clades eſt leuior. 2, quia victoria amplior eſt eo-
rum, qui non in ſua, ſed aliena terra bellum ge-
runt. Ita enim recta pergere poſſunt, non ſo-
lum ad bona occupanda: verum etiam ad to-
3 tam ditionem inuadendam. 3, quia cum bel-
lum domi geritur, agri deuaſtantur, bona ſub-
ditorum diripiuntur, nec horum opera tutò vti
licet nobis, aut etiam tributum flagitare: atque
ita fons belli, vnde præſidia manant, exiccatur.
4 4, quia qui in aliena regione milites ſuos habēt,
maxima neceſſitate conſtringuntur, cum vide-
ant periculum eminens, atq; ita fortiores eua-
5 dunt. 5, quia qui hoſtem inuadunt, ſemper ſunt
animoſiores, & maior ſpes animuſque eſt infe-
rentis vim, quàm arcentis & propulſantis peri-
6 culum. 6, quia maior rerum ignotarum terror
7 eſſe conſueuit. 7, quia ſicut fluuii quò longius à
fontibus recedunt, eò magis augentur & curſu
incitatiori feruntur, aliis ſcilicet fluminibus ex-
8 ceptis: Ita exercitus quò longius à laribus dedu-
citur, eò magis creſcit & confirmatur. 8, quia
ſicut illi, qui veſpas ex ſuo alueario egreſſas in-
feſtant, multarum aculeis ſunt ſubiecti: qui ve-
rò ignem admouerit, cum adhuc ſunt incluſæ in
ſuo alueario, tacitè veſpas necant: Ita qui ho-
ſtem domi inuadit, & non expectat, dum ille ex
ſua terra egrediatur, feliciter bellum gerere ſo-
9 let. 9, quia ad dignitatem & famam plurimum
conducit, habere animum non modo defen-
dendi, ſed etiam inuadendi hoſtem in ſua pro-
pria terra. 10, quia clariſſimi belli duces malue-
runt

tunt in aliena, quam propria terra belligerare. Hinc Agathocles cum Carthagineńſium impetus domi ſuſtinere non poſſet, foris pugnando eos ad pacem petendam impulit.

Argumenta pro poſteriore ſententia ſunt:1, quia exercitum ducere in alienam regionem ſumptuoſum ſimul eſt & periculoſum. Hinc Cyrus Maſſagetis bellum inferens, tandem ab iis fuit interfectus. Et Athenienſes cum bello domi relicto magnam claſſem in Ciciliam tranſmitterent, vna nauali pugna Rempublicam florẽtem in perpetuum afflixerunt. 2, quia ibi graue eſt bellum gerere: vbi nullus eſt portus claſſi apertus, non ager pacatus, non ciuitas ſocia, nõ conſiſtendi & procedendi locus, & quocunque conſpexeris, omnia ſunt hoſtilia. 3, quia non tutum eſt fidem habere iis, qui ſe itineris comites, duces, ſocios & amicos expeditionis profitentur: quod fraus fidem in paruis ſibi præſtruit, vt cum operæ eſt pretium, cum mercede magna fallat. 4, quia cum domi bellum geritur omnes ſubditi velut ad commune incendium reſtinguendum magno impetu & ardore animi concurrunt, vt mœnia patriæ, templa, aras, focos, defendant. 5, quia cum domi bellum geritur, commeatu, aliiſq; rebus neceſſariis ſine periculo nos munire poſſumus. 6, quia ſi res minus proſpere in prælio geratur, plures propter ſitus loci peritiam fuga ſibi conſulere, & vires inſtaurare poſſunt.

Pro poſter. ſentent. Argum. 1 2 3 4 5 6

Pro deciſione quæſtionis adhibenda eſt diſtinctio regionum & locorum. Sunt enim quædã regiones munitę vel artę vel natura: inſtructę

Quæſtio deciditur per diſtinct.

etiam viris rei militaris peritis & fortibus: quædam etiam non item. Vbi igitur munitæ & inſtructæ ſunt regiones, melius eſt domi, quam foris bellum gerere & hoſtem expectare, non præuenire: vbi vero defectus harum rerum eſt, ſatius eſt longe à patria bellum gerere.

24 *An in bello vti liceat ſtrategematis?*

Pro theſi affir. Argum.

PRo theſi affirmante faciunt hæc argumenta: *1*, quia ſtrategemata nihil aliud ſunt, quã
1 conſilia obliqua & flexuoſa ſolerter excogitata ad circumueniendum hoſtem: Et dicuntur ſtrategemata, vel quia à duce belli, qui Græcè dicitur ϛρατηγὸς, inueniuntur: vel quia duce belli
2 maximè ſunt digna. 2, quia in bello nihil eſt vtilius ſtrategematis: quippe quę ratione & mente potius, quam vi & robore corporis perficiuntur. Hinc rectè Xenophon: Οὕτως οὐδὲν κερδαλεώτερον ἐν πολέμῳ ἀπάτης *Vere nihil vtilius eſt in bello quã*
3 *dolus.* 3, quia ſumma ducis gloria putatur, victoriam per ſtrategemata ſine periculo compa-
4 rare. 4, quia vt Braſides vir & dux bonus ait, *Illa belli furta pulcherrimam habent laudem, per quæ hoſtes maximè decipiuntur & amici plurimum in-*
5 *uantur.* 5, quia ſtrategematis vſi ſunt viri pietate, ſapientia & prudentia inſignes, vt hiſtoria
6 ſacra & profana teſtatur. 6, quia teſte Auguſtino, *cum bellum iuſtum ſuſcipitur, vtrum apertè*
7 *pugnes, an ex inſidiis, nihil ad iuſtitiam intereſt.* 7, quia viri docti ſtrategemata bellica digna iudicarunt, quæ literarum monumentis conſignarentur: in primis Frontinus libros aliquot ſtrate-

ſtrategematum collegit & pulchrè ſecundum capita & materiam digeſſit. 8, quia vt Polybius lib. 8. ait *facinorum militarium ea eſſe minoris laudis & momenti quæ propalam ac per vim patrantur, his quæ ex occaſione & per dolum.*

At in contrariam partem afferri poſſunt hæc argumenta: 1, quia boni viri & militis eſt non occultè & fraudulenter, ſed palam hoſtem vlciſci & ſuperare. 2, quia non poteſt eſſe victoria ſplendida, quæ dolo, non virtute paratur. 3, quia victoria, quæ ſtrategematis acquiritur, non ſolet eſſe firma & ſolida: propterea quod facile ſe colligunt, qui dolo occubuerunt. 4, quia vera victoria eſt, quæ ſalua fide & dignitate paratur. Non poteſt autem fides & dignitas eſſe ſalua, vbi ſtrategemata locum habent.

Prothesis neg. Argum. 1 2 3 4

Pro deciſione quæſtionis diſtinguendum eſt: 1, inter ſtrategemata, quæ ſunt honeſta & iuſta, & inter ea, quæ ſunt inhoneſta & iniuſta, vt ſi quis hoſtem veneno tollat, aut clam immiſſo, emptoque percuſſore. Illis enim licitum eſt vti in bello: his verò non. Deinde diſtinguendum eſt inter dolum bonum, & malum: quorum ille nihil aliud eſt quàm conſilium ſ[illegible]s, quod illæſa iuſtitia aduerſus alium ſuſcipitur: hic verò ſemper cum iniuſtitia eſt coniunctus. Priore licet vti in bello: non autem poſteriore.

Quæſtio deciditur per diſtinct. 1 2

25 *An proditione in bello vti liceat?*

PRo theſi negāte faciunt hęc argumēta: 1, quia proditio eſt peccatum morale ex infidelitate

Prothesi neg. Argum. 1

ſeu perfidia ortum. Nullo autem peccato morali vti licet in bello iuxta regulam: *Non ſunt facienda mala, vt eueniant bona.*
2 2, quia proditio eſt
3 inhoneſta & infamis. 3, quia pugnat ex diametro cum dilectione proximi: præſertim ea, quæ
4 patriæ, & Reipub. debetur. 4. quia omnibus viris bonis patriæq; amantibus improbatur tanquam res exoſa & deteſtabilis. Hinc Camillus ludi literarii magiſtrum principum filios ad ſe adducentem, vinctum pueris tradidit, & ad hoſtem transmiſit teſte Liuio lib. 5. decad. 1. & Plutarcho in vita Camilli. Et Romani remiſerunt Medicum, qui veneno ſe necaturum Pyrrhum regem ſuum promiſerat. Hinc etiam Aurelianus & Maximinus Imperatores proditores interfecerunt.

Pro theſi affir. Argum. At pro theſi affirmante adduci ſolent hæc argumenta: 1, quia hoſtes quouis modo fallere nō
1 modo eſt iuſtum & honeſtum, ſed etiam iucun-
2 dum & lucroſum. Ergo etiam proditione vti. 2, quia magiſtratus quouis modo eſt iuuandus, vt
3 hoſtis ſuperetur & extirpetur. 3, quia proditio eſt grata & laudari ſolet: tametſi ipſi proditores
4 ſint exoſi. 4, quia in ſacris literis legimus Gabaonitas prodidiſſe Calonæos; Rachab ſuam patriam; Ionathanem Sauli patris conſilium.

Soluuntur argumenta. Reſponderi autem poteſt ad hæc argumenta:
1 1, licitum quidem eſſe hoſtes fallere & iuuare magiſtratum quouis modo honeſto & legitimo; non autem vllo modo inhoneſto & illegitimo.
2 2, proditionem quidem gratam eſſe viris improbis, qui peccatis delectantur, non autem probis,
3 qui à peccatis abhorrent. 3, non exemplis, ſed legi-

legibus iudicandum eſſe: neq; Rachaba in patriam ſuam, neq; Ionathanem patrē ſuum prodidiſſe, ſed exercuiſſe opus charitatis erga homines innocentes.

26 *An ſecuritas ſit in bello fugienda?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia nemo celerius opprimitur, quam qui nihil timet. 2, quia frequentiſſimum initium calamitatis eſt ſecuritas. 3, quia ex contemptu hoſtis oritur ſecuritas, Is autem eſt valdè periculoſus & noxius. Idcircò rectè ait Curtius lib. 6. *Nihil tutò in hoſte deſpicitur: quem ſpreueris, valentiorem negligentia efficies.* 4, quia nihil in bello eſt paruum. Ideoq; nihil contemni debet: cum ſæpè paruis momentis magni caſus intercedant. 5, quia nimia fiducia ſemper eſt noxia. Fiduciæ autem nimiæ ſoboles eſt ſecuritas. 6, quia in bello diligenter inquirendum eſt in omnia: præſertim vero in vires, mores, naturamq; hoſtium, in ſitum & naturam locorum, in tempus, occaſionem & modum agendi. Id autem fieri non poteſt, vbi ſecuritas dominatur.

Pro theſi affir. Ratio. 1 2 3 4 5 6

27 *An diſciplina militaris in bello ſit neceſſaria: & quomodo inſtituenda?*

DIſciplinam militarem in bello eſſe neceſſariam patet ex ſequentibus rationibus: 1, quia eſt conformatio vera militis ad robur & virtutem. 2, quia eſt præcipuum decus & ſtabilimentum imperii militaris. 3, quia eſt optimū medium continendi milites in officio. 4, quia ex eius ſinu omnes triumphi manant. 5, quia ſine eo nihil prodeſt delectus militum: quippe

Pro neceſſitate diſciplinæ militaris. Ratio. 1 2 3 4 5

& inconſtantes: Ideoque ad militandum inepta & inutiles. 5, quia pudicitia mulierum in bello variis periculis & tentationibus exponitur. 6, quia rei militaris penitus ſunt imperitæ. 5 6

At contra pro theſi affirmante adducuntur hæc argumenta: 1, quia fœminis licitum eſt Rempublicam adminiſtrare. Ergò multò magis arma tractare: cum hoc minus ſit quam illud. 2, quia fœminæ ſunt iracundæ & vindictæ cupidæ: Ideoque etiam fortes: cum iracundia ſit cos fortitudinis. 3, quia hiſtoriæ teſtantur multas fuiſſe fortes & militares fœminas, quæ in bello præclarè ſeſe geſſerunt ac Reipublicæ plurimum profuerunt, vt Debora, Juditha, Amazones & aliæ. *Pro theſi affir. Argum.* 1 2 3

Pro deciſione quæſtionis dicendum eſſe exiſtimo ordinariè ſexui fœmineo non conuenire, vt arma tractet. Quod ſi tamen extrema neceſſitas id poſtulet, aut etiam quædam heroinæ reperiantur, quæ natura aptæ ad bellum gerendum factæ ſint: iis extraordinariè poſſe concedi. *Quæſtio deciditur.*

29 *An liceat militi mercenario cuilibet belligerantium parti operam ſuam addicere?*

SVnt quam plurimi noſtro ſeculo milites, qui eò impietatis progrediuntur, vt putent nihil intereſſe, cui operã ſuam in bello addicent, modo ſtipendium bonum accipiant. Sed hæc ſententia eſt nefaria, nulloque modo concedenda. Rationes ſunt: 1, quia nemo poteſt ſalua cóſcié- *Pro theſi neg. Ratio.* 1

tia ad bellum accedere, niſi ſciat bellum eſſe iuſtum.
2 ſtum. 2, quia nemo ſciens debet iniuſtitiæ eſſe adminiſter, iniuriamq; & damnum inferre ei, quem ſcit eſſe innocentē.
3 3, quia immane quiddam & belluarum ſimile eſt in acie temerè verſari, & ſine iuſta cauſa manu cum hoſtibus confligere.
4 4, quia iuſta cauſa belli animoſos reddit milites & ipſis ſpem victoriæ affert. Contra autem, iniuſta cauſa belli eneruat animos militū, omnemq; iis fiduciā adimit. Hinc rectè Poeta:

Frangit & attollit vires in milite cauſa:
Quæ niſi iuſta ſubeſt, excutit arma pudor.

Et Euripedes non malè inquit:

Οὐδεὶς στρατεύσας ἄδικα σῶς ἦλθεν πάλιν.

Nemo militans iniuſtè ſaluus rediit.

30 An hoſti fides ſit ſeruanda?

Pro theſi affir. Ratio. STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia iuſtitia etiam cum hoſte eſt exercenda.
1 Iuſtitiæ autem fundamentum eſt fides, hoc eſt dictorum conuentorumque conſtantia & veritas.
2 2, quia contra ius gentium & ciuile eſt fidē frangere hoſti.
3 3, quia idem ſuadet exemplum Ioſuæ, qui fidem pacis Gabaonitis datam ſeruauit: tametſi ſciret dolo illam eſſe impetratam.
4 4, quia perfidia eſt vitium deterrimum & turpiſſimum, quod omnibus hominibus eſt fugiendum. Ideoq; neq; aduerſus hoſtem vſurpandū.
5 5, quia hiſtoriæ teſtantur grauiter à Deo punitos
6 eſſe illos qui fidem hoſti datam violarūt. 6, quia ſine fide omnes Regum & Principes virtutes
7 obſcurantur. 7, quia nulla victoria tanta gloria afficit Principes, quantam ei affert fides ſeruata vt teſtatur exemplum M. Attilii Reguli. Idcircò

Romani

Romani populi fides perfidis etiam hoſtibus explorata erat. Quod ſi vero hoſtis ipſe primus fidem frangat, non neceſſe eſt, vt ab altera parte fides ei ſeruetur: cum non amplius ad ſeruandam fidem ſit obligata.

31 *An poſt victoriam ſeueritatis exemplum in victos ſit ſtatuendum?*

PRo theſi negante adducuntur hæc argumẽta: 1, quia argumentum nobilis & generoſi ingenii eſt victos clementer tractare. Et hoc teſtatur etiam illud Poetæ: *Pro theſi neg. Argum.* 1

Quo quiſq; eſt maior magis eſt placabilis ira,
Et faciles motus mens generoſa capit.
Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe leoni,
Pugna ſuum finem cum cadit hoſtis, habet.
At lupus & turpes inſtant morientibus vrſi,
Et quacunq; minor nobilitate fera eſt.

2, quia cupiditas vindictæ muliebre arguit ingenium. 3, quia nihil hominem magis ſimilem efficit Deo, quam ſe placabilem præbere erga eos, à quibus offenſus eſt. 4, quia clementia & miſericordia magis decent victorem, quam ſeueritas & crudelitas. Et longe regalius eſt benefacere, quam malefacere, conſeruare, quam perdere. 5, quia victoria modeſtè eſt habenda: & ſemper cogitandum rerum humanarum circulum quendam eſſe, qui non ſinat eoſdem ſemper eſſe felices: Et verum eſſe illud Publii Mimi: *Fortuna vitrea eſt, tunc cum ſplendet frangitur.* 6, quia qui deuictis miſericordiam & veniam denegãt, durum aduerſus ſeipſos iudicium accerſunt: ſiquidem iudicium immiſericors Dei erit aduerſus illos, qui miſericordiam erga alios non exer-

7 cent. 7, quia nihil perniciosius eſt, quam ad deſperationem redigere hoſtes: quia tales expugnatu ſunt difficiles.

8 8, quia non æquum eſt propter vnum noxium multos innocentes perdere.

Pro theſi affir. Argum. At contra pro theſi affirmante afferuntur hæc argumenta:

1 1, quia ſeueritas neceſſaria eſt ad terrorem incutiendum cum ipſi hoſti, tum

2 aliis. 2, quia periculum eſt, ne dum facile ignoſcit, plures incitentur ad experiendam aduerſus

3 victorem fortunam belli. 3, quia in ſacris literis legimus Dauidem ciuitati Rabanæ non pepercisse 2. Sam. 12. Item Saulum reprehenſum fuiſſe regnoq; priuatum, quod non occidiſſet Agag & omnia viuentia Amalechitarum. Item Achabum à Deo reprehenſum fuiſſe ob intempeſtiuam miſericordiam, quod pepercisset Benhadæ regi Syriæ 1. Reg. 10.

Quæſtio deciditur per diſtinct. Pro deciſione quæſtionis diſtinguendum eſt inter ſeueritatem immoderatam, quæ nihil aliud eſt, quam crudelitas & ſæuitia; & inter ſeueritatem moderatam, quæ eſt ſpecies iuſtitiæ. De priore vera eſt theſis negatiua. De poſteriore autem affirmatiua. Deinde quod ad exempla attinet ex ſacris literis allata, illa nihil faciunt contra theſin negatiuam. Deus enim expreſſum mandatum dederat illis regibus, cui meritò debuiſſent obedire, quemadmodum Dauid ipſe fecit.

31 *An pax cuiuis bello ſit anteponenda?*

Pro theſi affir. Argum. PRo theſi affirmante faciunt hæc argumenta:

1 1, quia nomen pacis dulce eſt; res verò ipſa tum

tum iucunda, tum ſalutaris: Contra autem nomen belli horrendum eſt: res verò ipſa moleſta & pernicioſa. 2, quia pace non modo ea, quibus Natura ſenſum dedit: ſed etiam tecta & agri lætari videntur: contra autem bello contriſtari. 3, quia vt Poeta Silius canit lib. 11. --- *Pax vltima rerum, Quas homini nouiſſe datum, pax vna triumphis Innumeris potior.* ---- Cum quo cõſentit illud Virgilii. 2

3

Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes,

4, quia victo & victori æquè vtilis eſt. Et vt Seneca ait in Hercule, *Pacem reduci velle victori expedit, victo neceſſe eſt.* 5, quia nullum bellum tam iuſtum eſt, quod non ſit fons infinitorum malorum tam publicorum, quam priuatorum. 6, quia *Pax vel iniuſta vtilior eſt iuſtiſſimo bello* vt ait Cicero ad Atticum lib. 7. epiſt. 14. 7, quia melior tutiorque eſt certa pax quam ſperata victoria: Illa enim in hominis; hæc in Dei manu eſt. 4 5 6 7

At pro theſi negante adducuntur hæc argumenta: 1, quia bellum iuſtum præferendum eſt paci iniuſtæ. 2, quia pax pernicioſa, præſertim illa, qua libertas Reipublicæ in ſeruitutem mutatur, poſtponenda eſt bello vtili, præſertim illi, quo priſtina Reipublicæ libertas aut conſeruatur, aut reſtituitur. 3, quia pax turpis & ignominioſa poſtponenda eſt bello honeſto & glorioſo. 4, quia pace fucata inſidioſa tutius eſt bellum. Idcirco rectè Cicero ait in 7. *Philippica, Se formidare bellum pacis nomine inuolutum.* *Pro theſi neg. Argum.* 1 2 3 4

Quæſtio decid.tur per d.ſtinct. Pro deciſione quæſtionis diſtinguendum eſt inter pacem, quæ honeſta eſt candida, fida, vtilis & glorioſa Reipublicæ: & inter eam, quæ eſt inhoneſta fucata, inſidioſa, noxia & ignominioſa. De priore vera eſt theſis affirmatiua quæſtionis: de poſteriore autem non. Idcirco etiam Petrus Gregorius lib. 11. de Repub. cap. 13. monet: *Cauendum eſſe, ne pacis prætextu ab eo quod iuſtum eſt diſcedamus: & ne cum torpore & ocio virtutem Reipub. extingui, aut in vitijs & indigna populo libero ſeruitute ſordeſcere permittamus.* Item, *Pax ſi iuſta & honeſta ſit, res eſt certè omnium rerum pulcherrima & optima: nihil tamen faciendum iniuſtè, aut patiendum turpiter, vt pace frui valeamus.*

33 *Quomodo bellum ſit diſtribuendum?*

Diuiſio belli. QVatruplex potiſſimum belli diuiſio apud
1 Politicos reperitur. Prima eſt quod bellum aliud eſt externum, aliud internum. Externum vocatur, quod aduerſus extraneos hoſtes geritur. Internum bellum eſt, quod vel ſubditi aduerſus magiſtratum, aut contra gerunt. Vnde
2 etiam dicitur bellum ciuile. Altera diuiſio eſt, quod bellum aliud eſt Politicum aliud religioſum: quorum illud pro ſalute Reipublicæ: hoc
3 pro religione ſuſcipitur. Tertia diuiſio eſt, quod bellum aliud eſt terreſtre, aliud nauale: quorum
4 illud in terra: hoc in mari geritur. Quarta & vltima eſt, quod bellum aliud eſt defenſiuum, aliud offenſiuum: quorum illud fit propulſanda; hoc inferenda vi. Sed quia nullum bellum offenſiuum eſt iuſtum, niſi fiat propter iniuriæ, quæ Reipub. illata eſt, vindicationem. Idcircò melius

melius faciunt illi qui bellum iuſtum, aliud di-
cunt eſſe defenſiuum, aliud vindicatiuum: quo-
rum illud propulſandæ: hoc vindicandæ iniu-
riæ gratia ſuſcipitur.

34 *An ciuile bellum omnibus modis ſit præcauendum & fugiendum: præſertim viro bono?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, *Pro theſi af-*
quia nihil miſerius fædius & perniciosius eſt *fir. Ratio.*
bello ciuili. Ideoq; non immeritò *mare calamita-* 1
tum à Lipſio dicitur lib. 6. cap. 1. 2, quia vt Ho- 2
merus canit Iliad. θ

Ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιος ἐστὶν ἐκεῖνος
Ὃς, πολέμου ἔραται ἐπιδημίου ὀκρυόεντος.

Ille nefarius, & ſine gente tribuq; mihi eſto
Qui ciuile cupit ferrum & execrabile bellum.

Cuius mentem explicuit & diffudit magis Tul-
lius Philip. 12. *Nec priuatos focos, nec publicas leges,*
nec libertatis iura chara habere poteſt quem diſcor-
diæ, quem cædes ciuium, quem bellum ciuile delectat:
eumq; ex numero hominum eijciendum, ex finibus
humanæ naturæ exterminandum puto. 3, quia nul- 3
lũ ſcelus, nulla impietas, nulla clades à bello ci-
uili abeſt. 4, quia nulla diſciplina militaris in 4
bello ciuili ſeruari poteſt: ſiquidem milites im-
pune in omne fas nefasq; auidi & vænales non
ſacro, non profano abſtinent. 5, quia in bello ci- 5
uili nihil miſerius quam victoria: quæ etiamſi
ad meliores venit: tamen eos ipſos ferociores
& impotentiores reddit: vt etſi natura tales nõ
ſint, neceſſitate eſſe cogantur. 6, quia bellorum 6
ciuilium hi ſemper ſunt exitus: vt non ſolum
ea fiant, quæ velit victor: verum etiam, vt iis
mos gerendus ſit, quibus adiutoribus parta eſt

7 victoria. 7, quia arma ciuilia neque parari, ne-
8 que haberi poſſunt per bonas artes. 8, quia in
bello ciuili Duces bonum publicum ſimulantes
pro ſua quiſque potentia, & dominatione cer-
9 tant. 9, quia ſæuitia quædam & feritas anne-
xa eſt bello ciuili, à qua immenſum abhorret
vir bonus. Hinc Cicero lib. 9. ad Atticum epiſt.
4. ait: *Melioris medius fidius ciuis & viri puto
quouis ſupplicio affici, quam illi crudelitati non ſolum
præeſſe, verum etiam intereſſe.* 10, quia ſecundum
Plutarchum in Bruto, χεῖρον ἐστι μοναρχίας παρανόμου πό-
λεμος ἐμφύλιος *Peius eſt iniuſto imperio bellum
ciuile.*

Pro theſin e.g. Argum. At in contrariam partem obiici poſſunt
hæc argumenta: 1, quia bellum ciuile eſt medi-
1 um ad reſtituendum, internum ciuium pacem
& concordiam: præſertim ſi nulla alia ratione
2 obtineri poſſit. 2, quia melius eſt & ſaluti com-
muni Reipublicæ conducibilius excitare bel-
lum ciuile ad reſiſtendum crudelitati Tyran-
norum, quam perpetuam ſeruitutem & affli-
3 ctionem ab iis perpeti. 3, quia vir bonus in bel-
lo ciuili à ſuis ſe non debet ſeiungere; ſed ſem-
per ſequi bonos: & quemcunque ſors tulerit
caſum ſubire potius cum iis, qui dicuntur eſſe
4 boni, quam à bonis diſſentire. 4, quia vir & ci-
uis malus eſt qui non vult cum aliis accurrere ad
reſtinguendum commune Reipub. incendium.
Idcirco etiam Sapiens Solon legem etiam con-
tra medios & quietos tulit. In caſu ciuilis diſ-
cordiæ, qui non in alterutra parte ſeſe adiun-
xerit, ſed ſolitarius, ſeparatusque à communi
malo ciuitatis ſeceſſerit: is domo, patria, for-
tuniſq;

tuniſque omnibus careto, exul extorriſq; eſto. 5, quia Cato Romanus, qui viua fuit virtutum imago non modo comitem ſe ciuilibus armis præbuit, ſed etiam ducem, vrgente extrema neceſſitate, 5

Pro deciſione quæſtionis primum diſtinguēdum eſſe videtur inter bellum ciuile, quatenus illud iuſtiſſima cauſa & extrema Reipub. neceſſitas ſuadet: & quatenus contrario modo ſeſe habet. De poſteriore vera eſt theſis affirmatiua quæſtionis. De priore autem non. Deinde diſtinguendum eſt inter viros & ciues bonos, quatenus ſunt clari & illuſtres publicisque Reipub. officiis præſunt: & quatenus ſunt minus clari, priuatamque vitam agunt. Priores non debent ſeſe ſubtrahere à bello ciuili in caſu extremæ neceſſitatis publicæ, ſed inſtar pecudum diſpulſarum ſui generis gregem ſequi: tum quia dignitati ſeruire, Reipub. conſulere, officiique rationem in omni vita ducere debent: tum quia turpe eſt tranquillis rebus ad clauum ſedere: turbatis vero eum abiicere. Sed tamen ita ſe immiſcere debent bello ciuili; vt appareat ſapientem & bonum ciuem initia belli ciuilis inuitum ſuſcipere, extrema non libenter perſequi. Id autem fiet, ſi conſilia ſua ad pacem ſemper referat, & in ipſo æſtu belli iræ & victoriæ moderentur.

Quæſtio deciditur per diſtinct.

1

2

Poſteriores verò à bello ciuili ſeſe ſubtrahant, ne videantur ſe in turbidum mare dare, qui tranquillum non tentarunt: ſed cum hac lege vt animo ſemper ſint propenſiores ad me-

liorem, quam ad deteriorem cauſam, imitari hac in parte exemplum Titi & Attici; qui ita in Repub. eſt verſatus vt ſemper optimatium partium & eſſet & exiſtimaretur: neq; tamen ſe ciuilibus fluctibus committeret, quod eos non magis in ſua poteſtate eſſe exiſtimabat, qui ſe his dediſſent, quam qui mari turbido iactarentur.

POLITICÆ

LIBER QVINTVS.

CAPVT I.

De diſtributione magiſtratus.

PRÆCEPTA.

1 *Hactenus dictum fuit de magiſtratus tum conſtitutione, tum recta, officii functione. Sequitur nunc eiuſdem diſtributio quæ ſumitur partim ex gradu imperii: partim ex obiecto, hoc eſt rebus, quibus præeſt.*

2 *Ex gradu imperii magiſtratus alius eſt ſummus, alius inferior.*

Summus magiſtrat⁹ quid ſit & quotuplex.

3 *Summus magiſtratus eſt, qui totius Reipublicæ curam gerit, & ius habet inferiori magiſtratui imperandi.*

4 *Eſt-*

4 Eſtque alius ſimpliciter, alius ſecundum quid ſummus.

5 Simpliciter ſummus eſt, qui ſupra ſe alium humanum magiſtratum non habet.

6 Secundum quid ſummus eſt, qui certo reſpectu ſupra ſe alium humanum magiſtratum habet.

7 In ſummo magiſtratu ſpectanda tum maieſtas, tum poteſtas. *Quæ ſint ſpectanda in ſummo magiſtratu.*

8 Maieſtas eſt dignitas magiſtratus ſummi, quâ ſupra omnes ſibi ſubiectos excellit & eminet.

9 Poteſtas eſt ius imperandi, quod magiſtratus ſummus in omnes ſibi ſubiectos obtinet.

10 Eaq; verſatur vel circa res diuinas, vel circa res humanas.

11 Circa res diuinas magiſtratus ſummus poteſtatem habet cultum Dei in ſua republica ex præſcripto verbi diuini rectè inſtituendi & conſeruandi.

12 Circa res humanas ſummus magiſtratus poteſtatem habet ſubditorum ſuorum mores recte informandi, & quaslibet controuerſias inter eos ortas ſiue publicas, ſiue priuatas, ſiue pecuniarias, ſiue criminales domi vel foris, in pace vel bello decidendi ſecundum legum poſitiuarum & æquitatis normam.

13 Inferior magiſtratus eſt qui ſummo magi-

ſtratui eſt ſubordinatus & ſubiectus, ab eoque omnem poteſtatem & dignitatem obtinet.

14 *Ex obiecto magiſtratus alius eſt togatus, alius armatus.*

15 *Togatus magiſtratus eſt, qui domi & in pace ſubditis togatis præſidet.*

16 *Armatus magiſtratus eſt, qui foris & in bello armatis militibus præeſt.*

I An vllus in terris magiſtratus abſolutam & illimitatam poteſtatem imperandi habeat?

Pro theſi neg. Ratio. STatuitur theſis negatiua. Rationes ſunt: 1, quia ſolus Deus abſolutam & illimitatam
1 imperandi poteſtatem in omnes ſuas creaturas obtinet: cum ſit rex regum, & dominus dominantium. Ideoq; nulli in terris magiſtratui quãtumuis ſummo attribui poteſt, niſi velimus illum planè Deo exæquare, quo nihil abſurdius
2 cogitari poteſt. 2, quia omnis in terris magiſtratus eſt miniſter & vicarius Dei. Ideoq; non niſi delegatam & circumſcriptam imperandi pote-
3 ſtatem habet. 3, quia omnis in terris magiſtratus legibus diuinis & naturalibus eſt aſtrictus. Ideoq; contra eas nihil illi licitum eſt vel præcipere, vel prohibere: ſi modo diuinæ maieſta-
4 tis iram & vindictam effugere velit. 4, quia omnis in terris magiſtratus tenetur etiam leges ciuiles à ſe conditas & approbatas ſeruare: quatenus ſpectant ad bonos mores, nec ſine honeſtatis læſione violare poſſunt. Et propterea etiam

etiam Iſidorus lib. 3. de ſummo bono cap. 52. ait. *Iuſtum eſt Principem legibus obtemperare ſuis. Tunc enim ſua iura, ab omnibus cuſtodienda exiſtimet, quando & ipſe illis reuerentiam præbet.* In eandem ſententiam Bodinus lib. 1. de Repub. cap. 8. inquit: *Certè nihil melius, nihil principe dignius. quam eas leges, quas ipſe tulerit, factis & vita comprobare. Id enim ad cultum & obedientiam ſubditorum erga principem valet plurimum: Contra verò nihil & ad principis & ad legum contemptum perniciosius, quam quod edixeris ac decreueris ſine iuſta cauſa perrumpere ac labefactare.* Item *Principi non licet mouere terminos, quos Deus optimus maximus, cuius ipſe eſt imago viuens & ſpirans ſempiternis naturæ legibus pepigit.* Hinc Antigonus Aſiæ rex cum illi adulator diceret: *omnia regibus licere, ac ſemper licuiſſe: Ita quidem barbaris,* inquit, *ac tyrannis.* Et rectè Paeutius ad Theodoſium Auguſtum: *Tantum tibi licet, quantum per leges licebit.* Nec malè Seneca: *Cæſari cum omnia licent, propter hoc minus licet.* 5, quia omnis in terris magiſtratus ſupremo mundi Monarchę & iudici Deo officii geſti rationem reddere tenetur. 5
6, quia nullus vnquam populus abſolutā & illimitatam poteſtatem imperandi habuit. 6
Ergo neq, magiſtratus vllus: cum is omnem poteſtatem à populo primitus acceperit. 7, quia digna vox eſt maieſtate regnantis, legibus alligatum ſe principem profiteri. 7
8, quia tyranni vox immanis & ſuperba eſt: 8

Sic volo, ſic iubeo: ſtat pro ratione voluntas. *Obiectio.*
Ideoque nullum magiſtratum bonum & pium decet.

At contra hanc ſententiam obiici ſolet Principem ſummum eſſe exlegem, hoc eſt legibus ſolutum. Ideoq; eius poteſtatem eſſe abſolutam & illimitatam. Reſpondeo, Principem ſummum dici exlegem non ſimpliciter: ſed ſecundum quid: quatenus non tenetur ſeruare illas leges ciuiles, quę ad ſui officii rationem minimè ſpectant. Hinc Bodinus rectè lib. 1. de Repub. cap. 8. inquit *Legibus diuinis & naturalibus principes omnes ac populi æquè obligantur: quas ſi perrumpere aut infirmare tentabunt, diuinæ maieſtatis iudicia non effugient.* Quod igitur ſummum in Repub. imperium legibus ſolutum diximus, id nihil ad diuinas aut naturales leges pertinet. Quod autem ibidem ait Bodinus *Principem ſuis legibus ac iuſſis obligari nullo modo poſſe*: id non ſimpliciter verum eſt, ſed tantum de iis legibus, quę ad Principis officium nihil ſpectant & ſalua honeſtate ac iuſtitia ab eo prætereiri poſſunt.

Solutio obiectionis.

Error Bodini taxatur.

2 *Quæ ſint propriæ notæ ſummi magiſtratus?*

CVm *ſummus magiſtratus ſit legatus immortalis ac præpotentis Dei, eiuſq; imago viuens ac ſpirans*, vt loquitur Bodinus lib. 1. de Repub. cap. 10. non modo vtile eſt; ſed etiam neceſſarium noſſe, quæ ſint propriæ ipſius notæ, ex quibus cognoſcatur. Illæ autem non aliunde melius, quam à iuribus propriis maieſtatis, quæ ab aliis dicuntur regalia, videntur ſumi poſſe: Quæ autem ſint iura propria maieſtatis ſummo magiſtratui conuenientia prolixè explicat Bodinus in loco antè citato: vbi primum aliorum opiniones recenſet & examinat: Deinde ſuam ſenten-

tentiam fusè exponit & demonſtrat. Inde igitur ego quoque, quæ ad explicationem huius quæſtionis pertinent, breuiter decerpam.

Iura maieſtatis recenſentur.

Inter iura autem propria maieſtatis primum ac præcipuum eſt ſecundum Bodinum, legem vniuerſis ac ſingulis ciuibus dare poſſe, ſine ſuperiorum, aut æqualium, aut inferiorum conſenſu. 1 Voce autem legis comprehendit etiam priuilegia, quæ appellat legē in vnum, aut paucos ciues latam, ſiue ad eorum commoda, ſiue ad detrimēta ſpectet. Et ſub datione legis complectitur eiuſdem abrogationem, derogationem, obrogationem & ſubrogationem. Cuius enim poteſtatis eſt legem iubere, eiuſdem etiā eſt abrogare, derogare, obrogare & ſubrogare, vt idem ibidem ait.

Alterum ius proprium maieſtatis eſt bellum 2 indicere aut pacem inire. Tertium eſt, magi- 3 ſtratus inferiores conſtituere, iiſque imperium dare vel adimere. Quartum eſt extrema ſub- 4 ditorum prouocatio ſeu appellatio, quæ fit ad ſummum magiſtratum. Quintum eſt iure vel 5 iniuria damnatos contra vim legum ac iudiciorum liberare: ſiue de capite ac fama, ſiue de bonis omnibus agatur. Sextum eſt, numum per- 6 cutere, eique figuram pondus & pretium præſcribere. Septimum eſt pondera & menſuras 7 iuſtas rerum in Repub. conſtituere. Octauum 8 eſt, vectigalia ac tributa imperare & exigere publicæ neceſſitatis & vtilitatis gratia: eorumque immunitatem aliis largiri. Hæc igitur iura maieſtatis, quæ hactenus enumerata ſunt, ſecundū Bodinum propriæ notæ ſunt ſummi magiſtra-

tus, vt cuicunque primò & per ſe competunt, is meritò pro ſummo magiſtratu habeatur & cenſeatur. Vtrum autem hæc iura maieſtatis, & ſi quæ alia ſunt, inferiori magiſtratui, aut priuatis etiam hominibus interdum communicari poſſint, aut etiam vllo temporis curriculo præſcribi: hoc aliis, præſertim Iureconſultis diſputandum relinquo.

3 *An ſummo magiſtratui bona ſubditorum vi diripere liceat?*

Pro theſi neg. Ratio. STatuitur theſis negatiua. Rationes ſunt: 1, quia hoc pugnat cum lege diuina, quæ prohibet, ne aliena bona concupiſcamus & diri-
1 piamus. 2, quia aduerſatur legi Naturæ, quæ po-
2 ſtulat, vt quod ab aliis nobis fieri nolumus, neq;
3 ipſi aliis faciamus. 3, quia pugnat cum fine magiſtratus, qui propterea conſtitutus eſt, vt ſit iuſtitiæ propugnator, ſubditorumq; ſalutem ac bo-
4 na cuſtodiat ac defendat. 4, quia tyranni pro-
5 prium eſt alienis bonis manus inferre. 5, quia ſummi magiſtratus poteſtas iuſtitiæ ponderibus ſemper exigenda eſt. Ideoq; nihil ei licitum eſt facere, quod iuſtitiæ aduerſatur. Vnde rectè Plinius Iunior in Panegyrico ad Traianum Auguſtum ait: *Vt felicitatis eſt poſſe, quantum velis; ſic magnitudinis velle, quantum poſſis.* Ex quibus verbis colligitur, nihil ſummum magiſtratum
6 poſſe, quod natura turpe eſt aut iniuſtum. 6, quia prædonum proprium eſt aliena bona vi di-
7 ripere ac prædari. 7, quia ſummo magiſtratui non licet terminos tranſilire, quos Deus Opt. Max. cuius ipſe eſt imago viuens & ſpirans, ſem-
piternis

piternis naturæ legibus pepigit. Ergo neq; ei licet, vi diripere alteri, quod ſuum eſt.

At pro contraria ſententia obiici poſſunt hęc argumenta: 1, quia Propheta Samuel lib. 1. Samuelis cap. 8, inter alia iura regis, qui imperaturus eſt Iſraelitis, numerat etiam v. 14. ius tollendi agros, vineas & oliueta optima ſubditorum, ſeruiſq; ſuis dandi. 2, quia *omnia ſunt principis* ſecundum commune Prouerbium, quod vulgò iactari ſolet. Ideoq; pro libitu de iis diſponere poteſt. Reſpondeo ad primam obiectionem cum Bodino lib. 1. de Repub. cap. 10. illa quæ à Samuele de iuribus regis dicuntur, non eſſe vera & legitima, ſed falſa & adulterina, adeoque ex praua gentilium conſuetudine introducta iura: neque ad bonum & iuſtum regem pertinere, ſed ad tyrannum, qui crudeliter & pro libitu cum ſuis ſubditis agit. Et hoc manifeſtum eſſe partim ex fine & ſcopo orationis Samuelis qui eſt reuocare velle populum Iſraeliticum à rerum innouatione & conuerſione Reipub. partim ex forma verborum quæ cap. 12. verſ. 3. ad populum habuit, vbi expreſsè gloriatur, ſe neq; peculatus, neq; iniuſtitiæ, neq; corruptelæ, neque alterius ſceleris iure accuſari poſſe.

Obiectio. 1

2

Soluuntur obiectiones. 1

Ad alteram obiectionem reſpondeo itidem cum Bodino cap. 8. lib. 1. de Repub. dictum illud, quo omnia principis eſſe vulgò iactantur, ad imperium pertinere, ſalua cuique rerum ſuarum proprietate & poſſeſſione. Et hoc etiam teſtatur Seneca lib. 7. cap. 4. & 5. de 2

benef. cum inquit: *Ad reges poteſtas omnium pertinet, ad ſingulos proprietas.* Item *Omnia rex imperio poſſidet: ſinguli dominio.* Proinde ſummi magiſtratus omnia quidem eſſe iure imperii; non autem iure proprietatis.

4. *An ſummo magiſtratui inferior ſit ſubiectus & num illi ſemper parere debeat?*

Pro theſi affir. in prima parte. Argũ. IN prima parte quæſtionis ſtatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia ſummus magiſtratus ius habet imperãdi inferiori magiſtratui. 2, quia quicquid imperii & poteſtatis in ſibi ſubiectos obtinet inferior magiſtratus, id omne à ſummo magiſtratu habet. 3, quia inferior magiſtratus ad ſeruandas leges à ſummo magiſtratu latas non minus obligatus eſt, ac alii ſubditi. 4, quia iure puniri poteſt à ſummo magiſtratu inferior magiſtratus, ſi leges ipſius violet ac transgrediatur. 5, quia vt ſummus magiſtratus ſe habet ad Deum: ita inferior magiſtratus ad ſummum magiſtratum. Sed ſummus magiſtratus ſubiectus eſt Deo. Ergo etiã inferior magiſtratus ſubiect⁹ eſt ſummo magiſtratui. 6, quia ſi inferior magiſtratus non eſſet ſubiectus ſummo magiſtratui: non poſſet propter diſſenſionem & repugnantiam eorum qui imperant, Reſpub. bene adminiſtrari, neq; pax & concordia publica in ea conſeruari.

Quatenus magiſtratus inferior parere debeat ſummo. Vtrum autem inferior magiſtratus ſummo ſemper parere debeat, de eo nõ immerito quæritur: Sed facile reſponderi poteſt, magiſtratũ inferiorem obligatum eſſe ad parendum ſummo magiſtratui: quamdiu ille nihil imperat, quod legibus diuinis, naturalibus & ciuilibus, adeoq;

adeoq; priuilegiis conceſſis eſt conſentaneum. Sin autem contrario modo agat, non eſſe obligatum. Ideoque etiam ei licitum eſt interdum non tantum iniuſta decreta & mandata ſummi magiſtratus mitigare vel reſcindere: ſed etiam vrgente neceſſitate extrema, vi & armis ſe ſuosque ſubditos aduerſus tyrannidem & crudelitatem iniuſtam & immanem ſummi magiſtratus defendere.

CAPVT II.

De ſpeciebus imperii ciuilis.

PRÆCEPTA.

1 *Fuerunt ſubiecta imperii ciuilis. Sequuntur eius ſpecies, ſecundum quas imperium ciuile aliud eſt legitimum aliud illegitimum.*

2 *Legitimum imperium eſt, quod ſecundum naturam & rectam rationem geritur ad communem Reipublicæ vtilitatem.*

3 *Eſtque vel monarchia vel polyarchia.*

4 *Monarchia eſt imperium ciuile in quo ſumma poteſtas penes vnum duntaxat eſt legitimè imperantem.*

5 *Polyarchia eſt imperium ciuile, in quo ſumma poteſtas penes plures eſt legitimè imperantes.*

6 *Eſtq; vel Ariſtocratia, vel Democratia.*

7 *Ariſtocratia eſt Polyarchia, in qua ſumma poteſtas eſt penes paucos, eoſq; optimates.*

8 *Democratia eſt Polyarchia, in qua ſumma poteſtas eſt penes populum.*

9 *Illegitimum imperium eſt, quod contra naturam & rectam rationem geritur ad priuatã imperantium vtilitatem.*

10 *Eſtque vel tyrannis, vel Oligarchia vel Ochlocratia.*

11 *Tyrannis eſt imperium illegitimum, in quo vnus pro libitu dominatur, omniaque ad proprium commodum refert.*

12 *Oligarchia eſt imperium illegitimum, in quo pauci, iiq; deteriores dominantur.*

13 *Ochlocratia eſt imperium illegitimum, in quo plebs dominatur.*

1 An imperium ciuile rectè diuidatur in legitimum & illegitimum?

Pro theſi affir. Ratio. *1* STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia omne imperium ciuile, aut ſecundum naturam & rectam rationem geritur, aut contra naturam & rectam rationem. Si priore modo: dicitur legitimum; ſin poſteriore, dicitur illegitimum.

2 2, quia omne imperium ciuile aut ad publicum Reipub. bonum dirigitur, aut ad proprium. Si priore modo: dicitur legitimum. Sin poſteriore: dicitur illegitimum.

3 3, quia Ariſtoteles lib. 3. Polit. cap. 6. & 7. Politias alias docet eſſe ὀρθὰς, hoc eſt *rectas*, alias ἡμαρτημένας καὶ παρεκβάσεις τῶν ὀρθῶν πολιτειῶν, hoc eſt *vitioſas & deprauatas, & quaſi digreſſiones ſeu degenerationes à rectis Politijs.* Priores vocat, quæ communem Reipublicæ vtilitatem reſpiciunt & iuri ſimpliciter dicto ſunt conſenta-

ſentaneæ: Poſteriores vocat, quæ priuatum imperantium commodum reſpiciunt. Quod verò Ariſtoteles appellat rectam & vitioſam Politiā: id alii vocant regimen ſeu imperium legitimum & illegitimum. 4, quia Caſus libro 3. Sphæræ ciuitatis cap. 4. diuiſionem Reipublicæ (Intelligit autem voce Reipublicæ Politiam ſeu imperium) in rectam & non rectam approbat, ſubiecta hac ratione. *Omnis Reſpublica aut vera eſt aut fucata: Si vera ſit, definitur recta, in qua communi bono à magiſtratu ſtudetur: Sin autem ſit fucata definitur non recta, in qua lucrum vnius, non bonum ciuitatis quæritur.* Item cap. 5. *Omnis ſtatus Reipub. aut bonum publicum, aut priuatum quærit: Si bonū publicum, tum recta: Si bonum priuatum tum non recta adminiſtratio dicitur.* Quod ſi quis obiiciat legitimum & illegitimum eſſe adiuncta imperii ciuilis, non verò ſpecies. Reſpondeo: 1, ſæpe adiuncta ſumi pro differentiis per quas genus in ſpecies diuiditur: deinde legitimum & illegitimum, quatenus abſolutè & ſeorſim conſiderantur; eſſe quidem adiuncta imperii ciuilis, ſed cū adiectione imperii tanquā generis eſſe ſpecies. *Obiectioni occurritur.*

2 *An imperium ciuile legitimum rectè diuidatur in Monarchiam & Polyarchiam: Et hæc rurſus in Ariſtocratiam & Democratiam.*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia imperium ciuile, quod in Republica eſt ſummum legitimè geritur aut ab vno, aut à pluribus. Si ab vno: dicitur Monarchia. Sin à pluribus: dicitur Polyarchia: Et rurſum ſi à pluribus geritur, aut geritur à pau- *Pro theſi aff. Ratio 1*

cis iiſq; optimatibus; & dicitur Ariſtocratia: aut ab vniuerſis, nempe populo ipſo; & dicitur
2 Democratia. 2, quia diſtributio illa congruit cum omnibus legibus bonæ & perfectæ diuiſionis.

Obiectiones mouentur. Sed contra hanc ſententiam variæ obiectiones & difficultates moueri poſſunt; 1, quia communis Politicorum opinio Monarchiam Ariſtocratiam & Democratiam ſpecies Reipublicæ conſtituit. Cum autem Reſpublica differat ab imperio ciuili vt patet ex cap. 2. lib. 1. Polit. & lib. 2. cap. 1. ſequitur diſtributionem non rectè imperio ciuili accommodari poſſe. 2, quia Plato in Politico politiæ ſeu imperii ciuilis tres ſpecies conſtituit Monarchiam, Oligarchiam & Polyarchiam: propterea quod illud aut ab vno, aut à paucis, aut à multis geritur. Hinc etiam Petrus Gregorius lib. 5. cap. 1. de Repub. ait, *Rempublicam geri vel nutu & poteſtate vnius, vel paucorum, vel plurium.* Videtur autem hæc diſtributio cum præcedente pugnare. 3, quia Monarchia ſecundum Ariſtotelem lib. 3. Polit. cap. 5. & lib. 4. cap. 3. diuiditur in βασιλείαν καὶ τυραννίδα, in regnum & tyrannidem: quorum illud eſt ſpecies imperii ciuilis: hæc illegitimi. Non igitur Monarchia rectè inter ſpecies imperii ciuilis legitimi numeratur. 4, quia Polyarchia opponitur Ariſtocratiæ, in qua pauci, iiq; optimates imperant. Non igitur poteſt eſſe genus Ariſtocratiæ. 5, quia Ariſtoteles in citatis locis, quemadmodum etiam lib. 8. Ethic. ad Nicomachum cap. 10. Democratiam numerat inter vitioſas formas Politiæ, eiq; opponit πολιτείαν ſpecialiter dictã,

quam

quam definit imperium, in qua multitudo ſeu populus dominatur, ad communem vtilitatem.

Pro ſolutione harum obiectionum in genere notandum eſt, illas omnes oriri ex homonymia vocabulorum, quæ à Politicis non ſemper eodem modo vſurpantur. Nam 1. vox Reipub. modo ſumitur & quidem propriè pro communitate hominum & rerum ciuilium magiſtratus Politici imperio ſubiecta: modo impropriè pro imperio ciuili, quo eiuſmodi Reſpub. adminiſtratur & gubernatur. 2, Vox Monarchiæ modò ſumitur generaliter pro quolibet imperio ſummo vnius, ſiue illud ſit legitimum, ſiue illegitimum: modo ſpecialiter pro imperio ſummo vnius, quod eſt legitimum. 3, Vox Polyarchiæ modo ſumitur pro imperio plurium oppoſito vnius imperio: modo pro imperio multorum ſeu multitudinis oppoſito imperio paucorum. 4, Vox Oligarchiæ modo in genere & quidem propriè ſumitur pro imperio paucorũ ſiue illud ſit legitimum, ſiue illegitimum: modo verò in ſpecie & impropriè pro imperio paucorum illegitimo oppoſito Ariſtocratiæ, quod eſt imperiũ paucorum legitimum. 5, Vox Democratiæ modo ſumitur in genere & quidem propriè pro imperio populi, ſiue illud ſit legitimum, ſiue illegitimum. Vnde Plato in Politico, democratiam aliam dicit eſſe ὀρθὴν aliam μοχθηρὰν: modo in ſpecie pro imperio populi vel legitimo tantum: vel illegitimo, quod alio nomine dicitur ὀχλοκρατία ſeu ὀχλαρχία. 6, Vox Politiæ modo ſumitur in genere, & quidem propriè pro quolibet regimine Reipublicæ ſiue ſit legitimum,

Soluuntur obiectiones.

Homonymia excutitur.

1 *In voce Reipub.*

2 *In voce Monarchiæ.*

3 *In voce Polyarchiæ.*

4 *In voce Oligarchiæ.*

5 *In voce Democratiæ.*

6 *In voce Politiæ.*

ſiue illegitimum: modo in ſpecie pro regimine legitimo Reipub. quod penes eſt populum: modo pro regimine quod vel ex omnibus bonis & ſimplicibus imperii ciuilis formis, vt vulgo ſtatuuntur, mixtum & temperatum eſt, vel ſaltem ex Oligarchia & Democratia vt vult Ariſtoteles lib. 4. Polit. cap. 8. modo vſurpatur pro ipſa Repub. quæ imperio ciuili regitur. His igitur vocabulorum homonymiis obſeruatis facile eſt obiectiones & difficultates ſupra contra theſin affirmantẽ quæſtionis allatas ſoluere ac diluere.

3 *Quid ſit Monarchia & quotuplex?*

Monarchia in genere quid eſt. In ſpecie quid ſit.

MOnarchia in genere nihil aliud eſt quam imperium ſummum vnius, ſiue ſit legitimum, ſiue illegitimum. In ſpecie verò, Monarchia eſt imperium ciuile & ſummum quod ab vno homine ſecundum naturam & rectam rationem geritur ad commune Reipub. bonum.

Definitiones aliorum recenſentur & examinantur.

Et in hac ſignificatione hoc loco vſurpatur, ab aliisq; definitur modò imperium, in quo vnus vir bonus, fortis ac prudens aut electione, aut ſucceſſione conſtitutus princeps maximam in

1 in ciuitate authoritatem tenet, cui reſiſtere ne-

2 fas, & flagitioſum eſt: modò vnius imperium moribus aut legibus delatum, ſuſceptum, geſtumq; parentium bono: modò cum penes vnũ

3 Reipublicæ ſumma eſt, ſeu cum in vnius dominatu verſatur Reipublicæ maieſtas: modò prin-

4 cipatus vnius communi vtilitati conſulens: mo-

5 dò Reſpublica, in qua vnus imperat, ſolus per ſe, ſuoq; nomine, cum propria ſupremaq; pote-

6 ſtate: modò ſtatus Politicus primus & perfectus, in quo vnus regit, cæteri parent. Ex quibus defini-

finitionibus priores duæ ſunt bonæ; reliquæ verò vitioſæ, quatenus aut nullum, aut falſum genus aſſignant, aut ſaltem Rempublicam eiuſque ſtatum cum imperio ciuili confundunt.

Porro Monarchia in genere accepta ab Ariſtotele diuiditur in βασιλείαν καὶ τυραννίδα hoc eſt in regnum, quam Bodinus vocat, Monarchiam regalem & tyrannidem: quarum illa ad communem vtilitatem: hæc ad priuatam reſpicit. A Bodino lib. 2. de Repub. cap. 2. Monarchia, quam Reipublicæ genus eſſe dicit, in qua penes vnum ſummæ totius Reipublicæ poteſtas eſt, diſtribuitur in tres formas, nempe dominatum, regnum & tyrannidem. Dominatum vocat Monarchiam, in qua princeps vnus libertatis ac fortunarum omnium Dominus iure belli factus aut fœdere, ſubditos quaſi bonus paterfamilias ſeruos moderatur. Regnum vocat Monarchiam, in qua ſubditi libertate ac dominio rerum fruentes ſui principis legibus obſequuntur: perinde ac princeps diuinis ac naturæ imperiis obtemperandum iudicat. Tyrannidem vocat Monarchiam, in qua princeps imperioſè ſpretis gentium & naturæ legibus ſubditorum bonis ac libertate ad libidinem abutitur. Denique ab aliis Monarchia in ſpecie dicta diuiditur in perfectiorem & imperfectiorem. Monarchia perfectior eſt, in qua princeps ſiue Monarcha nullius ſimpliciter dominium agnoſcit, præterquã ſolius Dei, ſimulq; inſtructus eſt ea amplitudine ditionis, nẽpe opidorum pagorum, vrbiũ,

Diuiſio Monarchia.

1

2

3

& prouinciarum,& ea quoq; opum & virtutum potentia,vt ſubditos ſuos non tantum rectè,ſed etiam ornatè & ſplendidè gubernare poſſit. Imperfectior Monarchia eſt,quæ vel ratione poteſtatis, vel ratione territorii vel ratione vtriuſque ſimul à perfectione recedit: vt cum princeps alium ſuperiorem àgnoſcit, vel ratione poteſtatis, vel ratione honoris, gradus ac tituli principatus. Item cum princeps iurisdictionem in aliqua parte ſuæ ditionis cum alio communem habet, aut ſaltem exiguo tantum territorio imperat. Item cum & ditio parua eſt, & poteſtas à ſuperiore arctatur.

Polyarchiæ definitiones ab aliis traditæ recenſentur.

4 *Quid ſit Polyarchia & quotuplex?*

POlyarchia ſecundum Platonem eſt imperiũ ciuile multitudinis & populi, quod vulgo Democratia nuncupatur. Secundum alios verò Politicos eſt imperium ciuile & ſummum, quod à pluribus,quam vno geritur ad publicam Reipublicæ vtilitatem.

Obiectio cõtra Polyarchiam eiusq; ſolutio.

Etſi vero Machiauellus in diſcurſibus Politicis aliquoties repetit non poſſe eſſe imperium penes plures pari poteſtate pollētes: propterea quod non poſſunt eſſe concordes: illud tamen effatũ non eſt ſimpliciter verum; ſed tantum ſecundum quid nempe de pluribus, quatenus conſiderantur vt plures & inter ſe diſſentientes: non autem quatenus conſiderantur vt plures inter ſe conſentientes & in vnum conſpirantes tam conſiliis, quam executione conſiliorum. Hinc rectè dici ſolet, Polyarchiam eatenus eſſe bonam & laudabilem: quatenus habet in ſe ſimilitudinem & repræſentationem Monarchiæ: atq;

atque adeo quatenus illi plures, qui ſimul imperant, reducuntur ad vnitatem,& inter ſe ſunt vnanimes atq; concordes.

Cæterum Polyarchia vel eſt Ariſtocratia vel Democratia. Ariſtocratia eſt Polyarchia quæ penes optimates Reipublicæ eſt. Ab aliis definitur modò imperium, in quo pauci optimates boni, fortes atq; prudentes viri ad communem vtilitatem referentes omnia dominantur: modò poteſtas paucorum virtute quidem præditorum, ſed plurium vno, hoc eſt optimatum: qui ſic nominati vel quia optimi viri Reipub. præſunt, vel quia ita præſunt, vt omnia ad illud referant, quod ciuitati & iis eſt vtile, quibus cum ea communicatur: modò ſtatus Polyarchicus ſimplex, quando coniunctim & indiuiduè aliquot excellentioribus datur imperium & ius in reliquos ſingulos & vniuerſos: modò deniq; Reipublicæ forma, in qua minor pars ciuium in vniuerſos & ſingulos ciues ſummum poteſtatis ius habent.

Diuiſio Polyarchia. *Definitiones diuerſa Ariſtocratia exponuntur.* 1 2 3 4 5

Democratia verò eſt Polyarchia, quæ penes eſt populum. Ab aliis definitur modo imperium,in quo populus per bonos, fortes & prudentes tribunos regnat: modò poteſtas, cum multitudo ciuitatis adminiſtrationem confert ad communem vtilitatem: modò Reſpublica, in qua ciues vniuerſi, aut maxima pars ciuium cæteris non tantum ſingulatim, ſed etiam ſimul coaceruatis & collectis imperandi ius habent: modò deniq; ſtatus Reipublicæ, quando populi ſiue ciuium vel vniuerſorum vel magnæ partis nomine quidam alternatim cæteris ſin-

Democratia diuerſa definitiones recenſentur. 1 2 3 4

gulis & vniuerſis imperant, & ſecundum populi ſuffragia iura maieſtatis & ſummam poteſtatem vſurpant.

5 An Monarchia ſit praeferenda Polyarchiæ?

HÆc quæſtio à Politicis in vtramq; partem ventilatur & diſceptatur.

Pro praeſtantia Monarchia. Argũ.

Pro theſi affirmatiua afferri ſolent hæc argumenta: 1, quia Monarchia eſt prima & antiquiſſima imperii ciuilis forma. 2, quia proximè accedit ad ſimilitudinem imperii, quod Deus in vniuerſum mundum, omnesq; creaturas exercet. Vnde etiam Princeps vera & viua imago præpotentis Dei appellatur. 3, quia naturæ maximè eſt conſentanea: ſicuti videmus beſtias etiam, in quibus aliquod Politiæ ſimulachrum apparet, vnum ducem potius, quam plures ſequi: vt manifeſtè apum & gruum exempla docent. 4, quia maximè eſt vna: ſiquidem in naturali vnitate conſiſtit, ad eamque totum Reipublicæ corpus reducit, maximeque à multitudine recedit. 5, quia maximè eſt ordinata, quatenus ab vno tota Reſpublica pendet, & ad vnum reducitur. 6, quia omnium eſt iuſtiſſima & æquiſſima, quatenus non eadem bonis & malis tribuit, ſed dignitatis in perſonis habet rationem. 7, quia ad conſequendum finem Reipub. nempe felicitatem ciuilem omnium eſt aptiſſima: quatenus in ea & conſiliorum inuentio, & eorundem executio eſt facilior, minuſque impedita legum promulgatio & executio. 8, quia maximè eſt firma & diuturna: qua-

quatenus maximè eſt vna & ordinata; & ſic diuiſioni ac mutationi minus obnoxia. Vnde rectè dici ſolet à Philoſophis: *Virtus vnita fortior eſt quam diſperſa.* 9, quia facilius eſt vnius imperio, quam plurium parere: imò difficilè eſt pluribus imperantibus, præſertim ſi moribus & voluntatibus diffideant, æquè placere & ſatisfacere. 10, quia minus inuidiæ, æmulationum, contentionum & factionum in Republica oritur, quæ ab vno, quam quæ à pluribus regitur. 11, quia facilius eſt vnum bonum & excellentem hominem reperire, qui ſummum imperium ſuſcipiat, quam plures. 12, quia vbi multi imperant; ibi vnus alterum reſpicit & ab altero expectat, quod ipſe debebat præſtitiſſe: & ſic multa negliguntur, quæ ad bonam & felicem Reipub. adminiſtrationem requiruntur. Contra Monarcha, cum ſciat à ſe ſolo omnia proficiſci oportere, diligenter de ſingulis Reipub. negotiis cogitat, nullas rerum agendarum occaſiones negligit: ſed omnia in tempore peragit. 13, quia imperandi authoritas & poteſtas exiguis cancellis in vno circumſcribitur: cum in multos quaſi fruſtratim diuiſa ſit. 14, quia ſicut vna domus ab vno patrefamilias: ita vna Reſpublica ab vno principe regi debet. 15, quia ſicut vna nauis non niſi ab vno gubernatore commodè regi poteſt propterea quod multitudo gubernatorum, quantumuis viarum magis & artis nauticæ peritiſſimorum ſeſe mutuò impediunt & nauem periculis exponunt: Ita Reſpublica non niſi ab vno principe admi-

9

10

11

12

13

14

15

16 niſtrari debet. 16, quia ſicut corpus humanum ab vno animo: ita Reſpublica ab vno principe
17 regi debet. 17, quia ſicut in corpore humano vnum eſt cor & vnum caput, cuius influentia omnia illius membra vegetantur: Ita in Repub. vnus debet eſſe princeps à cuius imperio non ſolum ciues reliqui, ſed etiam inferiores magiſtratus pendeant: cum nihil aliud ſint quam o-
18 culi & manus principis. 18, quia ſicut mundus duos ſoles: ita Reſpub. duos principes ferre nō
19 poteſt. 19, quia nihil magis conſeruat pacem Reipub. quam ſi omnis imperandi poteſtas ad
20 vnum referatur. 20, quia ſicut vnus paſtor vnū gregem: ita vnus princeps vnam Rempublicam
21 regere debet. 21, quia Monarchia iuri gentium maximè eſt congrua: ſiquidem hiſtoriæ teſtantur omnes gentes & nationes olim imperio re-
22 gum paruiſſe. 22, quia nulla Polyarchia, ſiue ſit Ariſtocratia, ſiue Democratia conſiſtere poteſt: niſi ad vnitatem reducatur; & ſic ſimilitudinem
23 aliquam cum monarchia habeat. 23, quia teſtimoniis diuinis & humanis probari poteſt Monarchiam Polyarchiæ eſſe præferendam: Sacra enim ſcriptura teſtatur Deum ab initio populo Iſraelitico non niſi vnum principem ſeu regem præfeciſſe. Et rectè Homerus Iliad. 2.

> Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη εἷς κοίρανος ἔστω,
> Εἷς βασιλεύς.

Multos impèritare malum eſt: Rex vnicus eſto.
Cui conſentit illud Lucani lib. 1. bellorum ciuilium.

> *Nulla fides regni ſociis, omnisq́ue poteſtas*
> *Impatiens conſortis erit.*

24, quia

24, quia hiſtoriæ teſtãtur Reſpublicas malè administratas non potuiſſe melius vitia ſua emendare quam per recurſum ad Monarchiam. Hinc Athenienſes, Lacedæmonii, Romani, & alii populi, quibus aliquando fuerunt Ariſtocratiæ & Democratiæ vel inuiti coacti ſunt neceſſitate compulſi redire ad Monarchicum imperium, & ei ſe ſubiicere. 24

At contra pro Polyarchia contra Monarchiam adduci ſolent hæc argumenta: 1, quia ob infirmitatem humanam vix fieri poteſt, vt in vno homine tot ac tantæ virtutes reperiantur, quot & quantæ optimo principi neceſſariæ ſunt. Vnde rectè dici ſolet: εἷς ἀνὴρ οὐ πάνθ' ὁρᾷ *vnus homo nõ videt omnia*: Et *plus vidẽt oculi, quam oculus.* 2, quia plures facilius, quam vnus aliquis imperii ſummi onus ſuſtinere, publicaq; negotia Reipub. obire & exequi poteſt: ſi modò ſint vnanimes, & labores rectè inter ſe partiantur. 3, quia in Polyarchia vnus alterum in officio continet, eiuſq; cupiditatem illicitam & licentiam reprimit, ne pro ſua libidine omnia & pro libitu agere audeant. 4, quia Monarchia ex præſentibus bonis inſolentiam & ſuperbiam parit in animo principis, viamq; ſternit ad tyrannidem: cum nemo eſt, qui ipſius conatibus reſiſtere audeat. Ideoq; nulla forma imperii ciuilis eſſe ſtatuitur qua homo facilius & periculoſius abuti poſſit quam Monarchia. 5, quia Monarchia curarum & moleſtiarum eſt pleniſſima: & ſic ad benè & tranquillè viuendum planè inepta. 6, quia periculoſum & iniquum eſt vnius poteſtati cardinem Reipublicæ committere, omniaq; tribu-

Pro præſtantia Polyarchia. Argũ. 1 2 3 4 5 6

naļia ab vnius nutu pendere, alioſq; omnes de Repub.optimè meritos à ſolio maieſtatis excludi.
7 di. 7,quia multorum prudentium virorum iudicio potius ſtandum eſt, quam vnius alicuius: licet videatur coniunctiſſimus & prudentiſſimus: tum quia multorum virtutes ſimul collectæ ſuperant vnius virtutes: tum quia ſingularia melius poſſunt obſeruari à pluribus quam ab vno: tum quia multi minus pecunia, aliiſque affectibus prauis corrumpi poſſunt,quam vnus: tum quia plures melius poſſunt de negotiis Reipub. conſultare quam vnus: non ſecus ac plures artifices melius de aliquo opere poſſunt iudicare, quam vnus. Ideoq; pluribus etiam quam vni ſummum Reipub. imperium concedẽdum
8 eſt. 8, quia facilius vnus, quam plures à recto prudentiæ & virtutis tramite aberrare, moraliterq; deprauari & corrumpi poteſt.

Quæſtio deciditur per diſtinct.

Pro deciſione quæſtionis quidam reſpondent, Monarchiam per ſe & abſolutè conſide-
1 ratam ſine reſpectu imbecillitatum humanarum, aliarumq; circumſtantiarum omnibus gubernandi formis eſſe præferendam: ſed per accidens & ex conſideratione imbecillitatum humanarum, aliarumq; circumſtantiarum fieri,vt interdum alia potius regiminis forma, quam Monarchia eligenda videatur: inprimis verò propterea, quod imbecillitas humana ſemper non concedit, vt vnus aliquis reperiatur, qui cæteris omnibus, quos regere debet, virtute ſit præſtantior.

2 Sed videtur etiam aliter decidi poſſe hæc

quæſtio

quæſtio ſi dicamus: 1, in Monarchia conſiderandum eſſe principem non vt vnum homuncionem ſingularem, qui variis infirmitatibus ſit obnoxius: ſed vt publicam totius Reipublicæ perſonam ſeu magiſtratum ſummum, qui non ſolum duos oculos, duas aures, duas manus, duos pedes habeat: ſed qui omnia videat, audiat, comprehendat, peruadat, non quidem per ſe & immediate: ſed per prudentes & probos conſiliarios, officiarios, magiſtratuſq; inferiores ſibi ſubiectos, qui ſunt veluti oculi, aures, manus, pedeſque ipſius: quemadmodum Sol totum mundum illuminat, non quidem immediatè per ſuam lucem propriam & natiuam. Sed per radios, qui à luce oriuntur & in omnes mundi partes ſparguntur & diffunduntur. 2, In Monarchia principem facilius pluribus imperii ſummi ſociis à recto prudentiæ & virtutis tramite aberrare, citiuſque corrumpi moraliter poſſe: quatenus conſideratur vt vnus ſingularis homo; non autem quatenus conſideratur vt ſummus magiſtratus, qui multos prudentes & probos conſiliarios, officiarios & magiſtratus inferiores habet, quorum conſilio, opere & induſtria in rectè adminiſtranda Repub. vtitur. 3, In principe quatenus per ſe eſt prudens & probus, ſimulq; prudentibus & probis conſiliariis, officiariis ac magiſtratibus inferioribus eſt inſtructus, plus prudentiæ & virtutis eſſe, quam in ſexcentis aliis: non ſecus ac in vno ſole maior lucis vis eſt, quam in ſexcentis aliis ſtellis.

in Democratia, omniaq; ſibi licere putat: & ſæpiſſimè vtile honeſto præfert: imò inter ciues viget impunitas delictorum & licentia peccandi maior. 10, quia liberæ imperii Romani ciuitates pleræq; Ariſtocratia gaudent: quemadmodum etiam florentiſſima noſtro ſeculo Reſpublica Venetorum. 10

Contra pro Democratia adduci ſolent hæc argumenta: 1, quia naturæ eſt cōſentanea. Sicut enim Natura homines inter ſe æquales producit; nec vnum facit altero, vel diuitiis, vel virtutibus, vel honoribus ſuperiorem: Ita Democratia inter omnes ciues obſeruat *ἰσονομίαν* hoc eſt *æqualitatem iuris*, efficitq; vt omnia omnibus ſint æqua: propterea quod æquiſſimum ſit, vt qui eandem naturam acceperunt, ex eadem gēte ſunt orti, iiſdem educati moribus, iiſdem legibus inſtituti, eundem corporum & animorū vſum patriæ exhibeant, omniumq; cæterorum bonorum communionem habeant. 2, quia pro fine habet libertatem, quæ vnicuiq; homini eſt data, & qua nihil melius aut præſtantius vel cōceptis votis expeti poteſt. 3, quia Democratia tollit ambitionem & auaritiam, pacemq; & amicitiam inter ciues conſeruat: quatenus omnibus ad honores publicos aditus patet, omniaq; tam bona quam mala inter ciues ſunt communia, nihilq; proſperi vel aduerſi vni accidit, quo alter non lætetur aut contriſtetur. 4, quia Democratia Rempub. liberat à tyrannide, quam vel vnus, vel pauci in Rempub. exercere ſolent. 5, quia multi prudentius conſulunt Reipublicæ quam pauci: non ſecus ac cœna illa lau-

Pro præſtantia Democratiæ. Argum. 1 2 3 4 5

tior eſt & copioſior, quæ multorum, quam paucorum ſumptibus apparatur: & collectæ in corpore vires plus proſunt, quam diſperſæ.
6 6, quia Democratia maiorem in dicenda ſententia libertatem & confidentiam concedit.
7 7, quia Ariſtocratia videtur æquitati repugnare, quatenus ſummum imperium paucis ciuibus committitur & reliqui omnes, quantumuis digni ſint, ab honoribus publicis excluduntur.
8 8, quia Athenienſis vrbs, quæ olim omnium prudentiſſima iudicata eſt, Democratia fuit gubernata, & ſic diu manſit libera & inuiolata à ſeditionibus & tyrannis: nec Romanorum Reſpublica ab ea horruit: cum tribunos plebis elegit, vt teſtatur Liuius lib. 2. Decad. 3.

Quæſtio deciditur. Cæterum ſi argumenta in vtramque partem allata inter ſe conferantur, manifeſtè apparebit, illa quæ pro Ariſtocratia fuerunt adducta reliquis præponderare: Ideoque Ariſtocratiam Democratiæ eſſe præferendam. *Quæ in Democratia requirantur.* Notandum autem hoc loco eſt, quod Bellarminus monet libro 1. de Romano Pontifice cap. 6. in
1 Democratia quatuor res eſſe debere: 1, vt magiſtratus ab ipſa plebe conſtituatur, atque ab
2 eadem authoritatem ſumat. 2, vt à ſententia magiſtratus in rebus grauioribus ad iudi-
3 cium populi appelletur. 3, vt leges, quibus Reſpublica gubernanda eſt à magiſtratu quidem proponantur, ſed à populo iubeantur.
4 4, vt magiſtratus apud populum accuſari poſſit, nec non dignitate priuari, vel etiam morte mulctari, ſi ita populo videatur.

7 *An Monarchia Ariſtocratia & Democratia inter ſe miſceri poſſint?*

SEntentiam affirmantem defendit communis Politicorum conſenſus, qui imperium ciuile, & quidem legitimum aliud dicunt eſſe ſimplex, aliud mixtum. Idem teſtatur Bellarminus lib. 1. de Pontifice Romano cap. 1. cum ait: *Quanquam tres ſunt formæ ſimplicis gubernationis, poſſunt illæ inter ſe permiſceri: ex qua permixtione quatuor aliæ formæ mixti regiminis producentur: vna temperata ex omnibus tribus: altera ex Monarchia & Ariſtocratia: tertia ex Monarchia & Democratia: poſtrema ex Democratia & Ariſtocratia.* *Sententia aliorum explicatur & examinatur.*

Fundamentum illius aſſertionis hoc videtur eſſe præcipuum: 1, Si in Republica aliqua ſit ſummus aliquis princeps, qui omnibus imperet & nulli ſubiiciatur: is verò ex optimatibus & populo quoſdam adminiſtros & vicarios eligat per quos Rempublicam adminiſtret: iam regimen illius Reipub. dicitur mixtum ex Monarchia Ariſtocratia & Democratia. 2, ſi idem ſummus princeps per ſolos optimates tanquam vicarios ſuos Rempub. adminiſtret: aut etiam præſides prouinciarum & ciuitatum habeat, qui non ſint vicarii ipſius, ſed verè principes: interim & ſummi principis imperio obediant, & ſuam prouinciam vel ciuitatem non tanquam alienam, ſed propriam moderetur: iam regimen Reipublicæ mixtum erit ex Monarchia & Ariſtocratia. 3, Si idem

ſummus princeps non per optimates, ſed per alios ex vniuerſo populo electos Rempublicam adminiſtret, regimen erit mixtum ex Monarchia & Democratia.

4 4, Si optimates Rempublicam per tribunos, aut alios deputatos populi adminiſtrent; regimen erit mixtum ex Ariſtocratia & Democratia.

Sed hanc ſententiam alii ex recentioribus Politicis improbant & impugnant ſtatuentes nullum dari regimen mixtum, quod à tribus

Protheſis neg. ſimplicibus regiminis Politici formis per ſe &

Ratio. eſſentialiter ſit diſtinctum. Rationes ipſorum

1 ſunt: 1, quia nulla datur Reſpublica benè adminiſtrata, in qua ſummum imperium ciuile non ſit aut penes vnum, vt in Monarchia: aut penes paucos & optimates, vt in Ariſtocratia: aut penes multos ſeu populum vniuerſum, vt in

2 Democratia. 2, quia ſummum imperium per ſe eſt quiddam vnum & indiuiduum: Ideoque vno & eodem tempore neq; vni & paucis; neq; vni & omnibus; neq; paucis & omnibus; neque vni, paucis & omnibus ſimul attribui poteſt. Eſt enim manifeſta implicatio contradictionis, ſi dicamus imperium per ſe ſimul penes vnum in

3 ſolidum eſſe, & penes plures. 3, quia alia eſt natura Monarchiæ, alia Ariſtocratiæ, alia Democratiæ; Et hæ tres formæ inter ſe ſunt oppoſitæ. Ideoq; vna alteram excludit, nec ſimul vel omnes, aut ſaltem duæ in vna Repub. conſiſte-

4 re poſſunt. 4, quia commixtio trium formarum ſimplicium imperii ciuilis ſummam confuſionē in Rempub. inducit, efficitq; vt vnaquæq; facile in contrarium vitium degeneret. Quod enim

vnus

vnus iubebit, alter prohibebit: neq; optimates principi, neq; populus vel principi vel optimatibus parebit: & ſic deſtruetur ordo Reipublicæ, qui in eo conſiſtit, vt alii præſint & imperẽt: alii ſubiiciantur & pareant: ac tandem anarchia orietur tyrannide crudeliſſima deterior. 5, quia abſurdum eſt, vt is qui imperandi ſummum ius habet, cum ſubditis dominatu & potentia adæquetur: aut vt idem ipſe aliis, & quidem ſubditis parere cogatur. 6, quia vbi iura maieſtatis inter principem & ſubditos diuiſa ſunt: ibi perturbatis rebus de ſumma rerum ſemper vi & armis diſcernitur, quouſq; vnius, aut paucorum, aut vniuerſorum ciuium ſit ſumma poteſtas. 7, quia nullum exemplum Reipub. dari poteſt, in qua mixta imperii ciuilis ſpecies aut olim fuerit, aut iam appareat. Licet enim princeps optimatibus, aut popularibus quibuſdam vtatur tãquam magiſtratibus inferioribus, aut vt vicariis ſuis in rectè gubernanda Repub. inde tamen non ſequitur, quòd propterea regimen illud ſit mixtum ex Monarchia, Ariſtocratia & Democratia: ſiquidem ſuprema poteſtas neq; eſt penes optimates, neq; penes populum; ſed tãtum penes principem, qui aliis ex ſua poteſtate & vt eam ſuo nomine gerant, impartitur. Neque qui alieno, ſed qui ſuo nomine imperiũ gerit ſummus magiſtratus dici poteſt. Eadem ratione ſi ex optimatibus vnus eligatur vel ad ducatum militiæ, vel ad aliud negotium publicum per ipſum ſolum expediendum ad tempus, vel in perpetuum: ideo Monarcha non eſt: quia non ſolus ſuo nomine, ſed etiam collegarum pote-

ſtate id facit. Similiter ſi ex popularibus vnus, aut plures eligantur, qui nomine populi imperium gerant: illi non dici poſſunt ſummus magiſtratus: quia non ſuo, ſed populi nomine id faciunt.

Proinde rectè videtur concludere Bodinus lib. 2. de Repub. cap. 1. *nullam vnquam Rempub.* (intelligit autem per Rempublicam eo in loco imperium ſeu regimen ciuile) *ex duabus: multo minus ex tribus conſtari: at ne opinione quidem fingi, ſed tria tantùm genera conſtitui.*

Reſponſio aliorum pro theſi affir.

Pro defenſione vero contrariæ ſententiæ nihil aliud video, quod reſponderi poſſit: niſi dicamus tres illas ſimplices imperii ciuilis formas dici inter ſe miſceri non propriè ita vt alia noua forma inde oriatur, quemadmodum ex elemẽtis inter ſe mixtis oritur aliud corpus ſpecie & eſſentia diuerſum: ſed tantum impropriè per ſimilitudinem aliquam. Et hoc etiam videtur innuere Iunius Q. 2. Polit. cum ait: *Etſi verò mixtiones in his* (ſcilicet Rebuspublicis) *gubernationum atq; adminiſtrationum reperiuntur: tamen forma noua non inde oriuntur: nomen ab eo, quod prædominatur defendunt.* Idem ſtatuit Lipſius lib. 2. Polit. c. 1.

8 *An tyrannis Monarchiæ opponatur: & quidem ſoli?*

Quæſtio deciditur per diſtinct.

COmmunis Politicorum opinio eſt pro theſi affirmante. Cum enim tres formas ſimplices imperii ciuilis conſtituant, Monarchiam, Ariſtocratiam & Democratiam: idcircò etiam primę tanquam vitium opponunt tyrannidem; ſecundæ, Oligarchiam; tertiæ Ochloarchiam. Sed contra hanc ſententiam obiici poſſunt hæc argu-

argumenta: 1,quia Monarchia ab Ariſtotele diuiditur in regnum & tyrannidem. Cum igitur tyrannis ſit ſpecies Monarchiæ: ſequitur eam nõ rectè huic opponi. 2,quia non tantum Monarchia; ſed etiam Ariſtocratia & Democratia degenerare poſſunt in tyrannidem, quando nimirum illi quib⁹ ſummum imperium eſt commiſſum eo abutuntur in priuatum ſuum commodum ſubditoſq; ſuos violenter & crudeliter tractant.

Homonymia excutitur vocabuli Monarchiæ & tyrannidis.

Pro ſolutione harum obiectionum notanda eſt homonymia vocabulorum tum Monarchiæ, tum tyrannidis. Illud enim in genere & quidem propriè ſumitur pro imperio vnius ſiue legitimo ſiue illegitimo: modò verò in ſpecie, & quidem impropriè pro legitimo vnius imperio. Hoc verò modò propriè accipitur pro illegitimo vnius imperio: & ſic opponitur Monarchiæ ſpecialiter acceptæ: modò impropriè pro quouis imperio illegitimo ſiue vnius, ſiue plurium, quatenus illud cum violentia & crudelitate adminiſtratur; & ſic non ſoli opponitur Monarchiæ legitimæ; ſed etiam Ariſtocratiæ & Democratiæ.

9 *Quomodo tyrannus à rege ſeu bono principe differat?*

Diſcrimina inter bonum principem ac tyrannidem exponuntur.

VT melius dignoſcatur & diſcernatur tyrannis à regno ſeu principali legitimo vtile eſt noſſe tyrãni & regis ſeu principis boni diſcrimina quæ à Bodino lib. 2. de Repub. c. 3. fusè explicãtur. Hic enim naturę leges cõplectitur: ille ꝓculcat. 2, hic religionẽ iuſtitiã & fidẽ colit: ille impietate iniuſtitia & piuria delectatur. 3, hic omnia
1
2
3

ſua ſtudia ad Reipub. ſalutem confert: ille o-
4 mnia vtilitate ac voluptate ſua metitur. 4, hic
ciues ſuos locupletari gaudet: ille ex ſuorum in-
5 commodis & damnis ditari ſtudet. 5, hic ſuas
opes ciuium eſſe putat: ille non bona tantum,
6 ſed etiam corpora ciuium ſua ducit. 6, hic pu-
blicas iniurias vlciſcitur, ſuas ignoſcit: ille ſuas
7 acerrimè vindicat, alienas ignoſcit. 7, hic in a-
liorum erratis condonandis facilis, & ſui ſeue-
riſſimus cenſor: ille aliorum leuiſſimas offen-
ſiones acerrimè vlciſcitur: ſibi verò indulgen-
8 tiſſimus eſt. 8, hic ab alienis vxoribus continet
ſeſe: ille de vtriuſque ſexus impudicitia trium-
9 phat. 9, hic reprehendi liberè & ſua peccata
coargui gaudet: ille graues perſonas & liberas
10 linguas capitaliter odit. 10, hic ciues mutua in-
ter ſe amicitia & cum repub. coniungit: ille ini-
micitias ac odia ſerit, vt mutuis cædibus pereant,
11 & præſcriptionibus fiſcum impleant. 11, hic li-
benter ciues adſpicere, & viciſſim ab iis conſpi-
ci cupit: ille ciuium perinde ac hoſtium conſpe-
12 ctum reformidat. 12, hic ciuium amore paſci-
13 tur: ille metu. 13, hic pro ciuibus ſemper: ille
14 ciues metuit. 14, hic nihil à ciuibus, niſi publi-
ca vrgeat neceſſitas, exigit: ille ciuium ſangui-
nem ebibit, oſſa corrumpit, medullas etiam nu-
datis oſſibus exſugit, vt eos modis omnibus de-
15 bilitare poſſit. 15, hic vitam ſibi acerrimam &
inſuauem putat, niſi ad ampliſſimos honores
optimum quemq; prouexerit: ille fures maxi-
mos vrbium veluti ſpongias in exhauriendis ci-
16 uibus adhibere ſolet. 16, hic magiſtratus & po-
teſtates liberaliter benè meritis largitur, vt à
ſordi-

ſordibus & corruptela puri ſint: ille publicè præſcribit vt qui carius emerunt, poſtquam ſaginati fuerunt, ſupplicio afficiat, bona proſcribat, & in furibus puniendis gloriam conſequatur. 17, hic ſuas rationes ac mores legum ponderibus examinat: ille ſuis voluptatibus leges metitur. 18, hic vitam pro patriæ ſalute & ſanguinem fundere pulcherrimum putat: ille pro ſe patriam interire cupit. 19, hic à ciuibus amatur & colitur: ille ciues omnes inuiſos habet. 20, hic ab hoſtibus laceſſitus ad ſubditorum auxilia recurrit: ille perpetuum bellum cum ciuibus gerit. 21, hic non aliis vtitur, quam ſuorum præſidiis: ille peregrinorum cohortes prætorias ad ſui tutelam, & ciuium terrorem ſemper armatas antecedere iubet. 22, hic altiſſima quiete & animi tranquillitate ſecurus viuit: ille perturbationibus ſecum diſſidentibus ſemper conflictatur ac formidine perpetua laborat. 23, hic beatam ſempiternamque cœleſtium vitam ſperat: ille cruciatus ſempiternos. 24, hic Deum immortalem rerum gerendarum authorem habet: ille conſceleratos homines ac malos genios conſulit. 25, hic & viuens & mortuus clariſſima omnium voce & laudibus cumulatur: ille & viuens & mortuus fœdiſſimis contumeliis ac bellis laceratur.

17
18
19
20
21
22
23
24
25

Ac tametſi tyrannus opes, honores, imperia, firmam valetudinem, gladiatorium corporis robur, multarumq; rerum cognitionem ac ſcientiam, illamque ipſam, qua tyrannis maximè metuenda eſt, flexanimam eloquentiam habeat: nihilo tamen ſanior, aut melior ſed eo de-

terior futurus eſt. Opibus enim abutitur ad explendas libidines; imperiis ad aliorum libertatem opprimendam; robore ad obeunda facinora; ſcientia ad imperitos circumueniendos, & ad omnia ſacra, profana turpiter permiſcenda.

Diſtrimina Iunii recenſentur.

Cum his diſcriminibus tyranni & boni principis, prout à Bodino traduntur, conſentiunt
etiam ea, quæ de tyranno à Iunio Q. 2. Polit. af-
1 feruntur nempe illum 1, propriam duntaxat,
non eorum, quibus præeſt, vtilitatem ſpectare.
2 2, non paulatim & clam, ſed palam & aperta vi
abripere tam ſacra, quam profana, tam publica,
3 quam priuata. 3, libidinem quærere nullis iu-
4 diciis ſubiectam. 4, imperioſè ſpretis gentium
& naturæ legibus ſubditorum bona ac liber-
5 tatem ad diuitias ac libidinem conuertere. 5,
vt ſua conſeruet nobiles ac ſapientes è medio
6 tollere: ſodalitates prohibere. 6, Academias
7 & Scholas euertere. 7, cauere ne amicè & fa-
8 miliariter inter ſe ciues viuant. 8, litium ſemi-
9 na ſpargere, alere, fouere. 9, ſuſurrones atq;
10 exploratores adhibere. 10, ad egeſtatem at-
11 que inopiam populum redigere. 11, bella nec
12 neceſſaria, nec iuſta ſuſcipere ac gerere. 12,
13 diffidere amicis. 13, vxoribus & famulis indul-
14 gere. 14, adulatoribus ac hominibus nequam
15 & improbis familiariter vti. 15, peregrinis potius, quam ciuibus aditum ad ſe atq; acceſſum concedere.

10 An

10 *An tyrannis poſſit eſſe diuturna?*

STatuitur theſis negatiua. Rationes ſunt: 1, quia tyrannis priuatum duntaxat vnius bonum quærit: & à ſtudio communis boni longiſſimè diſcedit. 2, quia eſt violenta & contra naturam: ſiquidem homines natura liberos duro ſeruitutis iugo premit & opprimit. 3, quia omnes caſus interitus in ſe complectitur, quas aliæ omnes & ſingulæ Reipub. formæ habent. 4, quia vt nubes fulmine diruptæ ac diſſipatæ citò euaneſcunt: ita Reſpublica tyrannorum furore cõcuſſa ilico perit. 5, quia vt ædificium citò ruinam trahit, cuius columina ſunt collapſa: ita ſublatis per tyrannidem pace virtute, ordine, lege, nobilitate, quæ ſunt quaſi columina Reipublicæ fieri non poteſt, vt imperium diu conſiſtat. 6, quia vt corpus animatum diu viuere non poteſt, in quo maxima eſt omnium humorum diſcraſia & intemperies: Ita tyrannis, in qua omnium malorum ſentina, & colluuies manat, diuturna eſſe non poteſt. 7, quia tyranni ipſi præmatura morte & vitam & ſceptrum amittere ſolent, vt teſtatur exemplum Dionyſii, Phalaridis, Neronis & id genus aliorum.

Pro theſi neg. Ratio. 1 2 3 4 5 6 7

11 *Quomodo Oligarchia ab Ariſtocratia: & Ochlocratia à Democratia differat?*

ETſi ex ſuperiore doctrina, quæ de Ariſtocratia & Democratia eſt tradita, facilè intelligi poteſt, quomodo ab illa Oligarchia; ab hac Ochlocratia differat: tamen clarioris ac diſtinctioris cognitionis gratia, placet hoc loco præcipua illarum diſcrimina explicare.

Quomodo Ariſtocratia ab Oligarchia differat.

Ac quod quidem ad Oligarchiam attinet, illa ab Ariſtocratia differt: 1, quod in hac virtutis; in illa diuitiarum potiſſima ratio habeatur; & ſic non viri probi, ſed diuites imperent. 2, quod in illa faſtus & contemptus aliorum vigeat: in hac verò non. 3, quod in illa diſcordiis & diſſentionibus cuncta turbantur: in hac verò non. 4, quod illa non multum diſſimilis ſit familiæ, in qua perpetuis ſeſe rixis mutuò vxores & mariti exercent, liberos negligunt, aut his ipſis crudeliter dominantur.

Quomodo Democratia ab Ochlocratia differat.

Similiter Ochlocratia differt à Democratia: 1, quod in illa imperium eſt penes turbulentam plebem: in hac verò penes populum honeſtatis & iuſtitiæ amantē. 2, quod in illa non publicæ, ſed priuatæ vtilitatis ratio habeatur, in hac verò contra. 3, quod in illa nimia licentia ob iuris qualitatem viget: in hac verò non. 4, quod illa ſimilis eſt ſocietati fratrū, qui vel negligentia vel diſcordia curam rei familiaris famulis aut aliis inferioribus committunt.

12 *An omnia imperia ciuilia mutationibus ſint obnoxia: & quæ ſint cauſæ illarum mutationum?*

Cauſæ mutationis imperiorum ciuilium explicantur.

NOn tantum hiſtoria tam ſacra; quam profana, ſed etiam communis experientia teſtatur, nullum imperium Politicum, nullamq; Rempublicam ſemper vnam & eandem formā retinere, ſed ſubinde mutari. Cum autem eiuſmodi mutationes non fiant niſi à certis cauſis, vtile eſt illas breuiter hoc loco inquirere & explicare. Sunt autem illarum cauſarum aliæ generales.

nerales, aliæ ſpeciales. Generales ſunt, quæ imperium ſeu Rempub. in genere concernunt. Inter illas, prima eſt ipſe Deus. Is enim pro ſua ſapientia infinita & liberrima voluntate imperia ciuilia mutat, & ab vna gente in aliam transfert, quemadmodum ſacra Scriptura teſtatur. Altera cauſa eſt Natura, ſeu fatum Phyſicum. Cum enim omnia creata & facta interitui ſua natura ſint obnoxia: fieri non poſſe videtur, vt etiam optimè conſtituta Reſpub. ſemper maneat. Tertia cauſa eſt, vitium tam intellectuale, quam morale eorum, qui imperium gerunt & Reipublicæ præſunt, cuiuſmodi inprimis eſt partim inſcitia & imprudentia, partim iniuſtitia. Quarta cauſa eſt ingratitudo & contumacia ſubditorum, qui nolunt agnoſcere, quantũ Dei donum ſit pius & probus magiſtratus, neq; eidem, vt decet, obedire. Idcirco Deus ad puniendum peccata ipſorum tyrannos interdum immittit, eoſq; per illos tanquam flagella caſtigat. Quinta cauſa eſt ſeditio ciuium, quæ fons & radix eſt multorum malorum, tam priuatorum, quam publicorum. Speciales cauſæ aliæ Monarchiam, aliæ Ariſtocratiam, aliæ Democratiam concernunt. In Monarchia mutationis cauſæ ſunt regum & principum impietas, ambitio, auaritia, ſuperbia, luxuria & libido. In Ariſtocratia cauſæ mutationis ſunt: 1, magiſtratuum paucitas inuidioſa & licentioſa. 2, virtutis contemptus. 3, ambitio & auaritia imperantium. 4, infamia & contumelia erga benè meritos exercitæ: maximè verò honorum ſperatorum denegatio. 5, plebæorum & pauperum

Generales quæ ſunt quinq;
1
2
3
4
5

2 *Speciales quæ concernunt Vel Monarchiam. Vel Ariſtocratiam.*

oppreſſio facta à nobilibus & opulentis. 6, legũ vetuſtatum abrogatio. 7, leuium delictorum neglectus & impunitas. In Democratia cauſæ mutationis ſunt: 1, ductorum populi & adulatorum petulantia qua diuites calumniis vexant & popellum aduerſus nobiles & potentes excitant obiecta libertatis ſpe. 2, nimia poteſtas vni vel alteri ductorum à populo conceſſa, eorumque ambitio inde orta. 3, plebis imperitia, inconſtantia & leuitas, quæ mutationibus crebris delectatur.

Vel Democratiam.

Sunt tamen alii qui cauſam mutationis Reipublicæ diſtinguunt in externam & internã. Externam aliam dicunt eſſe ſuperiorem cuiusmodi eſt Deus; ſtella: aliam inferiorem. Internam aliam dicunt eſſe in materia Reipub. cuiusmodi ſunt partim perſonæ, partim res ex quib. Reſpub. conſtat: partim in forma Reipub. cuiuſmodi eſt ipſa Politia ſeu regimen ciuile.

Quomodo alii cauſas mutationis imperiorum diſtinguãnt.

13 *An Anarchia imperio opponatur: & quomodo?*

ANarchia nihil aliud eſt quàm negatio ſeu priuatio imperii confuſionem & deſtructionem Reipublicæ ſecum trahens. Ideoque imperio partim contradictoriè, partim priuatiuè opponitur. Obſeruandum autem Anarchiam quauis tyrannide, alioque quouis imperio illegitimo deteriorem eſſe. Ideoque potius cuiuſque imperii formam etiam deterrimam ſeruandam & tolerandam eſſe quam Anarchiam. Et hoc etiam teſtatur Sophocles cum ait *non eſſe maius malum, quam Anarchiam.* Item Chryſoſtomus in homil. ad populum

Obſeruatio.

lum Antiochenum cum inquit: *Præſtat regem tyrannum habere quam nullum.* Vnde etiam à Danæo lib. 1. Politicæ Chriſtianæ aphoriſmo 10. Anarchia vocatur *Illas & Lerna calamitatum tum publicarum, tum priuatarum.*

CAPVT III.

De natura & officiis ſubditorum.

PRÆCEPTA.

1 *Hactenus explicata eſt doctrina Politica de imperio ciuili. Reſtat ſubiectio, per quam ciues in Repub. imperio ciuili ſubordinantur.*

2 *In illa conſideranda veniunt partim natura, partim officia ſubditorum.*

3 *Subditi ſunt perſonæ ciuiles magiſtratus Politici imperio ſubiectæ.* Subditi quid ſint.

4 *Eorum officia alia ſunt generalia, alia ſpecialia.*

5 *Generalia officia ſunt, vt in ciuili hominũ ſocietate ſecundum rectæ rationis & virtutis præſcriptum vitam honeſtam & inculpatam agant.*

6 *Specialia officia ſubditorum alia Deum, alia magiſtratum, alia conciues concernunt.*

7 *Officia quæ Deo debentur, conſiſtunt in vera religionis & pietatis amore & ſtudio. Sic enim Deo, quæ Dei ſunt, tribuuntur.*

8 *Officia, quæ magiſtratui debentur, alia ſunt prima, alia à primis orta.*

9 *Prima officia conſiſtunt in amore & reuerentia ſubditorum.*

10 *Amor ſubditorum eſt affectus beneuolus quo ipſi ſuum magiſtratum tanquam patriæ parentem complectuntur.*

11 *Reuerentia ſubditorum eſt honor, quo ipſi ſuum magiſtratum ex animo colunt, venerantur & obſeruant.*

12 *A primis orta officia conſiſtunt in obedientia & fidelitate ſubditorum.*

13 *Obedientia ſubditorum eſt, qua illi legitima magiſtratus ſui mandata libenter audiunt, prompteq; ac pro virili iis ſatiisfacere ſatagunt.*

14 *Fidelitas ſubditorum eſt, qua illi fidem magiſtratui datam inuiolatè ſeruant in præſtandis muneribus publicis tam perſonalibus quam realibus: inprimis vero in tributorum debitorum exhibitione.*

15 *Officia quæ conciuibus debentur alia ſunt communia, alia propria.*

16 *Communia officia ſunt, quæ conſiſtunt in amore, iuſtitia & concordia.*

17 *Amor exigit, vt ſubditi ſuos conciues tãquam vnius corporis ciuilis membra ex animo diligant, iisq; benè velint & faciant.*

A a 2 18 *Iu-*

18 *Iuſtitia exigit vt ſubditi nemini conciuium iniuriam faciant: ſed cuiq; quod ſuum eſt, tribuant.*

19 *Concordia exigit, vt ſubditi cum ſuis conciuibus pacatè & tranquillè viuant, omnemque diſſenſionem & contentionem fugiant.*

20 *Propria officia alia concernunt æquales ſiue ætate, ſiue vitæ genere, ſiue dignitate; alia inæquales.*

21 *Officia erga æquales exercenda ſunt vt alii aliis virtutum, morumq; bono exemplo præeant, obſeruataq; iuris æqualitate nemo alteri ſeſe præferat.*

22 *Officia erga inæquales alia ſpectant ſuperiores, alia inferiores.*

23 *Erga ſuperiores exercenda eſt modeſtia cū debito obſeruantiæ & obſequii ſtudio coniuncta.*

24 *Erga inferiores exercenda eſt humanitas cum grauitate concinna coniuncta.*

1 *An ſubiectio neceſſario cum imperio ſit coniuncta: & vtra pars ſit prior natura & dignitatis ordine?*

IN prima parte quæſtionis ſtatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1. quia Politia eſt ordo inter homines ciuiles, quorum alii præſunt & imperant: alii ſubiiciuntur & parent. Ideoq; ad eius conſtitutionem non tantum imperium, ſed ſimul ſubiectio ciuilis neceſſariò

Pro theſi affir. in prima parte. Ratio. 1

2 requiritur. 2, quia ἄρχων καὶ ἀρχόμενος, hoc eſt, *Imperans*, *& is cui imperatur* ſunt relata. Cum autem relatum non poſſit eſſe abſque ſuo correlato: ſequitur neq; imperantem poſſe eſſe
3 abſq; eo, cui imperatur. 3, quia omne imperium eſt varium & otioſum, vbi nemo eſt, qui imperio vult eſſe ſubiectus. 4, quia Deus & natu-
4 ra ſubiectionem cum imperio indiſſolubili vinculo coniunxit, Ergò Deo & naturæ repugnat, qui vnum ab altero vult ſeparare.

Pro imperii prioritate Argum.

Cæterum hoc loco quæritur, vtrum ſubiectio an imperium naturæ & dignitatis ordine ſit prius. Ac pro imperii prioritate afferuntur
1 hæc argumenta: 1, quia actio naturæ & dignitatis ordine prior eſt paſſione. Imperium autem includit actionem; ſubiectio, paſſionem. Vnde etiam regere natura & dignitate prius eſſe
2 dicitur quam regi. 2, quia ſubiectio pendet ab imperio tanquam à ſua menſura & norma. Ideoque & naturæ & dignitatis ordine eſt poſterior. Vnde etiam in Politicis prius de imperio agitur, quam de ſubiectione.

Obiectio.

Sed contra hanc ſententiam obiici poteſt imperium & ſubiectionem eſſe relata, non ſecus ac regere & regi: Ideoque cum relata ſint ſimul natura, imperium non rectè dici prius ſubiectione.

Reſponſio ad obiect.

Reſponderi autem poteſt imperium & ſubiectionem propriè loquendo non eſſe relata, ſed potius relationes imperium enim eſſe relationem imperantis ad ſubiectum: Et ſubiectionem eſſe relationem ſubiecti ad imperantem. Ac etiamſi eſſent relata: inde

tamen

tamen non ſequi, quod imperium quatenus imperium, & quatenus includit actionem ordine naturæ & dignitatis non ſit prius ſubiectione.

2 *Vtrum ſubditi ſint priores, an poſteriores magiſtratu?*

HÆc quæſtio à Politicis in vtramque partem diſceptatur. Alii enim ſtatuunt ſubditos priores eſſe magiſtratu: alii contra magiſtratum priorem eſſe ſubditis.

Argumenta pro prima ſententia ſunt: 1, quia ſi primus hominum à mundo condito ſtatus reſpiciatur, patebit populum ex multis familiis collectum fuiſſe, antequam fuit vlla ſocietas ciuilis, vllusve magiſtratus Politicus conſtitutus. 2, quia omnis magiſtratus legitimus ab initio liberis ſubditorum ſuffragiis fuit electus & conſtitutus. Ne enim inferiores & infirmiores à ſuperioribus opprimerentur, ad vnum aliquem æquitatis & iuſtitiæ laude inſignem decurrerunt hominem, quem ſibi certis legibus, certiſque conditionibus in regem & principem elegerunt. Vnde rectè ab Homero regnum vocatur *præmium, quod populus vniuerſus alicui dedit.* Et Danæus libro 1. Polit. Chriſtianæ cap. 4. ait *reges à ſubditis; non autem ſubditos à regibus eſſe creatos.* Cum autem efficiens prior ſit ſuo effecto: ſequitur ſubditos eſſe priores ſuo magiſtratu. 3, quia ſubditi non propter magiſtratum; ſed magiſtratus propter ſubditos eſt factus; non ſecus ac grex non propter

Pro ſubditorũ prioritate.

1

2

Iliad. 7.

3

paſtorem; ſed paſtor propter gregem eſt creatus. Et hoc teſtatur etiam Ariſtoteles lib. 5. cap. 1. cum ait magiſtratum hominibus præeſſe; ſed hominum cauſa. Et Stephanus Brutus contra tyrannos in vindiciis quæſt. 3. ait *reges à populo & cauſa populi eſſe conſtitutos*. Cum autem finis prior ſit finito: etiam ſubditi priores ſunt magiſtratu.
4 4, quia populus ſine magiſtratu eſſe poteſt: ſed magiſtratus ſine populo eſſe non poteſt: non ſecus ac grex ſine paſtore eſſe poteſt: ſed non paſtor ſine grege.
5 5, quia quod ſingulare & mortale eſt id dignitate eſt poſterius vniuerſali & immortali. Magiſtratus autem eſt quippiam ſingulare & mortale: populus autem, quippiam vniuerſale & immortale.

1 Argumenta pro ſecunda ſententia ſunt: 1, quia Adamus qui princeps & gubernator ſuæ familiæ à Deo fuit conſtitutus, prior fuit ſua familia. Extitit enim antequam eſſet Eua & liberi eiuſdem.
2 2, quia liberi poſteriores ſunt parentibus. Ergo etiam ſubditi poſteriores ſunt magiſtratu, qui eſt pater patriæ.
3 3, quia ſubditi à magiſtratu conſtituuntur & magiſtratus gratia, vt teſtatur Alberic⁹ in diſputatione de poteſtate regia. Vnde etiam Machiauelliſtæ ſtatuunt ſubditos ſimpliciter eſſe propter principem, & eſſe ex principis ſemine primitus natos: ac idcircò etiam eſſe principis mancipia, in quæ ille poſſit pro libitu dominari, tanquam in id quod ne eſſet quidem, niſi ille eſſet.
4 4, quia omne quod regitur, dignitate poſterius eſt eo, à quo regitur.

Pro

Pro deciſione quęſtionis ſciendum eſt: 1, ſub- *Quæſtio deciditur per diſtinct.*
ditos duobus modis conſiderari poſſe, nempe abſolutè, quatenus ſunt homines, & reſpectiuè,
1 quatenus ſunt ſubditi & ad magiſtratum referuntur. Priore modo ſubditos priores eſſe magiſtratu ordine naturæ & temporis: poſteriori vero eſſe natura & tempore ſimul cum magiſtratu.
2 2, ſubditos, quatenus reguntur & patiuntur non priores eſſe magiſtratu; ſed poſteriores ordine dignitatis, quatenus nimirum magiſtratus conſideratur vt agens & regens.
3 3, liberos poſteriores eſſe ſuis parentibus ſecundum eſſentiam abſolutam; non autem ſecundum eſſentiam, reſpectiuam.
4 4. non minus abſurdum eſſe ſtatuere ſubditos à magiſtratu conſtitui, & magiſtratus gratia: ac ſi quis dicat oues à paſtore gigni & paſtoris gratia.
5 5, magiſtratum quidem ratione ſuæ perſonæ eſſe ens ſingulare & mortale; & ſic dignitate poſteriorem omnibus ſuis ſubditis, ſeu populo vniuerſo, qui eſt quippiam vniuerſale & immortale: ſed ratione ſui officii, quod vniuerſale eſt & perpetuum, digniorem eſſe omnibus ſuis ſubditis.

3 *An poſſit aliquis eſſe bonus ſubditus, niſi ſit vir bonus?*

SVnt multi, qui exiſtimant, poſſe aliquem eſſe bonum ſubditum: etiamſi non ſit vir bonus: non ſecus ac bonus artifex eſſe poteſt; qui vir bonus non eſt. Quæ ſententia etſi concedi poteſt de eo, qui non κατ' ἀλήθειαν, ſed κατὰ δόξαν duntaxat eſt bonus ſubditus: tamen de eo, qui reuera bonus eſt ſubditus concedi nequit. Ra-

Pro theſineg. ratio. tiones ſunt: 1, quia ſubditus reuera bonus eſt, qui non tantum honeſtis Reipub. legibus, ſed
1 etiam mandatis iuſtis ſui magiſtratus libenter & promptè obtemperat. Talis autem nemo
2 eſſe poteſt; niſi ſit vir bonus. 2, quia nemo dicitur ſubditus bonus à bonitate naturali, vel artificiali, ſed à bonitate morali tantum. Hæc
3 verò eſt forma viri boni, quatenus eſt talis. 3, quia virtus moralis eſt rectrix & informatrix vitæ ciuilis, non eius tantum, quam magiſtratus bonus; ſed etiam eius, quam ſubditus bonus
4 agere debet. 4, quia nemo poteſt eſſe magiſtratus bonus, niſi ſit vir bonus. Ergo neque ſub-
5 ditus bonus. 5, quia ſi poſſet aliquis eſſe ſubditus reuera bonus, qui tamen non eſt vir bonus: ſequeretur hominem non tantum benè parere; ſed etiam vitam ciuilem, rectè inſtituere poſſe ſine virtute morali. Sed conſequens eſt falſum & abſurdum. Ergo & antecedens.

Obiect. Quod ſi quis obiiciat in qualibet Repub. maximam ferè partem ciuium non eſſe viros bonos: & tamen omnes pro ſubditis bonis haberi, quicunque magiſtratui debitam obedientiam præſtant, & cum aliis pacatè & tranquillè viuunt.

Reſponſio ad obiect. Reſpondeo ſubditum reuera bonum non æſtimandum eſſe ex opinione hominum; ſed ex rei veritate, quæ fundata eſt in recta ratione & virtute morali, citra quam nihil reuera eſſe poteſt moraliter bonum: neq; quiſquam debitam obedientiam magiſtratui præſtare, neque ex firmo animi propoſito pacatè & tranquillè viuere poteſt.

4 An

4 *An ſubditi ſuum magiſtratum amare & revereri debeant?*

Pro theſi affir. Ratio.

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia magiſtratus eſt miniſter & vicarius Dei, 1
eiuſq; vera & viua imago. 2, quia eſt pater patriæ, cuſtos legum, adminiſtrator bonorum publicorum, paſtor populi, oculus & lumen ciuitatis, columen & fulcrum Reipub. 3, quia lex 2
diuina præcipit, vt ſubditi magiſtratum ſuum 3
diligant & honorent. 4, quia lex naturæ & recta ratio poſtulat, vt eos, à quibus multis beneficiis afficimur, amemus & obſeruemus. Iam 4
autem nemo negare poteſt à magiſtratu bono multa & magna beneficia quotidie in ſubditos conferri. 5, quia amor & reuerentia erga magi- 5
ſtratum ſubditos excitat & impellit ad debita obedientiæ & fidelitatis officia illi præſtanda: ſicut contra odium & contemptus magiſtratus ſubditos reddit contumaces, infideles & rebelles. 6, quia benè & feliciter agitur cum illa Re- 6
publica, in qua ſubditi ſuum magiſtratum amāt & reuerentur: contra autem miſerè & infeliciter, in qua ſubditi eundem oderunt & deſpiciunt. 7, quia ſubditi nomen bonorum viro- 7
rum tueri non poſſunt, neq; pœnas Dei grauiſſimas euitare, niſi magiſtratum ſuum ament, & obſeruent. 8, quia beſtiæ rationis expertes ſuos 8
cuſtodes, paſtores & ductores amare ſolent v.g. canes ſuum herum, oues ſuum opilionē, apes ſuum regem, &c. Ergò multò magis ſubditi, qui rationis ſunt compotes, ſuum magiſtratum amare & colere debent.

5 *An ſubditi ſuo magiſtratui ſemper obedire debeant?*

Pro theſi affir. Argum. PRo theſi affirmante faciunt hæc argumenta: 1, quia magiſtratus eſt miniſter & vicarius
1 Dei, & quaſi Deus quidam terrenus. 2, quia eſt
2 lex viua & animata. 3, quia ſubditi lege diuina
3 naturali & ciuili obligati ſunt ad præſtandam
4 magiſtratui obedientiam. 4, quia ſubditi, qui magiſtratui obedientiam recuſant, Deo ipſi repugnant, qui magiſtratui poteſtatem imperandi
5 dedit. 5, quia inobedientia ſubditorum Reipub. ordinem & tranquillitatem perturbat & peruertit.

Pro theſi neg. Argum. At contra pro theſi negante adducuntur hęc argumenta: 1, quia ſoli Deo, cuius voluntas eſt
1 perpetua & immutabilis omnis iuſtitiæ regula ſine exceptione eſt parendum. Ergo cum authoritas hominis ſine impietate non poſſit exæquari authoritati Dei: ſequitur magiſtratui
2 non ſemper ſine exceptione parendum eſſe. 2, quia magiſtratus interdum præcipit, quod eſt impium & iniquum: v.g. impium præcipit: cum id iubet, quod Deus in prima decalogi tabula vetat, aut contra vetat, quod Deus in illa iubet: Iniquum præcipit: cum id fieri vetat, aut non fieri iubet, quod quiſq; pro ſua vocatione ſiue publica ſiue priuata proximo ſuo ex lege charitatis & iuſtitiæ debet. Iam autem nemo ſubditorum obligatur ad obediendum magiſtratui impium aut iniquum mandanti. Poteſtas ſiquidem iubendi prohibendiq; magiſtratui à Deo conceſſa, duobus cancellis eſt circumſcripta, nempe

nempe pietate & iuſtitia. Ideoq; ſi hos terminos tranſiliat magiſtratus: ſubditi non tenentur ei obedire. 3, quia aduerſus Deum rebelles recenſentur illi ſubditi, qui magiſtratui impia & iniuſta iubenti obtemperant. Ideoq; quæuis potius tormenta ſubire debent, quam eiuſmodi rebellionem aduerſus Deum mouere. 4, quia Deus benedicere ſolet iis, qui impiis & iniuſtis magiſtratus mandatis non obtemperant: contrà verò maledicere, qui iiſdem obſequuntur. 5, quia exempla proborum & piorum hominum omnib. ſeculis teſtantur magiſtratui non ſemper obediendum. Obſtetrices enim Ægyptiacæ parere recuſarunt impio edicto Pharaonis de occidendis pueris omnibus Hebræorum: Et propterea etiam Deus earum domibus dicitur benedixiſſe. Sic Danielis ſocii c. 6. Danielis noluerunt parere impio edicto Regis Nebucadnezaris de ſtatua aurea adoranda: & huius ſuæ pietatis Deū ipſum manifeſto miraculo approbatorē habuerunt. Sic Abdias aulæ magiſter impium & iniquū mandatum Ieſabelis de occidendis Dei Prophetis exequi noluit: ſiquidem eos non tantum nō occidit; ſed etiam viuos occultauit & aluit. Sic cum Antiochus iuberet idolis ſacrificia offerri ceremonias ſacras violari, & diuina ſcripta legis & Prophetarum igne comburi: illius furori fideles, qui tum reliqui erant, duce Mathathia ſeſe oppoſuerunt. Imò cum principes Sacerdotū & ſummum Scribarū concilium Euangelii prædicationem minis prohibere conarentur: tantū abeſt vt illis Chriſtus; aut poſt illum Apoſtoli morem geſſerint: vt ille quidem ſæpè publicè in

templo iis inuitis concionaretur: hi verò apert reſponderent, ſe mâlle Deo obſequi, quam ho minibus. Quorum etiam exempla poſtea ſanct Martyres ſecuti ſunt conſtantiſſimè.

Quæſtio deciditur per diſtinct. Pro deciſione quęſtionis Piccolomineus gra du 3. Philoſophiæ ciuilis c. 10. vbi eandem fer quæſtionem mouet, An ſemper, qui vitam du
1 *Ex ſententia Piccolominei.* cunt ſub principe, teneantur ei obtemperare reſpondet hoc modo: Dum Princeps ſeruat lo cum principis, ſuoq; munere fungitur: ſemper tenetur ei populus obtemperare. Seruat autem locum principis, dum iuſtus eſt, ſuoq; eminentiori principi, Deo ſcilicet paret: dum autem furit, formamque principis exuit, non amplius ei obtemperare tenetur. Forma autem princi-
2 pis eſt prudentia & iuſtitia. Alii verò in eandem *Ex ſententia aliorum.* ſententiam docent, magiſtratui ſemper obediendum eſſe à ſubditis, quatenus nihil vel impium, vel iniquum præcipit, ſeu quatenus mandata ipſius cum lege Dei conſentiunt: Quatenus verò aliquid præcipit quod vel impium, vel iniquum eſt, adeoq; legi Dei aduerſatur: illi nô eſſe obtemperandum. Vt enim ſerui non tenentur heris ſuis obedire, ſi quid aduerſus magiſtratus Politici mandata imperant: ita nec ſubditum magiſtratui obligatum eſſe, ſi quid aduerſus legem Dei præcipiat.

6 *An ſubditi Deo magis, quam magiſtratui obedire debeant?*

Quæſtio deciditur per diſtinct. CVm magiſtratus in iubendo & prohibendo conſentit cum Deo, eiuſq; lege: ſubditi non minus illi, quam Deo obedire tenentur. At cum diſſentit à Deo, eiuſq; lege: ſubditi Deo potius,

potius, quam magiſtratui obedire tenentur. Rationes ſunt: 1, quia Deus eſt ſupremus mundi Monarcha, cuius imperio abſoluto non tantum omnis magiſtratus Politicus; ſed etiam cæteri omnes homines ſubiecti. Vnde etiam in Scriptura ſacra paſſim dicitur *Rex regum & dominus dominantium*. 2, quia omnis magiſtratus Politicus quantumuis ſummus & maximus omnem imperandi poteſtatē à Deo habet, eamq; certis terminis circumſcriptam, quos ipſi pro libitu tranſilire non eſt licitum. Vnde etiam dicitur, modò *vaſallus Dei*, qui ab ipſo tanquam feudi Domino inueſtituram capere tenetur: modò *miniſter & vicarius Dei*. 3, quia Deus ius habet deturbandi principes & reges de ſuo ſolio, in quod ab ipſo ſunt collocati, & tradendi regna, quibus vult. 4, quia Deo propter ſeipſum; magiſtratui autem propter Deum eſt obediendum. Ideoq; cum aduerſus Deum aliquid imperat magiſtratus: Deo potius, quam magiſtratui eſt obediendum. 5, quia magiſtratus Politicus non minus obligatus eſt ad ſeruandas leges diuinas, ac cæteri homines: & propterea etiam Deo rationem ſuæ adminiſtrationis reddere tenetur. 6, quia Deus grauiſſimè punire ſolet ſubditos, qui magiſtratui potius, quam Deo obedire volunt.

Ratio. 1 2 3 4 5 6

7 *An ſubditis liceat mandata ſui magiſtratus examinare & diiudicare?*

PRo theſi negante faciunt hæc argumenta: 1, quia æquū eſt, vt probi ſubditi de ſuo magiſtratu, eiuſq; mādatis benè ſentiāt, nihilq; iniuſti

Pro theſi neg. Argum. 1

2 aut præſumant, aut ſuſpicentur. 2, quia non decet priuatos homines de rebus etiam dubiis curioſè inquirere, præter ſuum vel captum vel cõditionem. 3, quia ſubditi facilè, vel ex imprudẽtia vel ex affectu quodam, quo iudicium mentis excæcatur & corrũpitur, errare poſſunt in diiudicandis magiſtratus ſui mãdatis. 4, quia pugnat cum dilectione & reuerentia, quam ſubditi ſuo magiſtratui debent, illius mandata examinare & diiudicare.

Pro theſi affir. Argum.

At contra pro theſi affirmante afferuntur hæc argumenta: 1, quia ſubditi nullum mandatum magiſtratus ſui exequi debent, quod vel impiũ eſt, vel iniuſtum. Non poſſunt autem cognoſcere, vtrum impium ſit, vel iniuſtum, niſi ad trutinam legis diuinæ & rectæ rationis illud examinent & diiudicẽt. 2, quia de quocunq; magiſtratus mandato ſubditi dubitant, vtrum ſit iuſtum, an iniuſtum; id facere non debent, antequam modeſtè & pacificè inquiſierint, quid rationis & æquitatis ei inſit.

Stat enim firmum illud Apoſtoli dictum Rõ. 14. v. 23. *Quicquid fit ſine fide*, hoc eſt dubitante conſcientia, *iuſtum ne id fiat, an ſecus, peccatum eſt.*

3 3, quia vera obedientia eſt virtus pro facultate implendi mandata ſui legitimi ſuperioris gratia honeſti, & eius quod decet. Ideoq; ſubditi qui magiſtratui parent in iis, quæ honeſta non ſunt aut ſaltem eſſe ignorantur, non veram dicuntur præſtare obedientiam, ſed prauam & cæcam.

Quæſtio decitur per diſtinctio.

Pro deciſione quæſtionis quidam diſtinguũt inter ſubditos, quatenus collectim, & quatenus ſigillatim conſiderantur. De illis aiunt concedi poſſe

poſſe theſin affirmantem quæſtionis: de his verò non. Non enim probabile eſſe ſtatuunt, ſubditos ſimul collectos in examinandis & diiudicandis mandatis ſui magiſtratus errare poſſe: prę ſertim cum multi in eorum numero ſint, qui ſunt prudentes & viri boni: ſingulos autem ſubditos facilè vel ex imprudentia, vel ex prauo affectu errare poſſe arbitrantur. Sed alii hanc deciſionem, quãtum ad ſingulos ſubditos attinet, ſimpliciter nõ approbant: ſed putant inter hos etiam diſtinguendum eſſe, quatenus ſunt prudentes & viri boni, & quatenus ſunt imprudentes & viri improbi. Illis enim concedunt licentiã iudicandi de mandatis ſui magiſtratus: his verò non. Et hoc etiam probant non tantum exẽplis eorum, qui ſinguli ſubditi fuerunt; & tamen iudicium ſibi de mãdatis magiſtratus ſui ſumpſerunt; ſed etiam ex natura viri boni & improbi idem demonſtrant. Nam vt Ariſtoteles docet lib.3. Ethic. ad Nicomach. c.6. σπουδαῖος ἕκαστα κρίνει ὀρθῶς, καὶ ἐν ἑκάστοις τ' ἀληθὲς αὐτῷ φαίνεται. *Vir bonus de ſingulis rebus rectè iudicat, & in ſingulis verum ipſi apparet.* Item paulò pòſt σπουδαῖος τ' ἀληθὲς ἐν ἑκάστοις ὁρᾷ ὥσπερ κανὼν, καὶ μέτρον αὐτῶν ὤν: Τοῖς πολλοῖς δὲ ἀπάτη διὰ τὴν ἡδονὴν ἔοικε γίνεσθαι. *Vir bonus verum in ſingulis rebus perſpicit, tanquam ſit norma & menſura earum: Vulgo verò error propter voluptatem videtur contingere.* Item cap. 2. eiuſdem libri. ἀγνοεῖ πᾶς ὁ μοχθηρὸς ἃ δεῖ πράττειν καὶ ὧν δεῖ ἀφεκτέον, *Ignorat omnis improbus, quæ ſint facienda, aut omittenda.* 2

8 *An ſubditi legibus potius, quam magiſtratui obedire debeant?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia tutius eſt legem, quam hominem quan- *Pro theſi affir. Ratio.* 1

tumuis perſpicacem ſequi. Lex enim eſt multo-
rum prudentium collecta ratio & ſapientia. Plu-
res autem perſpicaciores ſunt & oculatiores,
2 quam vnus. 2, quia lex omnibus vna & eadem
3 voce loquitur: Magiſtratus autem non. 3,
quia lex eſt ratio ab omni perturbatione va-
cua, quæ non ira, non cupiditate, non odio,
non ſtudio mouetur, non precibus & minis
flectitur, aut muneribus corrumpitur: Ma-
giſtratus verò quamuis rationis ſit particeps
ſubinde ira, cupiditate vindictæ, aliiſque affe-
ctibus perturbatur & rapitur: vt ipſe ſui non
ſit compos. Hinc Valentianus Imperator bo-
nus alioqui, quia duas vxores ſimul habere vo-
luit, aliis eandem licentiam conceſſit. Et Cam-
byſes Cyri filius nuptias cum germana ſorore
licitas eſſe voluit: quia ſororem deperibat.
4 4, quia lex eſt mens ſeu potius mentium con-
gregata multitudo: mens verò eſt diuinæ au-
ræ particula. Ideoque qui legi paret, Deo pa-
ret, Deumque arbitrum quodammodo face-
re videtur. Contra autem, qui magiſtratui
parere mauult, quam legi, belluæ, quam Dei
imperium malle videtur. Idcircò Ariſtoteles
inquit lib. 3. Polit. cap. 3. *eum, qui legem Reipu-
blicæ præficit, Deum præficere: qui verò hominem,
belluam præficere.* Et huc etiam Prophetæ al-
ludere videntur, quando imperia immania
5 belluarum rapacium nomine depingunt. 5,
quia vtilius & honeſtius eſt legi quam magiſtra-
6 tui hoc eſt homini parere. 6, quia magiſtra-
tus ipſe legibus eſt ſubiectus: & ſuo officio
fungi

fungi non poteſt, niſi legum ductum ſequatur. Vnde Archeſilaus rex Spartanorum affirmat, *Imperatorem legum imperata facere oportere.* Et Pauſanias Spartanus ait *legibus in homines; non hominibus in leges authoritatem conuenire.* 7, 7
quia magiſtratus ipſe eſt legis tanquam reginæ cuſtos & miniſter. Reginæ autem potius, quam miniſtro eſt parendum. 8, quia magiſtratus iuſ- 8
ſa non ex ipſius voluntate, ſed ex legum authoritate iuſta æſtimanda ſunt. Non enim ideo illa ſunt iuſta, quia magiſtratus vult: ſed quia legibus ſunt conſentanea: imò quicquid magiſtratus vult, prius iuſtum eſſe debet, quam ipſe velit. Et propterea impia ſunt nugamenta Aulicorum aſſentatorum qui Regum reſponſa oracula vocant: nec verentur Regibus perſuadere, nihil per ſe iuſtum vel iniuſtum eſſe; ſed vt Rex ita, vel ſecus iuſſerit, iuſtum vel iniuſtum fieri: quaſi Deus ipſe ſit, qui peccare nullo modo poſſit. *Non enim iuſtitia Regi perinde ac Ioui aſſidet, vt quicquid ei libitum fuerit, confeſtim ſanciat*: quemadmodum Anaxarchus ad Alexandrum de Clyti, quem interfecerat, nece vehementer anxium dicebat: ſed contra iuſtitia regno præſidet, vt ſi Reges legum maieſtatem violent & lædant, pœnas ab illis grauiſſimas repoſcat. *Neq, Principum vtilitate & libidine ius omne definitur*, vt Thraſymachus ille Chalcedonius dicebat: ſed potius principum vtilitas iure terminatur, & libido legib9 coercetur. *Neq, Principi, quod libet, licet*, vt mater Antonino Caracallæ dicebat: *verum quod per leges licet, id ei collibeſcere debet.*

Obiectio. At contra obiici poteſt magiſtratum eſſe legẽ animatam & loquentem: Ideoq; illi potius, quã legibus inanimatis & mutis eſſe obediendum.

Solutio obiectionis. Reſpondeo magiſtratum dici legem inanimatam & eloquentem non propriè & ſimpliciter; ſed impropriè & ſecundum quid: quatenus ſecundum leges inanimatas & mutas imperat & iudicat, & ne ſummum ius ſumma iniuria fiat, adhibita in conſilium ratione, quæ legis anima eſt, legem interpretatur: vt ita id, quod ex legis eſt ſententia ex lege ipſa eſſe iudicetur; non autem id quod ex verbis legis infertur.

9 *An ſubditis liceat impiis & iniuſtis magiſtratus ſui conatibus reſiſtere; & quomodo?*

GRauiſſima hæc eſt quæſtio & valdè periculoſa. Ideoq; à pleriſq; Politicis aut planè omittitur, aut leui ſaltem brachio ventilatur & tractatur. Quia tamen ſæpè contingere ſolet, vt magiſtratus Politicus poteſtate ſibi diuinitus cõceſſa abutatur vel ad vaſtandam & perſequendã veram religionem, Eccleſiamq; Chriſtianã, vel ad opprimendam & perdendam Rempub. neceſſarium eſſe videtur, vt ſubditi ſciant, quid in tali caſu ipſis ſit faciendum, & an magiſtratui illis liceat reſiſtere; ac quomodo.

Pro theſi affir. Argum. Pro theſi igitur affirmante huius quæſtionis hæc argumenta proferri poſſunt: 1, quia ſubditi

1 iure diuino obligati ſunt ad curandum & cauendum, ne quid detrimenti Eccleſia, vel Reſpub. capiat. Ideoq; quando vident vtramq; iniuſtè & violenter impugnari: illorum officium requirit,

2 vt tam nefariis conatib. reſiſtant. 2, quia mutua eſt obligatio inter ſubditos & magiſtratum per

quam

quam hic ad benè imperandum;ille ad parendũ benè eſt obſtrictus. Ideoq; ſi magiſtratus contra datam fidem Eccleſiam & Rempublicam opprimere conetur: ſubditi tenentur eius conatus impedire & reprimere. 3, quia ſubditi Deo tanquam primo & ſupremo Domino magis quam ipſi magiſtratui ſunt obligati. Illi enim ſimpliciter ſunt obligati:huic verò cum cõditione ſi benè imperet.Ideoq; niſi impiis&iniuſtis conatib, magiſtratus reſiſtant, negligentiæ & conniuentiæ pœnas ipſi Deo, non minus ac magiſtratus impietatis ac perfidiæ dare tenentur. 4, quia nõ maior eſt ſubditorum erga magiſtratum obligatio,quam liberorum erga parentes, ſeruorum erga dominos,liberorũ erga patronos.Iam autẽ licitum eſt liberis,ſuorum parentum;ſeruis ſuorum dominorum; libertis ſuorum patronorum impiis & iniuſtis conatibus reſiſtere.Ergo etiam ſubditis eadẽ licentia detrahi non poteſt. 5,quia magiſtratus à populo& propter populũ eſt conſtitutus,vt Rempublicam benè curet & adminiſtret,bonoſq; defendat, & improbos puniat, adeoq; tam ſingulos à mutuis, quam vniuerſos ab externis iniuriis defendat.Ideoq; ſi magiſtratus Rempub.euertere,&per tyrannidem opprimere conetur: populus ei ſalua conſcientia reſiſtere poteſt. 6,quia magiſtratus Deo ſimpliciter eſt obligatus ad piè obediendum, eiuſq; gloriam promouendam & propagandam: populo verò ad iuſtè imperãdum, publicumq; bonum procurandum & defendendum.Cum igitur perfidus fit aduerſus Deum & populum; & manifeſtam tyrannidem aduerſus Eccleſiam & Rempublicam exercet: ſubditi non debent illis

ſceleribus conniuere; ſed quantum in ſe eſt, obſiſtere. 7, quia tyrannus nihil aliud eſt quam hoſtis patriæ & Reipublicæ, aut vt latro vim publicam hominibus intentans. Sicut ergo ſubditis licet hoſtibus & latronibus reſiſtere: Ita etiam tyrannis. 8, quia non perfidus & ſeditioſus eſt, ſed fideliſſimus iuramenti præſtiti obſeruator, qui aduerſus manifeſtam tyrannidem Eccleſiam & Rempublicam defendunt. Hinc Traianus Imperator cum Suræ (quem Tribunum militum creauerat) proinde parazonium nudū porrigeret. *Talem*, inquit, *enſem accipe, quem pro me ita demum ſtrinxeris, ſi iuſtè imperauero ſin perperam quicquam per me fieri cognoueris, eo in perniciem meam vtaris velim.* 9, quia Proregi aduerſus Regem ſuum coniuranti reſiſtere licet ſubditis ex ipſa fidelitatis promiſſæ formula. Ergo etiam iiſdem licet reſiſtere Magiſtratui aduerſus Deum aliquid impie & nefarie molienti. Non enim crimina in diuinam maieſtatem à magiſtratu publicè commiſſa ſubditis ſunt toleranda. Hinc in veteri teſtamento, Regibus fœdus Dei violantibus, Prophetæ Iudam, domum Iacob, Samariam perpetuò alloquuntur, vt eos officii ſui admoneant: Nec id tantum, ne Baali ſacrificent; ſed vt Baalem eiuſq; Sacerdotes, Rege inuito & reclamante, deturbent & exterminent. Imò quotieſcunq; Regi cultum Dei violanti nō obſtitit Iſrael, ſuæ negligentiæ & conniuentiæ ſuæ pœnas; non minus ac Rex idololatriæ & perfidiæ ſuæ dedit.

Pro theſi neg. Argum. At contra pro theſi negante hæc argumenta addu-

adduci ſolent: 1, quia magiſtratus eſt miniſter 1
& vicarius Dei. Ideoque eius authoritas debet eſſe ſacra & inuiolabilis: præſertim cum *Deo reſiſtere* dicatur, *qui magiſtratui reſiſtit* Rom.
12. 2, quia tyrannus eſt flagellum Dei, quo i- 2
pſe pro ſuo iudicio vtitur ad caſtiganda peccata populi. Ideoq; ſubditi eius iugum quantumuis grauiſſimum ferre debent: neque vlla aperta vi ei reſiſtere, ſed mitigationem & ablationem huius mali à Deo per preces cum vera
ra reſipiſcentia coniunctas flagitare. 3, quia 3
ſubditi publicè obligati ſunt ſuo magiſtratui ad obedientiæ & fidelitatis officia præſtanda. Illam autem obligationem publicè contractam, non licet cuilibet pro ſuo arbitrio ſoluere: etſi magiſtratum in tyrannum apertum conuer-
ſum eſſe videant. 4, quia ſupremus magiſtra- 4
tus nemini niſi ſoli Deo eſt ſubiectus. Ideoque etiam præter Deum nemo ius habet re-
ſiſtendi illi. 5, quia ſi ſubditis licentia conce- 5
deretur reſiſtendi ſuo magiſtratui: hac ratione feneſtra aperiretur ad quaslibet ſeditiones, coniurationes & rebelliones: & ſic publica tranquillitas, quæ finis eſt præcipuus omnis
benè conſtitutæ Reipublicæ turbaretur. 6, quia 6
Dauid etſi iam regni ſucceſſio ei conceſſa eſſet, & ducis præcipui officio in bello fungeretur: tamen, dum impetitur à Saulo, tantæ apud ſe authoritatis vnctum Domini fuiſſe oſtendit: vt deprehenſum neque ipſe lædere, neque ab aliis lædi voluerit: ſed extemplo illum mortis ſupplicio affici iuſſerit, qui de eo

à ſe occiſo gloriabatur: illum deniq; quantumuis iniquiſſimum tyrannum viuum & mortuum
7 honore maximo ſit proſecutus. 7, quia Scriptura ſacra iubet, vt ſubditi pro magiſtratu ſuo orent. Ergo non vult, vt iidem aduerſus magiſtratum ſuum inſurgant, aut ſeſe illi aperta vi opponant.
8 8, quia hiſtoriæ teſtantur omnes illos, qui per ſeditionem magiſtratui reſtiterunt, grauiter à Deo fuiſſe punitos. Inprimis verò hoc teſtatur exemplum Iudæorum (quales memorantur Iudas ille Galonitas, Theudas aliiq; furioſi) qui cum aduerſus Romanum Imperatorem rebellionem mouerent ad defendendam libertatem patriæ, miſerè perierunt.

Quæſtio deciditur per diſtinct.

Pro deciſione quæſtionis notandum eſt duobus modis magiſtratui malè & tyrannicè imperanti reſiſti poſſe, vel iure, vel vi. Priorem modũ reſiſtendi eſſe licitum ſubditis non tantum vniuerſis; ſed etiã ſingulis ſiue publicæ, ſiue priuatæ ſint conditionis & vocationis, quatenus iniurias à magiſtratu aut ipſe, aut Reſpublica patitur. Poſteriorem verò eſſe quidem licitum vniuerſis ſubditis, aut ſaltem iis, qui vniuerſos in Republica legitimè repræſentant: præſertim cum extrema Reipublicæ neceſſitas hoc requirit, aliaq; media & legitima & pacifica prius fruſtra tentata fuerint: non autem licitum eſſe ſingulis ſubditis; præſertim iis, qui priuatæ ſunt perſonæ neq; in publico aliquo munere ad Rẽpub. pertinentes ſunt conſtitutæ.

Ratio deciſionis.

Rationes huius deciſionis ſunt: 1, quia in qualibet Repub. magiſtratus à populo & propter
1 populum eſt conſtitutus. Ideoq; licet ſingulis ſubditis

ſubditis ſit ſuperior: tamẽ vniuerſis eſt inferior. 2, quia magiſtratus populo vniuerſo ſimpliciter eſt obligatus ad benè imperandum: ipſe verò populus magiſtratui eſt obligatus non ſimpliciter: ſed cum hac conditione ſi benè hoc eſt piè & iuſte imperet. Quod ſi igitur conditionem illam magiſtratus non tantum impleat; ſed etiã aduerſus illam manifeſtam tyrannidem perfide exerceat, & ſic omnia iura tam diuina, quam humana euertere conetur: tum populus vniuerſus non amplius magiſtratui eſt obligatus: neq; pro ſeditioſo & rebelli haberi poteſt, ſi iniuſtæ violentiæ legitimam defenſionem opponat, eamq; vel armata manu in caſu extremæ neceſſitatis exequatur. 3, quia populus vniuerſus grauiter peccat, quoties coniunctis animis & viribus peregrino hoſti patriæ & Reipub. libertatem & ſalutem impugnanti & euertere conanti non reſiſtit, quando reſiſtendi facultas illi datur. Ergò etiam peccat, cum aduerſus tyrannum domeſticum idem molientem omnibus modis licitis ſe non defendere ſatagit. 4, quia non licitum eſt vlli priuatæ perſonæ ex propria authoritate citra ſuperiorum cõſenſum obligationem cum magiſtratu publicè initam ſoluere, aut vi aperta ſeſe opponere tyranno. Interim ſciendum eſt, non quicquid licet, idem ſemper expedire. Ideoque quamuis iuſta occaſio opponendi ſeſe manifeſtæ tyrannidi quandoq; offeratur: conſiderandum tamen ſubinde eſt, ac ſi fieri poteſt, ſequendum conſilium illud Comici: ***Omnia prius experiri conſilio ſapientem, quam armis decet.***

Margin: 2, 3, 4, *Cautela.*

10 *An ſubditi inter ſe amicè concorditer & iuſtè viuere debeant?*

Pro theſi affir. Ratio. STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia ſubditi ſunt membra vnius corporis
1 ciuilis, cuius caput eſt ſummus magiſtratus. 2,
2 quia amicitia & concordia ciuium ſunt optimum & arctiſſimum in omni Republica incolumitatis vinculum: præſertim ſi cum iis iu-
3 ſtitia ſit coniuncta. 3, quia quod in cantu eſt harmonia; id concordia eſt in ſocietate ciuili. Sicut autem cantus ſine harmonia: ita ciuilis ſocietas ſine concordia conſiſtere non po-
4 teſt. 4, quia ſicut corpus Phyſicum conſeruatur, quamdiu membra illius inter ſe benè conſpirant, & vnumquodque rectè ſuo officio ſine alterius læſione fungitur: corrumpitur autem, cum inter ea exiſtit diſſenſio, & vnum alteri noxam infert. Ita Reſpublica conſeruatur, quamdiu inter ciues durat amicitia, concordia & iuſtitia: corrumpitur autem, cum inter illos viget inimicitia, diſcordia & iniuſtitia.

Error Machiauelli taxatur. Quod autem Machiauellus lib. 1. diſput. de Repub. cap. 4. aſſerit, diſcordias, quæ inter plebem & Senatum Romæ fuerunt, occaſionem dediſſe, vt ea Reſpublica libera ſimul & potens efficeretur: id ſi diſcordiis aſcribitur tanquam cauſæ efficienti per ſe, ſimpliciter eſt falſum: ſin autem tanquam cauſæ efficienti per accidens: concedo quidem, ſed theſis vera hac ratione non impugnatur.

Finis Politicæ.

568

Digitized by Google

C

Google

520

TABVLÆ TOTIVS PHILOSOPHIÆ PRACTICÆ METHODVM ADumbrantes.

Authore

CLEMENTE TIMPLERO
Stolpenſi Miſnico in Illuſtri Schola Steinfurtenſi Philoſophiæ profeſſore.



HANOVIÆ
Ex Typographia Antoniana.
MDCXI.
Cum Gratia & Priuileg. Sac. Caſ. Maieſt.

TABVLA ETHICÆ GENERALIS METHODVM ADVMBRANS.

Philoſophiæ practicæ partes duæ ſunt

- Vna generalis q̃ κατ' ἐξοχὴν Ethica dicitur. Eius partes ſunt duæ
  - Aretologia, in qua conſideranda venit
    - Natura virtutis moralis quæ cognoſcitur
      - Primariò
        - Ex cauſis quæ ſunt
          - Finis
            - Vltimus, gloria Dei.
            - Intermedius
              - Proximus { εὐζωία καὶ εὐπραξία.
              - Remotus εὐδαιμονία terrena
                - Ipſius hominis
                - Totius Reipub.
          - Efficiens A
        - Subiectis quorũ aliud
          - Recipiens, ut totus homo.
          - Occupans
            - Internum
              - Voluptas & dolor.
              - Affectus & actiones hominis.
            - Externum { Deus & Homo
      - Secundariò ex B
    - Diuiſio virtutis moralis C
  - Praxiologia G
- Altera ſpecialis, quæ diuiditur in { Oeconomicam. Politicam.

- **A Efficiens**
  - Prima *ſolus Deus.*
  - Secũda
    - Principalis
      - Mediata
        - Remota
          - Natura, *h. e. potẽtia naturalis homini à Deo inſita,*
            - Generalis *quæ eſt naturalis capacitas virtutis omnibus hominibus communis ab anima rationali immediatè prodiens.*
            - Specialis, *quæ eſt inclinatio ſeu propenſio ad virtutem certorũ hominum propria, orta ex bono corporis temperamento & diſpoſitione.*
          - Diſciplina *recta.*
        - Propinqua
          - Prudentia.
          - Proæreſis *recta.*
      - Immediata *eſt legitima aſſuefactio & exercitatio, hoc eſt, crebra honeſtarum actionum iteratio.*
    - Minus *principalis*
      - Impulſiua
        - Spes *præmii & metus pœnæ.*
        - Aſſidua *bonorum exemplorum conſideratio.*
        - Conſilia, *omniaq́; alia argumenta ſuaſoria quibus homo ad fugam vitii virtutisq́; ſtudium excitatur.*
      - Inſtrumentalis
        - Adiuuans
          1. Honeſtatis *amor, turpitudinis odium.*
          2. Prauorum *ſodalitiorum fuga, aſſiduaque cum probis conuerſatio.*
          3. Diligẽs *declinatio omnis ad peccandum occaſionis.*
          4. Bonorum *exemplorum imitatio; malorum euitatio.*
        - exẽplaris
          - Recta *ratiô.*
          - Exẽplar *virtutis in aliis nobis propoſitum.*
          - Sacra *ſcriptura.*

- **B Secundariò *ex***
  - Adiunctis *quæ sūt*
    - Propria, *ut q virtus Moralis eſt*
      - Poſita *in mediocritate.*
      - Vniformis.
      - Innocens.
      - Abuſus *expers.*
    - Cōmunia
      - Primaria, *ut quod virtus moralis eſt*
        - Spontanea.
        - Voluntaria.
        - Conſtans.
        - Honeſta *& laudabilis.*
      - Secūdaria, *ut quod virtus moralis eſt*
        - Ardua.
        - Rara.
        - Per ſe *inſenſilis.*
  - Effectis, *quæ in genere ſunt*
    - Proba *vita,*
    - Beata *vita quæ cōſiſtit in bonis*
      - Internis, *ut ſunt*
        - Bona *conſcientia.*
        - Tranquillitas *animi.*
        - Bona *corporis valetudo.*
      - Externis, *ut ſunt*
        - Gloria *cuius comites*
          - Honor.
          - Laus.
        - Amicitia.
        - Sufficientia *diuitiarum ad ſtatum vitæ felicem neceſſariarum.*
  - Oppoſitis *quæ ſunt*
    - Vitiū *morale*
      - Excedens
      - Deficiens
      - Huius *cauſa*
        - Prima *Diabolus.*
        - Secunda
          - Remota
            - Naturalis *propenſio ad malum ex temperamento corporis orta.*
            - Praua *educatio & Inſtitutio.*
          - Propinqua
            - Conuerſatio *aſſidua cum improbis.*
            - Imprudentia.
            - Crebra *prauarum actionū iteratio.*
    - Simulatio *virtutis moralis*

- Pietas, *cui opponitur*
  - Exceſſu *ſuperſtitioſitas.*
  - Defectu *Impietas.*

- Probitas *eſt duplex qua reſpicit, vel*
  - Nosmetipſos, *quae eſt vel*
    - 1. Claſſis
      - Philautia, *cui opponitur in*
        - Exceſſu *Authadeia.*
        - Defectu *Autoſtygia.*
      - Autarkeia, *cui opponitur in*
        - Exceſſu *avaritia.*
        - Defectu *contemptus divitiarum.*
    - 2. Claſſis
      - Temperantia, *cuius*
        - Species
          - Sobrietas.
          - Caſtitas.
        - Oppoſita
          - Intemperantia
            - Luxuria
              - Voracitas
              - Bibacitas
            - Salacitas
          - Stupiditas *circa*
            - Victum
            - Venerẽ.
      - Fortitudo, *cuius*
        - Species
          - Magnanimitas *utraq;*
            - Togata
            - Bellica.
          - Patientia.
        - Oppoſita
          - Mollities *ſeu timiditas*
            - Puſillanimitas.
            - Impatiẽtia
          - Audacia.
    - 3. Claſſis
      - Modeſtia, *cui opponitur in*
        - Exceſſu *ambitio.*
        - Defectu *contemtus honoris.*
      - Parſimonia, *cui opponitur in*
        - Exceſſu *ſumptuoſitas.*
        - Defectu *Tenacitas.*
    - 4. Claſſis
      - Vigilantia, *cui opponitur in*
        - Exceſſu *ſomnolentia.*
        - Defectu *inſomnia voluntaria.*
      - Sedulitas, *cui opponitur in*
        - Exceſſu *curioſitas.*
        - Defectu; *ignavia ſeu incuria.*
  - Alios *homines.* D

…ordinaria, *ut virtus Heroica.*

D Probitas *erga alios potiſſimùm homines exercenda eſt vel* ὁμιλητική. *Eſtq; vel*

- 1. Claſſis
  - Manſuetudo, *cuius*
    - Species
      - Lenitas.
      - Clementia.
    - Oppoſita
      - *in* Defectu
        - Lentitudo.
        - Indulgẽtia *nimia.*
      - *in* Exceſſu
        - Iracundia.
        - Crudelitas
  - *Humilitas, cui opponitur in*
    - Exceſſu *ſuperbia.*
    - Defectu *immoderata depreſſio.*
- 2. Claſſis
  - Concordia, *cui opponitur in*
    - *Exceſſu Diſcordia: cui ſubiicitur*
      - Litigioſitas.
      - Pugnacitas.
    - *Defectu Miſanthropia.*
  - Synceritas, *cuius*
    - Species
      - Candor.
      - Veracitas.
    - *Oppoſitũ inſynceritas*
      - Hypocriſis.
      - Mẽdacitas, *cui ſubiicitur*
        - *Arrogantia.*
        - *Diſſimulantia.*
        - *Aſſentatio.*
        - *Obtrectatio.*
- 3. Claſſis
  - Ciuilitas, *cui opponitur in*
    - Exceſſu *ὑπερχομψία.*
    - Defectu, *Inciuilitas.*
  - Grauitas, *cui opponitur in*
    - Exceſſu, *nimia ſeueritas.*
    - Defectu, *Leuitas.*
- 4 Claſſis
  - Humanitas, *cui opponitur in*
    - Exceſſu *Blandities nimia.*
    - Defectu *Inhumanitas.*
  - Vrbanitas, *cui opponitur in*
    - Exceſſu, *Scurrilitas.*
    - Defectu, *Ruſticitas.*
- 5 Claſſis
  - Taciturnitas, *cui opponitur in*
    - Exceſſu *Garrulitas.*
    - Defectu *Intẽpeſtiuũ ſilentium.*
  - Verecundia, *cui opponitur in*
    - Exceſſu *ſtupiditas ſeu immodicus pudor.*
    - Defectu, *Impudentia.*

κοινωνητική. E

E Probitas *πολιτευτικὴ est vel*

- Liberalitas *cuius*
  - Species
    - Officioſitas.
    - Munificentia, *cui ſubiicitur*
      - Magnificentia.
      - Hoſpitalitas.
  - *Oppoſita*
    - Illiberalitas *cui ſubiicitur*
      - Inofficioſitas.
      - Immunificentia, *cui ſubiicitur*
        - *Paruificētia.*
        - *Inhoſpitalitas.*
    - Prodigalitas, *cui ſubiicitur*
      - Nimia *officioſitas.*
      - Nimia *largitas.*
- Iuſtitia, *cuius*
  - Species
    - Diſtributiua
      - Attribuens.
      - Retribuens
        - *Remunerans: cui ſubiicitur.*
          - *Gratitudo.*
          - *Miſthapodoſia.*
        - *Puniens.*
    - Cōmutatiua, *cui ſubiicitur*
      - Fidelitas.
      - Iuſtitia *correctiua.*
  - Oppoſitū *Iniuſtitia*
    - *Diſtributiua*
    - *Cōmutatiua*
    - *ad vtrāque refertur*
      - *Pleonexia.*
      - *Meionexia.*
      - *Proſopolepſia.*

F Extra-

F

Extraordinaria virtus heroica in qua conſideranda

- **Cauſæ quæ ſunt**
  - **Finis**
    - Rerum *magnarum præclara ſuſceptio & geſtio.*
    - Summa *hominis cum Deo aſſimilatio.*
  - **Efficiens**
    - Prima, *peculiaris Dei afflatus & ductus: ſingulare temperamentum & diſpoſitio corporis.*
    - **Secunda**
      - **Mediata**
        - *Remota*
          - Peculiaris *naturæ impetus ab eiuſmodi temperamento pendens.*
        - *Propinqua*
          - Optima *inſtitutio, & quæ inde oritur ſapientia & doctrina eminens.*
          - Ardens *amor & deſiderium honeſtatis & diuinæ conditionis.*
      - Immediata *eſt actuum heroicorum frequens iteratio.*
- **Subiectum**
  - Reci*piens*
    - Heros.
    - Heroina.
  - Occupans *ſunt omnes illæ res, circa quas virtutes ordinariæ verſantur, ſed quatenus in iis excellentia & eminentia quadam cernitur: in primis verò bona publica, quæ gloriam Dei, Reipub. felicitatem ſalutemq; hominum, præſertim æternam, concernunt.*
- **Adiuncta**
  - Admirabilis *impetus & facultas inchoandi præclara & eximia facta.*
  - Singularis *celeritas & conſtantia efficiendi.*
  - Felicitas *ſeu ſucceſſus valdè ſecundus perficiendi.*
- **Oppoſita**
  - Feritas.
  - Summa *ignauia & ineptitudo voluntaria ad omne virtutis ſtudium.*

- Natura *quæ cognoſcitur ex*
  - Definitione *quâ dicuntur motus hominis ad bonum vel malum morale determinati.*
  - Principiis *quæ ſunt*
    - Externa
      - Finis
        - Boni *propoſiti affectatio.*
        - Mali *declinatio.*
      - Efficiens
        - In *homine*
          - Natura.
          - Intellectus.
          - Liberum *arbitrium.*
        - Extra *hominem*
          - Præparans
            - Educatio.
            - Inſtitutio.
            - Diſciplina *ſiue recta ſiue praua.*
          - Impellens
            - Suaſio, *Diſſuaſio.*
            - Laus, *vituperium.*
            - Præmium, *pœna.*
    - Interna
      - Materia, *motus naturalis.*
      - Forma, *determinatio motuum naturalium ad bonum, vel malum.*

- *Diſtributio qua actio moralis in genere eſt triplex*
  - 1
    - Simplex
      - Spontanea
        - Conſulta
        - Inconſulta
        - vtraque
          - Antecedens.
          - Cõſequẽs.
      - Inuita
        - Imprudens.
        - Violenta.
    - Mixta.
  - 2
    - Bona.
    - Mala.
  - 3
    - Interna.
    - Externa.

FINIS Tabulæ Ethicæ Generalis.

TABVLÆ OECONOMICÆ Methodum adumbrans.

- Oeconomicæ *partes duæ*
  - *Vna conſtitutrix domus, in qua conſideranda*
    - Natura *domus quæ dicitur ſocietas priuata hominum & rerum domeſticarum vnius patriſfamilias imperio ſubiecta.*
    - Partes *domus quæ ſunt*
      - Familia *cuius cauſa.* A
      - Res *familiaris in qua conſideranda*
        - Natura *quæ cognoſcitur*
          - Definitione.
          - Diſtributione *ſecundū quam poſſeſſio œconomica eſt vel*
            - Naturalis
              - Animata
                - Animal
                  - Rationale *vt ſeruus.*
                  - Irrationale *vt beſtia*
                    - Terreſtris. C
                    - Aquatilis *vt piſcis.*
                - Planta
                  - Herba.
                  - Frutex.
                  - Arbor.
              - Inanimata. D
            - Artificialis. E
        - Media *acquirendi rem familiarem.* F
  - Adminiſtratrix *domus.* I

A Familia *cuius cauſa*

- Externæ
  - Finis
    - Vltimus *gloria Dei per familiam illuſtranda & amplificanda.*
    - Subordinat.
      - Proximus
        - Vitæ *domeſtica communio.*
        - Præſtatio & *communicatio mutua eorũ quæ ad vitã domeſticam benè degendã sũt vtilia.*
      - Remotus
        - Propagatio *generis humani.*
        - Eccleſiæ & *Reipub. cõſtitutio, amplificatio & conſeruatio.*
  - Efficiens
    - Prima *ſolus Deus.*
    - Secunda
      - Principalis
        - Mutuus & *legitimus conſenſus hominum in ſocietatem coniugalẽ ineuntium.*
        - Naturalis *ſobolis procreatio communi eorum opere facta. Mutua heri & ſerui ad imperãdi & parendi officia, obligatio.*
      - Impulſiua
        - Appetitus *naturalis procreandi ſobolem.*
        - Neceſſitas & *indulgẽtia ſocietatis domeſtica cum multiplici vtilitate coniuncta.*
- Internæ. B

B Internæ

- Materia *homines priuati ex quibus familia conſtituitur, cuiuſmodi ſunt Paterfamilias & ii qui ſub Patriſfamilias imperio viuunt. In illis conſideranda*
  - Diſtinctio *fit per ordinem qui triplex eſt*
    - 1. *Ordinis*
      - Maritus.
      - Vxor.
    - 2.
      - Parentes.
      - Liberi.
    - 3.
      - Herus.
      - Serui.
  - Societas *domeſtica*
    - Prima *ſocietas coniugalis, in qua conſideranda*
      - Primariæ *qualitates*
        - Animi
          - Virtutes *intellectuales & morales.*
        - Corporis
          - Integritas *membrorum.*
          - Iuſta *ſtaturæ proportio.*
          - Habilitas *ad cōtrahendum matrimonium.*
      - Secundariæ
        - Genus.
        - Propinquitas *generis.*
        - Ætas.
        - Dos.
    - A prima *dependens*
      - Paterna *in qua requiritur cura*
        - Ipſius *procreationis.*
        - Vxoris *prægnātis & parturientis*
      - Herilis *in qua requiritur cura,*
        - Neceſſitas.
        - Delectus.
- Forma *conſiſtit in diſtincta & harmonica hominum familiam conſtituentium inter ſe coordinatione, ad vnum corpus domeſticum redactione.*

C Beſtia terreſtris eſt vel

- Alata
  - Apis.
  - Auis
    - Gallina.
    - Anſer.
    - Anas.
    - Columba, &c.
- Inalata
  - Cicur
    - Pecus
      - Maior
        - Elephas.
        - Camelus.
        - Equus.
        - Aſinus.
        - Bos.
        - Vacca.
      - Minor
        - Oues.
        - Capræ.
        - Sues *domeſtica.*
    - Canis *ad cuſtodiendam domum idonea.*
    - Felis *ad purgandam domum muribus idonea.*
  - Fera.

D Inanimata *poſſeſſio.*

- Prima
  - Ager, *Hortus, vinea, ſylua.*
  - Piſcina, *ſtagnum, lacus.*
  - Fodina *metallica & lapidicina.*
- A prima *orta*
  - Principalis
    - *Eſculenta*
      - Frumentum, *legumen.*
      - Fructus *arboreus.*
      - Panis.
    - *Potulenta*
      - Vinum.
      - Cereuiſia.
  - Minus *principalis*
    - Lignum, *ſtramen.*
    - Fœnum.
    - Lapides, *metalla.*

- **E** Artificialis *poſſeſſio*
  - *Domus*
  - *Supellex domus*
    - *propria*
      - Primaria, *ut pecunia.*
      - Secundaria
        - Ex *materia*
          - Lignea, *Lapidea, metallica.*
          - Vitrea, *fictilis, linea, lanea.*
          - Serica, *plumea.*
        - Vſu *in genere alia ad*
          - Neceſſitatem.
          - Commoditatem.
          - Ornatum.
        - In *ſpecie*
          - Veſtiaria, *culinaria, cellaria.*
          - Menſaria, *cubicularia, ſtabularia*
          - Operaria
            - Securis, *ligo.*
            - Malleus *aratrum, &c.*
    - *Impropria*
      - Arma.
      - Libri.
      - Medicamenta.

- **F** Media *acquirendi rem familiarē ſunt*
  - Ordinaria
    - Mixta.
    - Simplicia
      - Naturalia
        - Primaria
          - Agricultura *quæ ſub ſe complectitur curam*
            - Agrorum.
            - Vinearum.
            - Hortorum.
            - Syluarum.
          - Cura *beſtiaria*
            - Paſtoritia *quæ ſub ſe comprehendit curā*
              - Pecudum.
              - Columbarum.
              - Gallinacei *generis.*
              - Apum *bombycum.*
            - Prædatoria
              - Venatoria.
              - Aucupatoria.
              - Piſcatoria.
        - Secundaria
          - Foſſura *mineralium.*
          - Cæſura *lignorum.*
      - Artificialia. G
  - Extraordinaria. H

- **G Artificialia media**
  - *Permutatoi*
    - Mercatura
      - Liberales
        - Externa
          - Maritima.
          - Terreſtris.
        - Domeſtica, *quæ dicitur inſtitoria.*
      - Sordida, *quæ dicitur cauponaria.*
    - Fœneratio.
    - Operæ *locatio*
      - Liberalis.
      - Sordida.
  - *Ædificatio quæ accommodanda ad bonum*
    - Familiæ *cuius reſpectu domus ædificanda, quæ eſt ad*
      - Sanitatem.
      - Commoditatem.
      - Iucunditatem.
    - Rei *familiaris cuius reſpectu domus ædificanda quæ ſeruandis & cuſtodiendis poſſeſſionibus domeſticis eſt idonea & vtilis.*

- **H Extraordinaria**
  - Directa
    - Hæreditas.
    - Donatio.
    - Inuentio *Theſauri.*
  - Indirecta
    - Emptio, *elocatio, conductio poſſeſſionis.*
    - Bellum & *certamē quod fit depoſito pignore.*
    - Luſus & *cōtractus aſſecurationis.*
    - In *his acquirendis, eligendis & perſequēdis Patrifamilias*
      - Adhibenda
        - Prudentia
        - Sedulitas
        - Iuſtitia.
      - Fugienda.
        - Imprudētia.
        - Ignauia.
        - Iniuſtitia

- I Adminiſtratrix *domus cō ſiſtit in recta adminiſtratione*
  - Familię *quæ eſt*
    - Generalis, *quæ cōtinetur in*
      - Imperio *quod eſt*
        - Maritale.
        - Paternum.
        - Herile.
      - Subiectione
        - Vxoria.
        - Filialis.
        - Seruilis.
    - Specialis, *quæ cōſiſtit in mutua debitorum officiorum præſtatione Illa aūt officia concernunt vel*
      - *Totam familiam, ex quibus alia pertinent ad*
        - *Patrēfamilias, quæ cōſiſtit in*
          - Amore *&* Cura *domeſtica*
            - *Suſtentationis*
            - *Diſciplina*
            - *Protectionis*
        - *Domeſticos, quæ cōſiſtit in* — *Erga Patrēfamilias.*
          - 1
            - *Obediētia.*
            - *Reuerētia.*
          - 2
            - *Sedulitate.*
            - *Fidelitate.*
      - *Partes familiæ, quæ tribus claſſib. continentur*
        - 1. Claſſis *officia concernunt*
          - Maritum *&* Vxorem. K
        - 2. Claſſis
          - Parentes.
          - Liberos. L
        - 3. Claſſis
          - Herum.
          - Seruum. M
  - Rei *familiaris.* N

- K Officia *quæ cõcernunt maritũ & vxorem ſunt vel*
  - Cõmunia
    - *Primaria*
      - Se *mutuo amare & honorare.*
      - Fidem *coniugalem inuiolatam ſeruare.*
      - Concordiam *mutuam alere.*
    - *Secundaria*
      - Communionem *inter ſe habere tam bonorum, quam malorum.*
      - Vtriuſque *næuos & mores patienter tolerare.*
      - Communem *domus curam habere.*
      - Secreta *matrimonii non reuelare.*
  - Propria *quorũ alia*
    - Mariti
      - Præeſſe *ſua vxori cum ratione & prudentia.*
      - Eius *curam habere nõ tantum ſuſtentando, ſed etiam protegendo.*
    - Vxoris
      - Maritum *pro capite & Domino ſuo agnoſcere.*
      - Debitam *et obſeruantiam & obſequium præſtare.*
      - Adiuuare *maritum in adminiſtranda & augenda domo.*
- L *Officia quæ concernũt parentes & liberos alia ſunt*
  - Parentũ, *quæ cõſiſtũt in*
    - Amore *paterno.*
    - Cura
      - Primaria
        - *Generatiõu quæ cõſiſtit in*
          - Legitima *& tempeſtiua ex vtraque parte matrimonii contractione.*
          - Legitimo *& tempeſtiuo coitu.*
          - Sedula *matris prægnantis cura.*
        - *Educationis quæ conſiſtit in cura*
          - Nutricationis.
          - Protectionis.
          - Diſciplinæ
            - *Corporis*
            - *Animi*
              - *vtriuſque*
                - *Publicæ.*
                - *Priuatæ.*
      - Secundaria, *quæ eſt cura*
        - Elocationis.
        - Procreationis.
  - Liberorum, *quæ reſpiciunt*
    - Ipſos *parentes & conſiſtũt in*
      - Amore *& reuerentia.*
      - Obedientia *& gratitudine filiali.*
    - Liberos *inter ſe, quæ conſiſtunt in*
      - Mutua *dilectione.*
      - Concordia.

M Officia

- M **Officia** *quæ herum & ſeruum concernunt ſunt vel*
  - Heri *erga ſeruos*
    - Generalia
      - Humanum, *manſuetum, beneficum & iuſtum ſe præbere.*
      - Iis *eſſe cauſam exemplarem virtutis.*
    - Specialia
      - Primaria
        - Præſcribere *ſeruis certas operas.*
        - Eorum *laboribus certũ tempus & dimenſum præfinire.*
        - Victum *& mercedē debitam iis dare.*
      - Secundaria
        - Caſtigare *ſeruos improbos pro meriti ratione.*
        - Diebus *feſtis recreationem illis concedere.*
        - Aduerſus *aliorũ iniurias eos defendere.*
  - Seruorum *ex quibus alia reſpiciũt*
    - Herũ *vt*
      - Reuereri *ſuum herum eique in omnibus rebus honeſtis parere.*
      - Sedulò *& fideliter mandata ſui heri vocationisq́; ſuæ munia exequi.*
      - Omnes *actiones & labores ſuos ad vtilitatem ſui heri conuertere.*
    - Seruos *ipſos inter ſe, vt*
      - Concordiam *alere.*
      - In *expediendis negotiis domeſticis mutuas operas mutuaq́; auxilia conferre.*

- auſæ ficien tes
  - Principales
    - Paterfamilias.
    - Materfamilias.
  - Inſtrumentales
    - Subſtatiales
      - Ordinariæ
        - Serui.
        - Ancillæ.
      - Extraordinariæ, *ut operarii.*
    - Accidentales *ſunt virtutes Oeconomicæ:*
      - Prudentia,
      - Pietas,
      - Vigilantia,
      - Sedulitas,
      - Parſimonia,
      - Frugalitas,
      - Liberalitas &
      - Iuſtitia.

- Partes *quæ ſunt*
  - Cura *conſeruãdi & tuẽdirẽ familiarem, qua perficitur*
    - Admotione *cauſarum conſeruantium, ut ſunt cura*
      - Benè *diſponendi, ordinandi & diſtinguendi.*
      - Benè *ſuſtentandi, aſſeruãdi & tuendi poſſeſſiones domeſticas.*
    - Propulſatione *cauſarum corrumpentium, quæ ſunt omnis generis mala, quæ damnũ & corrupte clam poſſeſſionibus domeſticis inferre poſſunt.*
  - Cura *benè utendi rem familiarem*
    - Erogatiua *quæ*
      - Victũs, *veſtitus, ornatus.*
      - Aliarum *rerum ad Oeconomicã pertinentium, quatenus illarũ comparandarũ gratia ſumtus ſunt faciendi curam complectitur & moderatur.*
    - Benefactiua, *qua aliis de bonis domeſticis pro ratione neceſſitatis & facultatis benefacit.*

FINIS TABVLÆ OECONOMICÆ.

TABVLA TOTIVS POLITICÆ METHODVM ADVMBRANS.

- Politicæ partes duæ
  - Constitutrix reipub. in qua consideranda veniunt.
    - Natura Reipub. quæ cognoscitur ex
      - Definitione *qua reſpub. dicitur communitas hominum & rerum ciuilium Magiſtratus Politici imperio ſubiecta.*
      - Cauſis, *quarum alia*
        - Externa
          - Finis
            - Vltimus *ut felicitas terrena hominũ in ſocietate ciuili viuentium.*
            - Subordinatus
              - Principalis
                - 1. Honeſta & *tranquilla ciuium vita.*
                - 2. Veræ *religionis iuſtitiæq; inter homines propagatio.*
              - Minus *principalis.*
                - 1. Pax *externa publica.*
                - 2. Legitima *aduerſus hoſtium incurſus defenſio.*
                - 3. Bonorum *externorum ad vitam ciuilem benè degendam neceſſariorũ ſufficientia.*
          - Efficiens
            - Prima *ſolus Deus.*
            - Secunda
              - Principalis.
              - Minus *principalis*
                - Impulſiua
                  - Interna *ut natura.*
                  - Externa
                    - Vtilitas.
                    - Neceſſitas
                - Exemplaris
                  - Reſpub. *mundana.*
                  - Eccleſia *Chriſtiana.*
        - Interna A
    - Species *Reipub.*
      - Simplex *qua reſpectu imperii*
        - Monarchica
          - Minor
            - Diſtrictus.
            - Baronatus.
            - Comitatus.
          - Maior
            - Ducatus.
            - Principatus.
            - Regnum.
        - Polyarchica
          - Ariſtocratica.
          - Democratica.
      - Compoſita.
  - Adminiſtratrix *Reipub.* D.

- Materia
  - Populus in quo conſideranda veniunt
    - Partes populi
      - Simplices.
      - Compoſitæ
        - Familiæ
          - Domeſticæ & *priuata.*
          - Ciuiles & *publica.*
        - Collegia *in quibus conſiderantur*
          - Cauſæ.
          - Species
            - Sacrum
              - Eccleſiaſticum.
              - Scholaſticum.
            - Profanū
              - Primariū.
              - Secūdariū.
    - Ordines *quorum alius compluribus conſtituitur*
      - Ciues
        - Nati.
        - Facti.
      - Incolas *quibus opponuntur peregrini.*
        - Vterque
          - Ex *relatione ſūt vel*
            - Magiſtratus.
            - Subditi.
          - Ex *ſexu*
            - Mares.
            - Fœminæ.
          - Ex *ætate*
            - Iuniores.
            - Seniores.
          - Ex *dignitate*
            - Nobiles.
            - Ignobiles.
          - Ex *habitu.*
            - Literati.
            - Illiterati.
          - Ex *facultatib.*
            - *Diuites*
              - *Et rurſus ex his*
                - *Agricolæ.*
                - *Mercatores.*
                - *Opifices.*
            - *Pauperes.*
          - Ex *ſtatu & condōe*
            - *Liberi.*
            - *Serui*
              - *Ex vtriſq.*
                - *Idiotæ*
                - *Officiarii.*
  - Res *populi.* B
- Forma *Reipub. quæ eſt diſtincta & harmonica ſingularum partium Reipub. coordinatio, & ad vnum corpus ciuile, reductio.*

B Res *populi complectuntur*, res

- Animatas, *quæ ſunt*
  - Miniſtri *publici*.
  - Beſtiæ
    - Cicures
      - Terreſtres.
      - Volatiles.
      - Aquatiles.
    - Feræ.
- Inanimatas, *quæ ſunt*
  - Immobiles
    - Naturales
      - Simplices
        - Fluidæ
          - Maria.
          - Flumina
            - Lacus.
            - Fontes.
            - Thermæ.
          - Stagna.
        - Solidæ
          - Agri
          - Prata
            - Montes
            - Littora
            - Ripæ.
          - Valles.
      - Mixtæ
        - Supra *terrã*
          - Syluæ
          - Vineę
            - Paſcua.
            - Viridaria.
          - Horti
        - Infra *terram*
          - Fodinæ *metallicæ*
          - Lapicidinę
          - Salinæ.
    - Artificiales
      - Primæ
        - Domus.
        - Pagus.
      - A primaria
        - *Vrbs, eius partes*
          - Primariæ *vel ædificia*
            - Publica
              - Sacra
                - Templa
                - Scholæ.
              - Profana
                - Conuen*tionalia*
                - Subſidi*aria*.
            - Priuata
              - Mænia.
              - Spatia *publica*
                - *Viæ.*
                - *Fora*
                - *Portæ.*
                  - *Pomeria, Cæmeteria*
          - Secundariæ.
        - *Regio.*
  - Mobiles.

- C Mobiles
  - Corporales
    - Inſtrumenta *publica*
      - Memorabilia.
      - Vſualia.
      - Voluptuaria.
    - Reditus *publici quorũ acquirẽdorũ media alia*
      - Naturalia.
      - Ciuilia
        - Generalia.
        - Specialia
          - Ordinaria
            - Primaria
              - Vectigalis.
              - *Tributi*
                - Inſtitutio.
                - Exactio.
            - Secundaria.
          - Extraordinaria.
  - Incorporales
    - Sacræ
      - Religio.
      - Res *literaria*.
    - Profanæ
      - Primariæ
        - Leges *diſciplinæ*
        - Conſilia.
        - Iudicia.
      - Secundariæ
        - Commercia *publica*.
        - Fœdera.

D Admini-

D. Adminiſtratix Reſpub. duas partes habet quarum

- 1 Vna de imperio ciuili in quo conſideranda
  - Subiecta quorum aliud
    - Occupans ut Reſpub.
    - Recipiens ut magiſtratus in quo conſideranda
      - 1. Conſtitutio cui opponitur
        - Diuina
          - Immediata.
          - Mediata.
        - Humana
          - Ordinaria
            - Simplex
              - Electiua in quo cõſiderãda
                - Efficiens
                  - Principalis
                    - Totus populus.
                    - Pars primaria pop.
                  - Inſtrumentalis
                    - Ius eligendi
                    - Modus eligẽdi per
                      - Suffragia
                      - Sortes
                      - Vtraque
                - Finis.
              - Subiectũ perſonæ eligendæ in quo conſideranda
                - primaria
                  - Scientia.
                  - Voluntas.
                  - Facultas.
                - ſecundaria
                  - Sexus, ætas, ſtatura corporis.
                  - Forma, patria, familia.
                  - Diuitiæ, potentia, ſtatus.
            - Succeſſiua
              - Cauſa efficiẽs
                - Diuina
                - Humana.
              - Subiect. recipiens
                - Hæredes
                - Proximi agnati.
            - Mixta.
          - Extraordinaria
            - Legitima
              - Bellica
              - Pactitia
              - (utriuſq; modi tres principales.)
            - Illegitima.
      - Abdicatio
        - Tẽporalis.
        - Perpetua.
      - 2 Recta officij magiſtratus functio, ut quæ E
      - 3. Diſtributio magiſtratus ex
        - Gradu imperij
          - Summus
            - Simpliciter.
            - Secundum quid.
          - Inferior.
        - Obiecto
          - Togatus.
          - Armatus.
  - Species imperij ciuilis alia
    - Legitima
      - Monarchia.
      - Polyarchia
        - Ariſtocratia.
        - Democratia.
    - Illegitima
      - Tyrannis.
      - Oligarchia.
      - Ochlocratia.
- 2. Altera de ſubiectione ciuili. M

- *Cauſa efficiens*
  - Principalis *Magiſtratus.*
  - Inſtrumentalis
    - Inanimata
      - Primaria
        - Interna
          - Virtus
            - Intellectualis
              - Sapientia.
              - Eloquentia.
              - Prudentia.
            - Moralis
              - Generalis.
              - Specialis *generis*
                - 1.
                  - Iuſtitia.
                  - Clementia.
                - 2.
                  - Fortitudo.
                  - Liberalitas.
                - 3.
                  - Tēperantia.
                  - Humilitas.
          - Vires *corporis.*
        - Externa —
          - Lex.
          - Diuitiæ.
      - Secundaria
        - Auctoritas *in qua cōſiderāda*
          - Efficiens
            - Procreatrix
              - Proxima.
              - Remota
            - Conſeruatrix.
          - Finis.
        - Potentia.
    - Animata
      - Conſiliarii *in quibus ſpectanda*
        - Electio *in qua conſideranda qualitas*
          - Prudentia.
          - Probitas.
        - Officiū *quod perficitur*
          - *Bonorū perſecutione, quæ ſunt claſſis*
            - 1.
              - Pietas
              - Fidelitas.
            - 2.
              - Libertas.
              - Conſtantia *in conſiliis.*
            - 3
              - Modeſtia.
              - Taciturnitas.
          - *Malorū fuga quæ sūt claſſis*
            - 1.
              - Pertinacia.
              - Diſcordia.
            - 2. —
              - Cōfidentia
              - Temeritas.
            - 3
              - Auaritia.
              - Perturbatiões *animi.*
        - Diſtributio *Conſiliariorum ſecundum quam alii*
          - *Ordinarii*
            - *politici*
              - Aulici.
              - Curiales.
            - *Eccleſiaſtici.*
          - *Extraordinarii.*
      - In *legatis ſpectanda*
        - Electio, *in qua cōſideratur dignitas qua æſtimatur ex quātitatib. quæ ſunt generis*
          - 1.
            - Sagacitas.
            - Prudentia.
          - 2.
            - Facundia.
            - Animoſitas.
          - 3.
            - Fidelitas.
            - Taciturnitas.
        - Officium.

F. Partes veſtæ functionis officii magiſtratus duæ.

- Cura togata quæ verſatur circa
  - Populum & reſpicit vel
    - Subditos quæ cura eſt vel
      - Generalis quæ verſatur vel
        - Circa vitam ſubditorum
          - Naturalē cuiuſmodi eſt cura
            - Generationis.
            - Victus.
            - Sanitatis.
          - Ciuilem cuiuſmodi eſt cura
            - Educationis.
            - Morum.
            - Tutelę ſubditorum.
        - Circa mortem.
      - Specialis, quæ verſatur circa
        - Cœtus
          - Vniuerſales.
          - Particulares.
            - Familias.
            - Collegia.
        - Ordines.
    - Peregrinos.
  - Rem populi quæ duplex cura
    - Rerum ſacrarum quæ duplex eſt
      - Curę veræ religionis
        - Cura Eccleſiarum quæ perficitur cura
          - Introducendi & conſeruandi in Eccleſia doctrinam & diſciplinam Eccleſiaſticam.
          - Vocandi & alendi miniſtros, pios & idoneos Eccleſię.
        - Cura teplorū quæ cōſiſtit in
          - Ædificiorū ipſorum neceſſaria & conuenienti
            - Extructione.
            - Reparatione.
            - Purgatione.
          - Bonorum Eccleſiaſticorum
            - Collectione.
            - Conſeruatione.
            - Amplificatione.
            - Recto vſu.
      - Cura rei literariæ G
    - Rerum ciuilium H
- Cura militaris K

- G Cura rei lite-ralia et Schola-ſtica, quæ cō-ſiſtit in
  - Fundatione ſcholarum quæ perficitur mediis
    - Primariis, vt ſunt
      - Ædificiorum ſcholaſticorū extructio, in qua habenda ratio loci in
        - Genere;
        - Specie.
      - Collegiorū ſcholaſticorū cōſtitutio in qua habenda ratio
        - Docentium in quibus ſpectatur
          - Electio quæ requirit conditiones in docentib.
            - Cōmunes vt ſunt:
              - Doctrina ſolida
              - Probitas.
            - Proprias vt ſunt
              - Facultas quæ cōſiſtit
                - In linguarū & artiū liberaliū ſciētia tū experiētia & Exercitatione coniūcta
              - Voluntas quæ cōſiſtit in
                - Fidelitate.
                - Diligentia.
          - Officii adminiſtratio.
        - Diſcentium in quib. requiritur
          - Diligens μάθησις.
          - Prompta obedientia.
    - Secūdariis, vt ſunt
      - Recta legum & priuilegiorum ſcholaſticorum ſanctio.
      - Liberalis & munifica ſtipendiorū aliorumq; beneficiorū in ſcholas collatio.
  - Scholarū fundatarum conſeruatione quæ perficitur mediis
    - Primariis vt ſunt
      - Iuſta legum & priuilegiorum ſcholaſticorum executio & defenſio.
      - Expedita ſtipendiorum & beneficiorū in ſcholas collatorum perſolutio & diſtributio, nec non eorundem amplificatio.
    - Secundariis, vt ſunt
      - Prompta ædificiorum ſcholaſticorum reparatio.
      - Accurata collegiorum ſcholaſticorum inſpectio & viſitatio.

H Cura *rerum ciuilium eſt vel*

- Primaria
  - Cura *legũ qua perficitur*
    - Sancti one *legum in qua ſpectanda*
      - Bonitas *legũ condẽdarũ, quæ æſtimatur ex cõditionibus in ius requiſitis, quæ ſunt vel*
        - Reales *quæ sũt claſſis*
          - Primæ
          - Secũdæ
          - Tertiæ.
        - Verbales.
      - Recta *earum promulgatio.*
    - Sancitarum *executione* I
  - Cura *pacis & tranquillitatis publicæ, quæ perficitur partim*
    - Procuratione *cauſarum illius procreantiũ & conſeruantium; quarum aliæ*
      - Generalis, *vt recta & appoſita Reipubl. adminiſtratio.*
      - Specialis
        - Concordia *ciuiũ*
        - Seuera *legũ executio iuſtitiaq; adminiſtratio.*
    - Remotiõe *cauſarum corrumpentium, quarũ alia*
      - Generalis *vt praua Reipubl. adminiſtratio.*
      - Specialis
        - Diſcordia *ciuiũ.*
        - Intermiſſio *aut negligens legum executio, iuſtitiæque adminiſtratio.*
- Secundaria
  - Cura *ærarii publici qua perficitur:*
    - Legitima *auctione illius, quæ vel eſt*
      - Generalis *& fit per exactionem*
        - Vectigalium.
        - Tributorum.
      - Specialis *quæ fit per*
        - Elocationem *fundorum publicorum.*
        - Soli *publici venditionem.*
        - Bonorum *confiſcationem, etc.* &
        - Per *alium quendã modum legitimum.*
  - Cura *commerciorum & confœderationũ, in qua conſideranda*
    - Cauſæ
    - Subiectũ
      - Cõmerciorum.

I Sanci-

- **I** Sancitarum executione qua perficitur per
  - Diſciplinam *ciuilem in qua conſideratur*
    - Recta *conſtitutio.*
    - Conſeruatio *qua conſiſtit in Diſtributione iuſta*
      - Præmiorũ.
      - Pœnarum.
  - Iuriſdictionẽ *ciuilem in qua conſiderantur*
    - Partes
      - Legitima *cauſarum cognitio qua perficitur*
        - Auditione.
        - Diſcuſſione *accurata & aqua*
      - Cognitarum *deciſio.*
    - Species *ſecundum quas eſt alia*
      - Extraiudicialis *eaq; perficitur à magiſtratu*
        - Immediatè.
        - Mediatè.
      - Iudicialis *in qua conſideratur*
        - Recta *iudicii conſtitutio qua concernit*
          - Perſonarum *idonearum ordinationẽ per quas iudicium exercendũ eſt, in quibus ſpectanda*
            - Conditiones
              - Generales
                - *Prudentia*
                - *Probitas.*
              - Speciales.
            - Species
              - Principa*les vt iudex vel aſſeſſores*
              - Minꝰ *principales.*
          - Differentias *iudicii ſecundũ quas aliud*
            - Summum.
            - Intermedium.
        - Legitima *iudicii conſtituti exercitatio.*

K Cura militaris in qua consideranda belli

- Definitio.
- Diſtributio *ſecundum quam bellum aliud*
  - Iuſtum *in quo conſideranda*
    - 1. Legitima *belli ſuſceptio qua ſũ datur in*
      - Cauſa *legitima vt eſt*
        - Efficiens
          - Principalis *vt magiſtratus politicus.*
          - Impulſiua
            - Generalis, *vt ineuitabilis neceſſitas.*
            - Specialis
              - defenſio
              - vindicatio.
              - *neceſſaria & legitima.*
        - Finis
          - Pacis *publica conſeruatio.*
          - Amiſſę *recuperatio.*
      - Modo *legitimo qui exigit*
        - Maturam *deliberationem.*
        - Adornationem *conuenientẽ qua cõſtat*
          - Apparatu
          - Delectu *prudenti in quo conſideratur*
            - Perſonæ *eligendæ quæ ſunt*
              - Principes *belli*
                - Dux *belli in quo ſpectatur*
                  - Scientia *militaris*
                  - Virtus.
                  - Auctoritas.
                  - Felicitas.
                - Duci *adiuncti officiarij*
                  - *Superiores.*
                  - *Inferiores.*
                  - *In quibus requiritur*: *Prudentia militaris, Fortitudo.*
              - Principibus *ſubiecti vt milites.*
            - Modo *delectus q cõſtitit in*
              - Collectiõe *militũ, qua conſtat*
                - Vocatione
                - Vocatorũ *probatione.*
              - Ordinatione.
    - 2. Recta *eiuſdem* L
    - 3. Diſtributio *ſecundum quam bellum aliud eſt*
      - Defenſiuũ
      - Vindicatiuum
      - *Vtrumq;*
        - Externũ
          - Terreſtre
          - Nauale.
        - Internum.
  - Iniuſtum.

O

L

2. Recta eiuſdē ſuſcepti geſtione quæ cōſiſtit partim in
   - Belli *indictione.*
   - Belli *indicti executione quæ perficitur*
     - Apta *caſtrorum metatione.*
     - Rectâ *exercit° gubernatione quæ conſiſtit in*
       - Diſci*plina militari cuius cāā ōſeruās*
         - Liberalis *ſtipendiorum perſolutio.*
         - Seuera *legum militariū executio.*
       - Conuenienti *hoſtiū aggreſſione quæ fit*
         - Dolo.
         - Vi *aperta.*
     - Conuenienti *belli finitione quæ fit, vel per*
       - Victoriam *vi armatâ partam.*
       - Spontaneā *& iuſtam partium belligerantium tranſactionem ſeu pactionem.*

M

In *ſubiectione ciuili conſiderāda ſubditorum*
- Natura.
- Officia
  - Generalia.
  - Specia lia, *quorū talia concernunt*
    - Deum *quæ conſiſtunt in vera religionis amore & ſtudio.*
    - Magiſtratū *quorū alia ſūt*
      - Prima *quæ cōſiſtunt in ſubditorum*
        - *Amore.*
        - *Reuerētia.*
      - A prima *orta quæ conſiſtūt in ſubditorum*
        - *Obedientia*
        - *Fidelitate*
    - Cōciues *quæ ſunt*
      - Communia *et conſiſtunt in*
        - Amore.
        - Iuſtitia.
        - Cōcordia.
      - *propria quæ concernunt vel*
        - Æquales.
        - Inæquales
          - *Superiores.*
          - *Inferiores.*

FINIS.

BIBLIOTECA ... VI...

76